NTB
Aimerich

MATTHAEI AIMERICHII
NOVUM LEXICON
HISTORICUM, ET CRITICUM

Antiquae Romanae Litteraturae deperditae, vel latentis, ac Romanorum Eruditorum, qui ea floruerunt ab Urbe condita ad HONORII AUGUSTI *interitum.*

ACCEDUNT

NONNULLAE DISSERTATIONES, ET MULTA COROLLARIA

De rebus parum obviis, Historiam Romanam Antiquam illustrantia.

CONTENTA IN HOC OPERE,

Quibus Bibliotheca Vetus Latina Fabricii, etiam ab Ernesto aucta et emendata, in multis commodior, ditior, et expeditior reddi potest, post Praefationem indicantur.

B A S S A N I.

MDCCLXXXVII.

Nullum majus felicitatis specimen arbitror, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. C. Plin. Secundus *Hist. Nat. lib. 35. c. 2.*

Vetustas non pauca depravat: multa etiam tollit. Varro *lib. 4. de Lingua Latina.*

O quam egregia COMPLURIUM Opera in occulto jacent! L. Annaeus Seneca in *Consol. ad Albinam.*

Cum constet ex veterum Auctorum, qui supersunt, lectione, alios praeterea innumerabiles scripsisse, quorum libri intercidisse creduntur: nota habere eorum nomina oportet, ut siquid eorum ad Bibliothecae Praefectum perferetur, minime negligatur. Ex Joan. Baptista Cardona, Episcopo Ausetano, postea Dertosano in Catalonia, in *Commentario de Regia Escurialis Sancti Laurentii celebri Bibliotheca.*

VIRO EXIMIO

DOCTRINAE, ET GENERIS SPLENDORE CLARISSIMO, IN HISTORICIS, POLITICIS, ET VARIA ERUDITIONE VERSATISSIMO

D. D.

SIMONI ANTONIO SANTANDERIO,

SAN-JUAN,

REGIS CATHOLICI A SECRETIS, etc. etc.

MATTHAEUS AIMERICHIUS

S. P.

TUEOR pristinum sollemnemque morem meum, SIMON ANTONI, Vir ornatissime, et Amice suavissime. Meus est mos tibi forsitan ignotus, non aliis dicandi Opuscula qualiacumque mea, quam doctis Amicis: tum ut exstet pignus aliquod, ac monumentum amicitiae nostrae: tum

etiam ut errata mea corrigant singulari, qua pollent, eruditione. Nihil quippe gratius mihi potest contingere in hoc litterario, quò exerceor, labore, quam de erratis, quae in varias lucubrationes meas incidisse necesse est, a Viris doctis, et amicis libere admoneri. Si enim rem praestant nobis gratam ii, qui maculas, sordesve, quibus inquinatur vel vestis, vel facies, nobis indicant, aut amice tergunt; quanto gratiori animo oportet esse in eos, qui maculas, quibus mens nostra deturpatur, quasque imprudentes in Scripta transmittimus, amica significatione nobis notas faciunt, ut eas eluamus? Nunquam enim sese mihi probarunt ii, qui ea philautia tenentur, ut putent, se in iis, quae scribunt, eduntque, mera oracula fundere, nihilque nisi Apolline, et Musis dignum litteris consignare.

Longe aliter, ac isti, sentiebat de se doctissimus, et Disertissimus, *ut ait ille*, Romuli nepotum *M. Tullius, qui errata sua in nonnullis a se editis fatebatur, et emendari in exemplaribus, quae ab Attici librariis describebantur, Attico commendabat, nec audebat Scripta sua divulgare, quin ea Attico probarentur, optabatque, si quid in latinitate peccasset, ab Attico emendari. Quin etiam ingenue testabatur, se a nautis piscatoribus nonnulla in latino sermone didicisse. Longe item aliter viri alii eruditissimi, qui non obliti, se homines esse, humanum nihil a se alienum putabant: et cum hominis esse errare non ignorarent, in errore velle persistere inhumanum arbitrabantur, et idcirco Opera sua Amicis doctrina praestantibus*

de-

dedicabant, quos sciebant, posse de illis integerrime judicare, et de erratis, quae in ea irrepsissent, eos admonere.

Horum ego vestigia premens, et exempla secutus, cum in Hispania degerem, dicavi Prolusiones *meas* Philosophicas (a), *quibus Effigies verae germanaeque Philosophiae adumbrabatur, (quarum nonnullae recitatae fuerunt ad Professores, et Alumnos Regiae et Pontificiae Cervariensis Academiae parum antea a Magnanimo Philippo hujus nominis V. regali munificentia in Catalonia fundatae, cum illic humaniores, et Philosophicas Disciplinas traderem): dicavi, inquam, Illustrissimo Turiasonensi Antistiti D. D. Stephano Villanovano, a teneris, ut ajunt, unguiculis amico intimo, ac in Philosophicis, et Theologicis condiscipulo, qui Disciplinis hisce, quibus post decursa humaniorum litterarum spatia, strenuam navarat operam, non contentus, et alias noscendi cupidus; Juris Utriusque Prudentiae discendae tanto ardore in Regia, et Pontificia praefata Academia, in qua Juris doctrina in primis florebat* (b), *et, ut puto, nunc floret, incubuit, ut magnum in Utroque Jure nomen*

(*a*) Opus istud in 4. editum fuit Barcinone anno Christiano CIↃIↃCCLVI.

(*b*) Tunc temporis in ea Academia 15, aut 16 partim Juris Civilis, partim Canonici Professores numerabantur, et Scholares supra 200, qui ex sola Catalonia Juris studio navabant operam. Inter eruditos Juris Professores eminebat editorum Operum elegantia, et Juris Romani Scientia D. D. Josephus Finestresius, et de Monsalvo, Primarius Emeritus Juris Antecessor, quem alii Cataloniae Cujacium, alii Varronem ob Romanae Antiquitatis cognitionem appellabant. Ejus Opera recensita sunt in *Paradoxis Philologicis de Vita, et Morte Latinae Linguae* Ferrariae editis. De Philosophiae, Theologiae, Medicinae, et humaniorum litterarum Magistris, et Alumnis, nihil aliud opus est dicere, nisi, eas Facultates per ea tempora impense in dicta Academia excultas fuisse. Utrum nunc idem ardor docendi, et discendi vigeat, prorsus ignoro.

et famam eruditionis sibi conciliarit ; quo fiebat , ut non pauci ex studiosis adolescentibus , qui ad eam Academiam Juris discendi ergo confluebant , eum institutorem deligerent , neutiquam dubitantes , quin sub ejus disciplina evaderent in Juris Scientia insigniter eruditi .

Haud multo post lucem publicam vidit Historia Critica Episcoporum Barcinonensium , in qua Episcopos dubios , et supposititios ex confictis Chronicis ambitiose inductos , a certis , et legitimis critico examine distinximus , adjunctis nonnullis Dissertationibus . Opus istud , cujus titulus (a) : Nomina , et Acta Episcoporum Barcinonensium ad Historiae , et Chronologiae rationem revocata , *dicavi doctissimo , tunc temporis Barcinonensis Ecclesiae Antistiti , Illustrissimo D.D. Ascensio Sales , qui sua amicitia , et consuetudine pro sua singulari humanitate , nos non indignos putavit , et cujus jussu ac ductu Historiam praefatam , diligenter lectis , et examinatis antiquis Tabularii Ecclesiae Barcinonensis , et Episcopii Scripturis , et monumentis aliis , lucubravimus . De praefati autem Antistitis doctrina supervacaneum esset aliud dicere praeter hoc unum : eum nempe praecipuum sidus celeberrimae Academiae Valentinae fuisse , cum in ea primum Philosophia , deinde plures annos Sacris Litteris innumeros alumnos , fama ejus doctrinae ad Scholam tanti Magistri tractos , erudivit . Insignis vero ejus eruditio cum morum gravitate et vitae innocentia conjuncta ex Academia , et Ecclesiae Valentinae*

Prae-

(b) Praefata Historia prodiit in 4. Barcinone cum Effigie Episcopi Barcinonensis an. Salutis CIↃIↃCCLX.

Praepositura, ut vocant, ad Ecclesiae Barcinonensis sedem evexit.

Destinaveram etiam Viro Litterato, et Amico Historiam Naturalem, et Oeconomicam Cataloniae, *quam praelo paratam Mantuae Carpetanorum, seu Matriti reliqui, quae quidem, ut audio, illic a Viro eruditissimo quaeritur inter manuscripta innumera Ex-Jesuitarum Hispanorum, quae collecta in tercentis arculis extare in illa Hispaniarum Metropoli dicuntur. Cum in Italia versor:* Paradoxa Philologica de Vita et Morte Latinae Linguae nonnullis Dissertationibus exposita, asserta, et probata *sub Q. Moderati Censorini nomine edita, inscripsi Jacobo Turriano Sodali, et Contubernali olim meo, qui humaniores litteras una mecum Tarracone docuerat, veteri amicitia, ac vitae instituto mihi conjunctissimo, quique in altera ex praecipuis Americae Academiis Philosophiam, et Theologiam magno cum plausu tradiderat, et praecipuis aliis muniis fuerat ornatus.*

Demum, ut nosti, dicavi (a) Specimen Veteris Romanae Litteraturae deperditae, vel latentis *Germano fratri tuo, viro litteratissimo, et litteratorum fautori beneficentissimo D. D. Joanni Santanderio, Regiae Matritensi Bibliothecae Praefecto, cum jam e vivis excesserat, qui maluit inter libros vitam finire, quam amplissimis honoribus, Infulis etiam Pontificiis, a Rege nostro Carolo III. in Viros singulari doctrina, et morum gravitate praeditos perquam munifico, oblatis decorari. Huic, inquam, ego Viro amicissimo*

(a) Vulgatum in 4. Bodonianis formis Ferrariae anno Salutis CIↃIↃCCLXXXIV.

praefatum Opus inscripsi post nunciatum ejus acerbissimum mihi, et Tibi e vivis excessum; ut omnibus notum facerem gratum animum meum in Virum integerrimum, cujus expertus fueram in varia fortuna, et procul ab Hispania degens propensissimam in me voluntatem.

Mitto alia minoris momenti antea in Hispania Cervariae, et Barcinone typis tradita, partim mea, partim Discipulorum meorum. Isti namque exiguae molis volumen, seu libellum Positionum ex Dialectica, Physiologia Novo-Antiqua, Metaphysica, seu Theologia Naturali, et Ethica, a me ipsis in Academia Cervariensi explanatarum, et ab eisdem publice propugnatarum, dedicarunt Viris de re litteraria optime meritis, quos inter non silendus P. Jacobus Antonius Le-Febre (a) *Regi Catholico a Confessionibus, Christiano-Politicis Virtutibus omnibus instructus, et variis Disciplinis eruditus, cujus suasu Speculatricem Subtiliorem Philosophiam cum Actuosa conjunximus, et Physiologiam Peripateticam cum Empirica, seu Experimentali amico foedere sociare conati sumus: quod a multis expetebatur, et nondum in Academia illa effectum erat* (b).

Haec commemoravi, Vir Clarissime, tibique otia mea litteraria, ut et aliorum Hispanorum noscendi cupido fusius exposui (quamvis affectata forsitan videbuntur morosis nonnullis, cum qui-

(*a*) Huic Viro Clarissimo Thesium Novo-Antiquae Philosophiae a se publice in Theatro Academico propugnatarum libellum dicavit D. D. Ludovicus, Comes a Cron, Ecclesiae Barcinonensis Canonicus dignissimus, et ad majora natus.

(*b*) Cum in ea Academia versabamur, 8 Philosophiae Professores numerabantur, sub quibus 500, et eo amplius, alumni Philosophicis Disciplinis erudiebantur, inter quos nonnulli ex vicina Gallia.

quibus mihi non est sermo, quique ignorant illud vulgatissimum ex Catone Censorio: otii, et negotii a nobis rationem, praesertim amicis, reddi oportere) exposui, inquam, cum ut laudes Virorum mihi carissimorum denuo persequerer, atque eorum recordatione oblectaretur mens mea: tum ut pristinum, et perpetuum meum, de quo dixi, morem ostenderem: demum, ut videas, ab eo me non recedere, dum Tibi Novum *hoc* Lexicon *mitto, et nomine tuo orno,* SIMON ANTONI *dilectissime, ut errata mea corrigas, quae oculatissimam neutiquam fugient Crisim tuam. Tibi, inquam, qui vivam, et expressam refers imaginem inclyti fratris tui Joannis, (cujus desiderium utrique nostrum lacrymas exprimit) non in doctrina solum, sed et in institutis, Viro Christiano, et Hispano dignis, Pietate scilicet et Religione in Deum, Morum Gravitate, et vitae Integritate, nobilissimae Stirpi, et Familiae tuae veluti ingenitis, quas cum singulari Eruditione, et cum sana Philosophia conjungis. Illud vero mihi plane novum, quod Tu in Belgio degens (ubi alter ex Majoribus tuis, cujus aedes habitas, D.D. Joannes San-Juan Politicis artibus instructissimus ab Archiduce Alberto, et Elisabetha Philippi II. Hispaniarum Regis filia, Belgii Principibus, praecipuis honoribus ornatus, et ad Secretiora Consilia belli, et pacis adhibitus fuerat) me licet nunquam visum, licet ignotum, ac procul a Belgio, et Hispania in Italiae finibus commorantem tanta benevolentia complecti dignatus fueris, ut videri possit, Fratrem Tuum Joannem non modo in Sororis*

filium

filium D.D. Ferdinandum a Serna (quem apud se Mantuae Carpetanorum habebat, Juris Civilis Prudentia in Academia Cervariensi instructum, et aliarum Disciplinarum subsidio, magnis, arduisque negotiis intentum, fidumque olim in bellicis expeditionibus Achatem Scipionis nostri seculi Excellentissimi D.D. Petri a Zevallos) benevolum suum in me animum transfudisse, sed in Te etiam, et universam Familiam tuam transmissum voluisse.

Etenim praeter innumera beneficia, minime dubia signa propensae in me voluntatis mihi immerito a Vobis impertita, (quae, ne vos iratos habeam, silentio premo vestrae modestiae litans) Tu elegantibus et humanissimis latinis litteris invitasti me, ut Italiae aeternum vale dicerem, Bruxellas contenderem, et ad aedes migrarem tuas. Quod ut mihi efficacius persuaderes, ajebas, convicturum me in consortio duorum coelibem vitam agentium, Tui nempe, et carissimi sororis filii D.D. Caroli a Serna, quem alias noveram in adolescentia, post ingratiis, et aegerrime relictum vitae genus, natalibus, ingenio, et puerili educatione sua dignum, sub tua disciplina insigniter eruditum. Addebas, in aedibus tuis me habiturum (quod me maxime allecturum putasti, ut Tibi morem gererem) bibliothecam ad 15 millia voluminibus variarum Disciplinarum instructam, in qua aviditas, et sitis mea legendi posset affatim expleri, meque deesse et Tibi, et libris tuis pro tua singulari humanitate parum gnarus ingenii mei imbecillitatis affirmabas.

Inficiari non possum, mi SIMON ANTONI,

ad

ad hunc invitatum tam nobilem, tam suavem, tam liberalem, tam benevolum, me non parum fuisse commotum: quem continuo libentissime admisissem, impetrata Gratiosissimi Regis nostri Caroli indulgentia, et in viam pennato gradu, ut ait ille, me dedissem, si aetas mea, et valetudo jam fracta aliud non suasissent. Non sane, ut Belgium, ut Brunellas Urbem pulcherrimam, et nobilissimam inviserem, licet multi ad hanc principem urbem eo fine contendant, nec ut in bibliotheca tua, selectissimorum voluminum refertissima conquiescerem, sed ut Te amicum viderem: Te vivam bibliothecam consulerem, tuaque consuetudine, et doctis sermonibus fruerer, iisdemque plura discerem, quae ignoro, et doctus tandem tecum confabulando fierem, tuis praeceptionibus eruditus. Quaesivissem in Belgio, et Brunellis, quod me magis oblectaret, quam Brunellae ipsae, et quam universae Belgii Urbes laudatissimae: quod de Viris doctis, qui ex Hispania Romam olim se contulerunt, ut viderent, ac de facie T. Livium agnoscerent, narrat S. Hieronymus; Romae scilicet eos quaesivisse aliquid, quod praeter Romam mirarentur. Novi etenim, quibus eruditionis sacrae, et profanae divitiis abundes: quam multiplici disciplina ornatus sis, diu, noctuque versans, quantum gravissimae tuarum, et amicorum rerum curae sinunt, variarum linguarum, quas calles, docta volumina, totus intentus adnotandis, et ruminandis quae in antiquorum, et recentium Scriptorum Lucubrationibus legis: ut nihil addam de Manuscriptis innumeris praelo dignis, quae non si-

ne magnis expensis collegisti, Hispanorum Eruditorum in primis, quae curis, ut spero, tuis publicam lucem videbunt. Non enim cessas, Hispanorum Litteraturam, eorundem incuria, vel laudis haud sane laudabili contemptu apud exteros parum notam, in Belgio palam facere cum viris litterarum amatoribus communicans, et eis ostendens eorum maxime Lucubrationes, quae in dies tum prosa, tum versu per hosce annos in Italia prodeunt de argumentis minime protritis, quae Italorum Eruditorum commendationem, depositis antiquis praejudiciis de Hispanorum litteratura, quam in sola Scholastica subtilitate sitam putabant, sibi conciliarunt. Istorum Hispanorum, et aliorum, qui in Hispania versantur, Virorum doctissimorum nomine, Tibi pro tuis in eos studiis, et officiis, quas maximas possum, gratias habeo, et Deum enixe precor, ut Te, ut Tuos bonis omnibus cumulet, et incolumes servet, quo coepta vestra ad Hispaniae, et D. O. M. praesertim gloriam perficere, et ad felicem exitum perducere conatibus vestris bono publico intentis possitis. Interea me rebus Tuis addictissimum agnosce, et inter Tibi obsequentissimos numera. Bassani IX. Kal. Jul. *anno Christiano* CIƆIƆCCLXXXVII.

Q.

Q. MODERATI CENSORINI

AD LECTOREM

ANTIQUAE ROMANAE LITTERATURAE NOSCENDAE CUPIDUM

PRAEFATIO.

NOVUM tibi non accidet, Lector erudite, si forte alia Auctoris Opera in Hispania, et Italia edita legisti, quod tua nunc morer tempora in scenam prodiens ornatu Prologi, dum Auctor multis nominibus mihi conjunctissimus *Novum* hoc *Lexicon* in lucem edere statuit, virorum eruditorum, et Criticorum judicio in Theatro Litterario illud exponens. Functus namque hoc munere sum non semel, ut Auctori morem gererem post lectas ejus lucubrationes. Paucis abhinc annis Ferrariae prodiit *Specimen veteris Romanae Litteraturae deperditae, vel latentis*, cui nunc accedit ejusdem Auctoris *Lexicon* de hoc ipso argumento, sed valde diversa, licet ejusdem saporis continens; adeo ut Opus istud sit a praefato *Specimine* omnino diversum, possitque *Speciminis Auctarium*, seu *Supplementum* appellari. *Specimini* praefixi *Praefationem*, qua Operis varietatem, et Auctoris laborem in eo exarando luculenter exposui, complanando, et anteoccupando, quae illi Operi objectari poterant. Et quamvis inibi dicta huic *Novo Lexico* aptari queant; ea praetermitto, ne crambem recoquam, et ea praetermitti, si nonnulla excipias, Auctori placuit, quia in *Specimine* legi possunt. Auctor enim in animum indu-

xit,

xit, nova in hoc Opere tradere de Romanis antiquis Litteratis, et de rebus ad eos spectantibus ab Urbe condita ad Honorii Augusti excessum.

Non paucos recensuit Auctor in *Specimine*, qui per ea tempora doctrina, et scriptis editis noti erant; sed multos ex Ethnicis, et Christianis Litteratis, ne volumen in nimiam molem excresceret, minoresque hoc ipso essent editionis, et distractionis expensae, missos fecit, quorum eruditionem, vel scripta ab illis edita, quae nunc desiderantur, in hoc *Lexico* indicata tradit, ut item eorum, saltem plurimorum, vix nota nomina, ac res ad eos spectantes. Nonnullos in *Specimine* indicatos iterum promit in hoc *Lexico*, ut multa addat, quae in *Specimine* de illis non leguntur, quaeque te nosse non poenitebit, cum scitu sint dignissima, et parum obvia, ab Auctore non sine labore collecta ex Scriptoribus antiquis, et recentibus, qui ea obiter, et aliud agentes sparsimque tradiderunt. Huic labori laborem addens Indicem texuit accuratum ex ordine Litterarum Alphabeti (quod etiam in *Specimine* praestiterat) virorum eruditorum in vario Litteraturae genere, seu ad varias classes disciplinarum (*a*) spectantium, quorum instaurat memoriam, eo fine, ut siquid vel ex lectis in *Specimine*, aut in *Lexico*, vel aliunde notum, sed parum tenaciter memoriae infixum tibi placuerit in memoriam revocare (quod saepe in jam lectis accidit) ac altius menti infigere, valeas sine jactura temporis *Indicem* consulendo invenire.

Qui Indicem alicujus Operis texuerit, facile intelliget, quam aerumnosus hic labor sit: qui quamvis magnum ingenium non exposcat, ut non exposcit recondita in variis scriptis invenire; nemo non videt, eum, qui haec praestet, judicii, et laboris haud exigui lau-

(a) Id est Grammaticorum, Philosophorum, Theologorum, Oratorum, Jurisperitorum, Poetarum, Historicorum, Mathematicorum, insignium belli Ducum, Pictorum cet. cet.

laudem mereri. Hac contentus Auctor, ingenii commendationem non ambit. Quidquid autem de his sit, illud ego sine assentatoris nota affirmare audeo (quod nescio an Lectori probabitur) *Lexicon* istud, ut etiam *Specimen*, hujusmodi esse, ut si in eo tantundem ingenii inesset, quantum industriae, et laboris, abessetque verbis jactantia, posset Auctor illud Horatii *Epist.* 20. *lib.* 1. usurpare:

Libera per vacuum posui vestigia: cet.

posset itidem illud T. Lucretii Cari de se canere:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante

Trita solo: cet. quin tamen corollam exposcat, qua Poetarum tempora Musae ornare solent. Nemo enim ullus ex eruditis Scriptoribus, quos norim, aggressus fuerat e ruderibus Antiquitatis educere jamdiu sepultos, et paucis notos antiquos Romanos Litteratos, (non praetermissis doctis foeminis), qui olim in Romano Imperio eruditione floruerunt a Roma condita ad Honorii tempora: nemo indicare titulos, vel argumenta ab ipsis editarum lucubrationum, quae in obscuro jacent, aut penitus interciderunt: nemo demum in eorum patriam, nationem, Litterariam professionem, ingenium, doctrinam, eloquentiam, mores, munia ab ipsis vel cum laude, vel cum dedecore obita, resque alias ad eos spectantes inquirere, easdemque semel notas cum aliis communicare; quo fiat ut his in unum collectis, et posteritati traditis, ab oblivione vindicati antiqui Litterati, et ad vitam revocati videantur. Haec, inquam, nemo, quem noverim, sibi sumpsit inquirere. Non quod cum felici exitu in id incumbere eorum vires, et industriam superaret; sed vel quia eorum menti, et animo non succurrit, hanc ornare Spartam, vel quia id exequi nimis operosum putarunt, vel quia, ut arbitror, aliis majoris momenti, et altioris indaginis cum spe uberioris fructus, et laudis intenti, studia sua alio divertere noluerunt. Nisi si dicatur, veteri religione tactos non fuisse ausos priscorum Litteratorum, placide in sepul-

pulcris (*a*) quiescentium Manibus curiosis perquisitionibus creare molestiam, et idcirco, ne sepulcra quidem, in quibus illi cum Operum suorum thesauris siti erant, quaerere, et scrutari voluerunt; licet Tullius in *Tusculanis* gloriosum sibi ducat, Archimedis sepulcrum olim ignotum Syracusis in Sicilia invenisse, et aliis manifestasse.

Ast cum diversae, et variae sint hominum de rebus sententiae, varia ingenia, et studia; visum fuit Auctori, ut otium falleret, et ne nihil ageret, ad improbum hunc laborem sese accingere: primum in *Specimine*, et modo in hoc *Novo Lexico* (in quo saepe Lectorem remittit ad *Specimen*) adhibita indefessa, et jugi antiquorum, et recentium Auctorum lectione, qua edoctus posset, virorum fama doctrinae, et scriptis de variis argumentis olim notissimorum, et pene oblitorum instaurare memoriam, et quodammodo eis novam vitam impertiri. Quibus rationibus ad id praestandum inductus Auctor fuerit, fuse exposui in *Praefatione*, *Specimini* praefixa, quam *Anteoccupationem* etiam inscripsi. Eas qui scire discupiat, in illa *Praefatione* legere poterit, quae continet consilia mihi exploratissima Auctoris. Illud non silebo, Auctorem, *Specimen*, et *Lexicon* eo fine lucubrasse, ut rem Litterariam priscorum Romanorum vel deperditam, vel latentem notam faciendo, magis ac magis augeatur, et illustretur antiqua Romanorum Historia, quae, hac parte Litteraria neglecta, imperfecta, et manca erat. Quantum autem ornamenti et gloriae Romanis sit accessurum hac Historiae portione non praetermissa, praesertim si Auctorum aliorum, quorum non meminit Auctor, notitia augeatur, non est cur multis persequar; cum satis constet, Romanis non minus gloriosum esse,

(a) Apud priscos Romanos, et ut puto, inter Graecos *loca Religiosa habebantur Fana*, *urbis Moenia*, *et sepulcra*, quae violare nefas erat. Vide *Sepulcrum* in S. In Concilio Eliberitano ante Nicaenum celebrato haec leguntur *Can.* 34. *Cereos placuit per diem in Coemeterio non accendi: inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt.*

esse, quod litteras impense inter tot curas publicas, et privatas excoluerint, quam quod bella strenue gesserint: nec magis eos commendandos, eo quod barbaras nationes subegerint, deque illis triumpharint, quam quod eas legibus, artibus, et ingenuis disciplinis informarint; cum, teste C. J. Caesare Litterariae gloriae, et bellicae cupientissimo, M. Tul. Ciceronis doctrina, et eloquentia, quas in ejus Operibus mirabatur, majorem ei attulerint gloriam, quam militares omnes triumphi, qui insignes Romanos Duces, et ipsum Caesarem decorarunt. Quin etiam addere non dubitarit, Tullii ingenium par Romano Imperio haud immerito aestimandum.

Romanos autem appello, quod in *Speciminis Praefatione* me dixisse memini, quotquot in Romano Imperio sub Romanorum dominatione vivebant. Totum quippe Romanum Imperium, teste Sidonio Apollinare, Roma erat; praesertim postquam Jus Romanae civitatis cunctis Romani Imperii Provinciarum incolis, servis, ac peregrinis exceptis, fuit impertitum. Cum Sidonio consentit Rutilius Poeta in *Itinerario* canens de Romano populo:

Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quae prius Orbis erat:

ut mittam illud Nasonis *lib.* 2. *Fastorum*

Gentibus est aliis data tellus limite certo;
Romanae spatium est urbis, et orbis idem.

Jam vero, quoniam ea, quae consulto in *Specimine* praetermisit Auctor, quemadmodum ipse in fine *Speciminis* testatur Phaedri versus illos adducens

Supersunt mihi quae scribam, sed pareo sciens: cet. sunt aeque nosci digna, ac quae in *Specimine* sunt tradita; operae pretium, et rem Lectori gratam me facturum putavi, si ea ex Auctoris pressis schedis desumta colligerem, ordinarem, et *Novo* hoc *Lexico* typis data tecum communicarem, ne labor in his colligendis, et ordinandis positus frustra sit, utque possis de multis in *Specimine* memoratis pleniorem habere

notitiam, aliosque multos antiquos Romanos Litteratos, in *Specimine* non indicatos, noscere. Hi autem in *Specimine* recensitis additi numerum ad bina millia, et supra 300, nisi si fallor, augent, quorum *Lucubrationes* de argumentis variis, ad ingenuas disciplinas spectantibus, quae adhuc latent, vel sunt deperditae, tibi innotescent, et in te, vel in eruditis aliis, qui eas noverint, desiderium forsitan accendent eas quaerendi. Id si contingeret, et desiderata Opera apparerent, ut nonnullorum virorum eruditorum diligentia, vel fortuna sunt inventa alia, quorum lectione nunc frui licet, cum antea laterent; ingens incrementum rei Litterariae accederet, magnusque fructus ex inventis perciperetur non sine commendatione eorum, qui hosce thesauros invenissent, excutiendo, et evolvendo Manuscripta, quae intacta in tabulariis, et bibliothecis computrescunt.

Quod si labor modo susceptus ab Auctore aliquot retro seculis a viris eo doctioribus, et diligentioribus impensus fuisset; nullus dubito, quin innumera, quae latent adhuc, vel interciderunt, Opera fuissent inventa; cum tunc nondum vel discerpta, vel incendiis, aut alluvionibus corrupta, vel a blattis, tineisque muribusve corrosa, nondum demum tam, ut nunc, ob fugientes, vel usitatis dissimiles characteres lectu difficilia extitissent. Illud viris Litteratis mirum, quod multa antiquorum Romanorum Opera, quae instauratis litteris exstabant, et legebantur, nunc non compareant in hac luce Litterarum. Talia sunt *Libri* Ciceronis *de Gloria* a Petrarca lecti: integra Titi Livii *Historia*, quae, si fides habenda Bailio, tempore Leonis X. Pont. Romani exstabat in Canonicorum Magdeburgensium Bibliotheca: integer Vellejus Paterculus in scriniis Monasterii S. Victoris Lutetiae Parisiorum, qui cum Manuscriptis aliis surreptus fuit: Nicostratus *de Senatu habendo* visus in Venetorum Arcanis a Ruscellajo, Florentinorum apud Venetos Legato: Caesaris Anti-Catones, qui legebantur Leodii: ita Ludovicus Vives

ex

ex testimonio Cardinalis Leodiensis. Omitto alia Opera consulens brevitati, ne tibi fastidium creem.

Ut vero Auctor palam faciat diligentiam, quam adhibuit in dandis, et asserendis tanquam minime dubiis, quae expromit, testes, ac vades pro traditis fere semper affert antiquos Auctores, quorum subsidio Scriptores vel ejusdem aetatis, vel illis antiquiores tunc lectos, et nunc veluti raros in vasto Antiquitatis gurgite nantes, ac pene jam mersos in littus educere sategit eorum sortem infelicem miseratus. Hi autem, si mens eis laeva non fuerit, magnam proculdubio sunt habituri Auctori gratiam, quod manus auxiliares, et beneficas eis porrexerit, eosque a praesenti oblivionis naufragio liberarit, vel liberare conatus fuerit; majorem, ut puto, habituri iis, qui non modo eorum nomina, et titulos editorum ab illis Operum, sed et eduxerint Opera ipsa in naufragio amissa, mercibus, et thesauris divitis Indiae multo pretiosiora.

Quoniam vero Auctor in *Specimine* praeter *Corollaria*, Historiam, et Litteraturam Romanorum antiquorum illustrantia, nonnullas addidit *Dissertationes* de rebus Romanorum parum discussis, et exploratis; Auctorem rogavi, ut si id genus quippiam lucubratum apud se haberet, quod posset opportune suis locis in *Lexico* inseri, vel in fine hujus *Lexici* dari, Antiquitatum Romanarum studiosis non invideret, sed cum illis communicaret. Ille ut mihi morem gereret, schedas suas excutiens, et scripta sua evolvens, nonnulla olim a se lucubrata invenit, quae, quia de rebus variis, et parum tritis, digna mihi sunt visa, in hoc *Novo Lexico* tradi: quo fiat, ut varietate, et novitate inductis, minus legenti insuave, ac pulchrius Opus istud evadat; cum experientia nos doceat, in Operibus Artis, et Naturae nihil pulchrum, atque gratum, quod varietate non reficiatur.

Praecipua autem, quae mihi *Lexicon* istud augere, et ornare cupienti tradidit, sequens pagina post Prae-

fationem indicabit. Inter ea typis dantur nonnullae *Dissertationes* de rebus, quae adhuc sub Judice sunt, et de quibus inter Criticos acriter litigatur. Auctor ad ardua nitens in multis a communi nunc temporis opinione recedit, eas rationes, et momenta afferens, quibus conciliare verisimilitudinem, et probabilitatem conatur iis, quae parum verisimilia, et probabilia nunc censentur, seu quorum caussa a Criticis hodiernis habetur, et aestimatur deplorata, ostenditque, nimis propere, et celere de illis esse judicatum. Quod an fuerit assecutus, Lectoris erit eruditi, et aequa lance sine studio partium omnia perpendentis arbitrari: saepe enim, ut Auctoris verbis utar, olitor est opportuna locutus, ac non semel evenit, scopum attingere minus in sagittando peritum. In *Paradoxis Philologicis* de *Vita*, *et Morte*, seu Interitu *Latinae linguae*, quae sub meo nomine olim vulgare illi placuit, virorum eruditorum calculo impetravit Auctor, ut quae de *Latina lingua* non incelebres Critici tanquam explorata, minimeque dubia, ut ipsis videbatur, tradiderant, non adeo certa esse, ut ipsi arbitrabantur, sed vel falsa, et perperam decisa, vel saltem amplius examinanda, demonstrarit: quo in spem venit, idem de iis, quae in disceptationem adducit (licet videri possit caussam deploratam tueri) post lectas, expensasque rationes suas tandem Lectorem aequum arbitraturum. In nonnullis judicium suum interponere non audet, sed ea in ambiguo relinquit. Novit enim rem arduam non minus esse dubiis fidem conciliare, quam vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam, et obscuris lucem afferre, et idcirco virorum se doctiorum decisionem, et majorem lucem exspectat. In iis autem, quae ipse opinatur, et probare satagit, ut neminem ullum ad sibi assentiendum cogit, sed integrum cuique judicium suum libenter permittit; ita jure suo ab aequis rerum aestimatoribus postulat, sibi concedi, ab aliis dissentire; cum in dubiis, et controversis, seu de quibus sub Judice liti-

ga-

gatur, in nullius verba juraverit, et aequitas postulet, ut hanc veniam demus, accipiamusque vicissim. Sapientissime namque more suo ajebat L. Annaeus Seneca, veritatem nondum esse occupatam, multumque ex ea posteris relictum.

Et sane multa, quae olim aut falsa, aut parum verisimilia visa sunt, hominum industria, et beneficio temporis (quod a Thalete sapientissimum vocatur) verissima nunc, vel valde probabilia habentur: quod olim de Antipodis, et Zona torrida loquens mihi videor ostendisse, ut non immerito Phaedrus praeceperit *Fabularum libro* 3. quod alibi affert Auctor:

Ergo exploranda est veritas multum prius,
Quam stulte prava judices sententia.

Multum Auctor tribuit tuae benignitati, erudite Lector. Eam meretur non solum ob susceptum laborem in rebus Litterariis pro captu suo promovendis, sed et ob intimos ejus sensus, animumque mihi penitus exploratos. Ita enim est animatus, ut quemadmodum ille aliorum opinionem, in caussis dubiis sibi non probatam, sine convicio, et Hipponacteo praeconio refellit, ita suas aliis non probatas refelli optat, ut Veri Imperium magis, ac magis protendatur. Quinimmo paratum eum esse scio, errata sua, a quocunque ea ipsi ostensa fuerint, fateri, et emendare. Nihil etenim gloriosius arbitratur, quam vinci a Ratione, et superari a Veritate. Pene exciderat mente Lectorem admonere: primum, non omnia quae optabat, et inquisivit Auctor de Litteratis Romanis antiquis invenire potuisse. Forsitan alius eo fortunatior, et diligentior, pluresque Scriptores, quos consulat, ad manus habens, quibus Auctor est destitutus, ea inveniet, et vulgabit. Alterum circa Orthographiam admonere succurrit. Notum est Lectoribus eruditis, quam magnae lites, et pugnae inter Criticos de Orthographia scribentes exortae fuerint; adeo ut nonnumquam ad lapidationem pro una littera vel apponenda, vel omittenda in vocabulo aliquo ventum sit. De hisce litibus constitutus

Judex non est *Lexici* hujus Auctor, et ut ostendat, se diversas contraria sentientium de re levicula sententias probabiles aestimare, nunc secundum unam, nunc secundum aliam vocabula, de quibus litigatur, scripta typis dat. Porro supina *Sumptum*: *Emptum*, et alia hujusmodi cum *p*, et sine *p* in *Lexico* leges; verba item *Sepulcrum*, *Charus*, et similia cum, et sine adspiratione traduntur, ut item *Exul*, *Exilium*, *Exto* saepe cum *s* ante *x*, non semel amota *s* typis dantur, ut mittam alia, quae forsitan adnotabis. Nec plura, nisi ut aequi bonique consulas tam longam *Praefationem*, quam brevem facere poteris pauca legens. Vale.

PRAECIPUA,

QUAE IN HOC *LEXICO* SPARSIM TRADUNTUR.

I. *Brevis notitia, et Judicium de antiquis Romanis Litteratis tum Ethnicis, tum Christianae professionis etiam minus notis, quorum Opera in publicis, et privatis Romanorum Bibliothecis ante Honorii excessum legebantur, allatis eorum nominibus, et rebus secundum litterarum ordinem.*

II. *Commentarius de rebus privatis, et domesticis M. Tullii Ciceronis, ejus fratris Quinti, et T. Pomponii Attici eorum affinis, et intimi amici, de quibus antiqui Historici non meminerunt.*

III. *Multa dicta ingeniosa, et docta Veterum Romanorum parum obvia, per* Lexicon *suis locis sparsa.*

IV. *Varii priscorum Romanorum Ritus, et Mores.*

V. *Nonnulla sparsim de eorum Virtutibus, et Vitiis.*

VI. *Fideles Sermones ad Philosophos nostri seculi, qui* Ingenia fortia *appellari amant, cum imbecillo admodum ingenio sint, et vera Sapientia destituti.*

VII. *Judicium de eorum Philosophia, et Doctrina, quibus illuminatum hoc seculum obscurare nituntur.*

VIII. *Dissertatio Politica, et Historica de Statu Politico a Romulo in Urbe ab ipso condita constituto: utrum nempe Monarchicus fuerit, an Democraticus, seu Popularis?*

IX. *Dissertatio Historico-Theologica de duplici M. Constantini Baptismate: Romano uno: Nicomediensi altero.*

X. *Dissertatio Historico-Theologica: Utrum Christiani Imperatores usque ad Gratianum primis Ecclesiae seculis sibi arrogantes, una cum ceteris praecipuis Magistratibus, Pontificatum Maximum Ethnicorum, vel hujus titulum, et insignia non repudiantes, violatores Christianae Professionis dicendi sint?*

XI. *Dissertatio Critica de Discrimine inter Dialecticam, et Rhetoricam a Veteribus Romanis exceltas, in qua falsa ostenditur communis, et vulgata de hac re opinio.*

XII. *Genus, et Progenies satis in Historia Romana implicata Octaviani Caesaris Augusti.*

XIII. *Genus, et Progenies Constantini Magni parum nota.*

INDEX
PRAECIPUORUM CONTENTORUM IN COROLLARIIS.

A

B

Bar-

C

D

Di-

Euse-

F

G

H

I

La-

L

M

Man-

N

Q

R

 ma-

S

Sce-

T

Vo-

A B

ABas, Militari arte clarus, et Nauticae peritus. Dux classis Licinii Imperatoris contra collegam suum Constantinum M., victus fuit in Hellesponto a Constantini classe, cui praeerat pro patre Crispus Caesar, primogenitus Constantini, magna cum strage, et navium, et militum Licinii, Christianorum persecutoris. Is post multa praelia per se, et per Duces suos infeliciter pugnata contra Constantinum, privatus purpura fuit, et vita anno Christiano 323 jussu Constantini, cui saepe insidias struxerat ad eum occidendum, ut solus imperaret.

S. *Abercius*, Episcopus Hieropolitanus post Papiam, arcessitus Romam fuit a M. Aurelio Antonino, ut ejus filiam, *Lucillam* arreptitiam, a daemone liberaret. Noverat namque Imperator, ea virtute *Abercium* praeditum esse. Liberavit a daemone *Lucillam*, et ob hoc donatus fuit ab Imperatore frumento annuo, pauperibus Hieropolitanis, qui fere omnes Christiani erant, erogando. Scripsit ad M. Aurelium *Epist.* quae, ut puto, apologetica erat pro Christi religione. Eam habuit Baronius pro magno dono a Card. Sirleto, Bibliothecae Vaticanae Praef. ei traditam. Verum e manibus casu elapsam, postea invenire non potuit, eandemque promittit edere, si invenerit, Vide Baronium ad an. Christi 163.

Abidas, Astrologus, confutatus a Bardesane Edessano, contra fatum scribente. Ita S. Epiphanius *Haeres.* 56. *Abidae* scripta astrologica latent.

Ablavius, Senator scripsit *de gentis Gothorum Origine*, ex quo, et aliis antiquis plura hausit Jornandes, seu Jordanus, Ravennatum Episcopus, qui *Chronicon*, seu *Historiam Gothorum* edidit, in Epitomen redigens, quae Cassiod. 12 libris scripserat de eodem argumento. Quisnam, et quo tempore floruerit hic *Ablavius*? non liquet. Forsitan fuit ex stirpe *Ablavii*, qui praecipuus Constantini M. Administer fuit: de quo in *Specimine* verbo *Ablavius*.

Acacius, *Luscus* dictus, Eusebii Caesareensis discipulus, et in Episcopatu successor, vir doctus, et eloquens, sed Arianus vaferrimus, et Eusebiis addictissimus. Ejus Opera, memorata a S. Hieronymo, Socrate, et Sozomeno sunt *Vita Eusebii Caesareensis* : *septemdecim volumina in Ecclesiastem*, et alii Tractatus. Ex his Operibus pauca supersunt. S. Athanasius de eo scripsit, fuisse ad omnem impietatem audacissimum. Obiit *Acacius* anno Christi *366.* Sunt qui ei tribuant *4. libros Vitae Constantini* vulgatos sub nomine magistri sui. Sunt item qui opinentur, eum fuisse Presbyterum illum commendatum Constantino M. a sorore Constantia, morti proxima, et cui Constantinus credidit testamentum, tradendum post excessum suum filiis, illudque tradidisse Constantio, vitiatum in favorem Constantii, ut ejus benevolentiam captaret, et ut faveret Arianis: quod impetravit. Ejus instigatione Constantius Liberium Papam in exsilium misit, et in ejus locum suffecit Felicem, antea Arianum, vel Arianorum amicum; qui tamen Papa creatus Constantium haereticum declaravit.

Accusatores. Romae in libera Repub. publicorum *Accusatorum* apud Judices, et Populum munere fungebantur Oratores, quorum *Orationes* in criminosos *Actiones* dicebantur. Quo autem differret *Actio* a Concione, tradit Gellius *l.* 13. *c.* 14. *Noctium*. Nunc munus *Accusatoris* in judicio ad Fisci Advocatos, seu *Fiscales* Regios spectat: quod munus viri experti, docti et prudentes exercent. Vide Bartolum in *Symbolis lib.* 2. §. 2., et Verbo *Delatores* in *D.*

Actius in *Didascalico* (quod opus desideratur) citatur a Gellio *l.* 3. *c.* 11., ubi de Homeri, et Hesiodi aetate. Illic ait Gellius, *Actium* levibus nixum rationibus Homerum fecisse Hesiodo natu minorem. Citatur alibi a Gellio in *Pelopidis*, qui titulus Comoediae, vel Tragoediae erat, quae desideratur.

Actius (L.) Pisaurensis Orator, accusavit Cluentium, defensum a Cicerone. *Actii Oratio* desideratur.

Actius, Comoedus, his posterior, videtur servus fuisse, quem manumittere Tiberius coactus est. Vide Suetonium in *Tiberio cap.* 47. De aliis *Actiis*, vel *Acciis*, vide in *Specimine*.

Acuticus (M.), Comoediographus, cui Varro tribuit nonnullas *Comoedias*, quae Plauto adscribebantur. Vide de eo in *Specimine*.

Acutus (Philonides) Medicus, qui sub Augusto floruit, et citatur a Plinio in *Historia Naturali*.

Ada-

Adamantius, cujus praenomen varie traditur (nam alii eum *Martyrem*, alii *Martyrium* appellant) citatur a Cassiodoro, de *Orthographia* scribente. Videtur auctor satis antiquus; sed cujus fuerit aetatis? non indicatur a Cassiodoro, nec a Justo Lipsio, in cujus Operibus eum citatum vidi.

Adimantus, Manetis discipulus. Contra eum *librum* edidit S. Augustinus, in quo *Veteris Testamenti* loca cum locis *Novi* erudite conciliat. Ex quo intelligere licet, *Adimantum* libro aliquo edito, qui latet, oppositionem Veteris cum Novo Testamento objecisse Catholicis.

Adrianus, Rom. Imperator (de quo multa in *Specimine*) sancivit, ne servi a dominis privata auctoritate necarentur; sed cognita causa, a Judicibus punirentur, si convicti essent: De *Adriano* quodam juvene, recitante *Orationem*, ab eo compositam, dixit Herodes Atticus, qui eam audierat, se vidisse in compositione illius juvenis *magni fragmenta Colossi*. Ita Philostr. in *Vitis Sophistarum*. Forsitan hic juvenis fuit *Adrianus* postea Imperator, qui magnus Colossus in doctrina fuit. Evectus ad Imperium dicere in Senatu, et in Concionibus solebat: ita se Rempub. gesturum, ut non oblivisceretur, rem, de qua curabat, populi esse, non propriam: quo sibi amorem conciliavit subditorum. Quam ob rem studuerit *Opera Homeri* supprimere, ac ejus memoriam abolere? ignoro. De sepulchro ei Romae constructo, quod *Moles Adriani* appellatur, deque ejus magnifico ornatu ex 700. statuis, et columnis marmoreis pretiosissimis, vide Scriptores *Antiquitatum Romanarum*. Moles Adriani nunc Arx Romana, quae *Castellum S. Angeli* appellatur, carcer est reorum Majestatis. De ea mole agunt Spartianus, et Procopius in suis *Historiis*, ut etiam Platina in *Vita Paulli Secundi Pont. Romani*, cujus jussu in dictum carcerem inclusus fuit, ibidemque tortus, ut ipse ait, iniquissime.

COROLLARIUM.

Adulatores. Romani, amissa pristina libertate, viles *Adulatores* Caesarum, et familiarium fuerunt, Graecos imitati. Plutarchus in insigni *Tractatu de Discrimine inter Amicum, et Adulatorem* scripsit: *Non simplex, et unus, sed multiformis, et varius, in aliam ex alia effigie se convertens, est Adulator*. Vide *Laus in L.* Seneca in *Praef.* ad *lib.* 4. *Quaestionum Naturalium* affert Demetrii Phil. dictum de *Adulatore*, legi dignum. Diogenes interrogatus, cujus animalis morsus esset pejor? respondit: animalis ferocis morsum, omnium nocentissi-

mum, esse *Dictum maledici*; blandi autem, mortiferum morsum, esse *Dictum Adulatoris*. Horatius *Ep.* 19. *lib.* 1. magno cum judicio disserit de *Adulatore*, et nimis libero monitore. *De Adulatoribus*, et de nimio in alios amore excaecatis, dicitur, rerum nomina in contrariam significationem immutare: quod de Obtrectatoribus dici etiam potest. Vide Senecam *Epistola* 45. Juvenalis *Satyra* 8. haec habet:

Nanum cujusdam Atalanta vocamus:
Æthiopem cygnum: parvam, extortamque puellam,
Europen: canibus pigris, scabieque vetustis,
Lævibus, & siccis lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit Pardus, Tygris, Leo ....

Similia cecinit Horatius de Patre nimium amante filios. Vide Coelium Rhodiginum *l.* 20. *Lectionum Antiquarum c.* 33., ubi de damnis, et vitio *Adulationis*. Multa etiam Sen. in citata *Praef.* De Admonitore, et opportuna Admonitione agit Seneca *Ep.* 95. et Daniel Bartolus in *Geographia*, ubi de *Anticyra*.

Advocati Romani, Causidici, et Oratores forenses legem Cinciam instaurari aegre ferentes, eamque antiquari omnino cupientes, exponebant in senatu, se rei familiaris curam omittere, ut parati essent ad defendendos clientes, et cives servandos, eis patrocinando: ac sublatis praemiis, et mercede pro labore suo secundum legem illam, litterarum studia, ut inutilia, et indecora desertum iri. Ita Tacitus *lib.* 1. *Annalium*. Vide *Suillius* in *S.* Quintilianus *l.* 12. *cap.* 8. non improbat aliquid accipere a clientibus in grati animi signum pro suscepto labore a patronis. Cicero valde religiose legem Cinciam observabat; adeo, ut timeret, ne contra eam legem peccaret, acceptando libros, sibi dono datos a fratre clientis, qui moriens fratri eos legaverat, ut constat ex *Epistola* quadam Ciceronis ad Atticum, vel ad Quintum Fratrem. De *Advocatorum* fraudibus, et recta muneris functione, vide *Epistolas* 38, et 39 Trajani Boccalini, legi dignissimas. Vide *Oratores* in *Specimine*.

A E

Aegyptii. Quid de his Romani sentirent? Vide Coelium Rhodiginum *Lectionum Antiquarum l.* 16. *c.* 3, ubi virtutes, et vitia *Aegyptiorum*. Romani Apim, et Serapidem, praecipuos Aegyptiorum Deos, adorarunt, licet de Aegyptiis pessime sentirent, eorumque superstitiosos ritus sugillarent. Multa de eis in Sacris Litteris. Eorum superstitionem ridet Juvenalis *Satyra* 15. canens:

Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam.

Por-

Porrum, aut caepe nefas violare, aut frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina . . . . .

Ast *Aegyptii* poterant Romanos ridere, et cavillari, eo quod in Fabrorum, et Pictorum officinis eorum Numina nascerentur sine ullo vitae sensu ex lignis, et metallis, ac ex tabulis, et coloribus. Lactantius de *Falsa Relig. lib.* 1. ait, magis ridiculos Romanos esse portentis, quae colunt, quam *Aegyptios*. Quamvis *Aegyptii* essent in multis Disciplinis, et Artibus eruditi, a Musica abhorruisse dicuntur, quia virorum animos effoeminabat. Ita Diodorus Siculus *Biblioth. lib.* 2. De fabulosa eorum antiquitate, vide Sacros Expositores, et Chronologos. De ritu circumcidendi recens natos, an Hebraei ex illis, vel illi ex Hebraeis eum acceperint? vide Calmeti *tom.* 1. *Dissert.* ubi legitur, ab *Aegyptiis* etiam foeminas circumcisas: quod etiam tradit Coelius Rhodiginus in *Lectionibus Antiquis*. Medici *Aegyptii* ad sanandos a lepra reges suos, lepra infectos, praescribebant balnea ex puerorum sanguine. Si Constantinus M. lepra fuit correptus, quod accidere illi potuit ex commercio cum Aegyptiis, et Asiaticis, qui huic morbo valde obnoxii erant; nihil mirum, ei praescriptum a Medicis *Aegyptiis*, qui Romae arte sua florebant, balneum ex puerorum sanguine. Vide Plinium *lib.* 26. *c.* 1. Vide alia in *Specimine*.

Aemilius, Consul fuit una cum C. Fabricio, quo tempore Pyrrhus, Epirotarum rex, bello Romanos vexabat. Ad eum, et collegam ivit *Nicias* (*a*) quidam, Pyrrhi familiaris (a Valerio Antiate *Timochares* appellatur, et forsitan utroque nomine notus) mercedem postulans pro necando Pyrrho, propinato ei veneno, quod gratum Romanis putabat fore. Indignati Consules in proditorem, ad Pyrrhum remiserunt vinctum *Niciam*, scribentes Pyrrho, intentatam ab eo proditionem, seque non dolo, sed armis solitos, et aperto Marte pugnare: eumque monebant, ut sibi caveret ab insidiis familiarium. Gellius *l.* 13. *c.* 8. affert *Epist.* ad Pyrrhum, cujus finis erat: *Tu nisi caveas, jacebis*. Haec ex Cl. Quadrigario: quae paullo aliter narrantur a Valerio Antiate in sua *Historia*. Pyrrhus miratus aequitatem, et constantiam Romanorum, ferociam deposuit, ac spem Romanos vincendi. Tandem fuit a Romanis superatus, ut etiam Tarentini, in quorum auxilium pugnabat Pyrrhus. De aliis *Aemiliis* vide in *Specimine*. Vide item V. *Emilius* in E.

(a) Plutarchus tradit hunc *Niciam* Pyrrhi Medicum fuisse. Alii Patrem Medici dicunt, vel Pincernam Pyrrhi.

Aenigmata proponi solebant a Romanis in conviviis, exemplo Graecorum, ab his exemplo Hebraeorum. Homerus dicitur, se in mare praecipitem dedisse, quia solvere nescivit *Aenigma*, sibi a piscatoribus propositum. In Sacris Litteris fit mentio *Aenigmatis* in convivio propositi a Samsone, qui *Aenigma* suum *Problema* appellabat. Vide *lib. Judicum cap.* 14. Vide item *Convivium* in C.

COROLLARIUM.

Aerarium Romanum. Ad hoc attulit *Helius* (forsitan *Helvius*) ex Hispania ulteriori, cui praefuit, argenti infecti 14 *millia pondo* 732, et signati Bigatorum 17 *mil.* 23. Argenti vero Ocensis 120 *mil.* 438. Possidonius narrat, M. Marcellum ex una Celtiberia, non maxima Hispaniae parte, attulisse in Aerarium ad 600. *talenta*. Plin. *lib.* 33. *H. N.* ait: *Vicena mil. pondo auri annis singulis Asturiam, Gallaeciam, Lusitaniam praestare quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat*. Vide alia in *Specimine* verbo *Aerarium*, et in *Lexico* hoc, verbo *Caesar*.

Aeschilus, Asiaticus Orator celebris fuit, quo cum exercebatur Cicero in *Oratoria*, cum Asiam peragrabat, ut ipse narrat.

Aesopus, Tragoedus, et Mimus Romae insignis. Hunc *familiarem nostrum* vocat Cic. *Ep.* 1. *lib.* 1. ad Quintum Fratrem, eum rogans, ut servum fugitivum *Aesopi* Licinium, Ephesi in carcere detentum, secum ex Asia Romam ducat, narratque ex servi fuga magno affectum dolore *Aesopum*. Vide de eo in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Aetas Civium Romanorum sic definita fuit, seu computata a Servio Tullo, Romanorum rege, in censu civium ab eo facto Romae. *Pueritiam* reputavit rex prudentissimus usque ad an. 17. atque inde Milites scribebat, quos aptos ad Militiam agnoscebat. *Juniores* appellabat usque ad *annum* 46. ac supra eum annum *Seniores*. Ita Tubero *l.* 1. *Historiarum* citatus a Gellio *lib.* 10. *c.* 28. *Noctium Atticarum*. Horatius in *Arte* recenset, quae sunt unicuique Aetati propria, quod ad mores attinet, a versu illo: *Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores*. De *Aetate*, in qua Romani primum sibi barbam radebant, vide Gellium *l.* 3. *cap.* 4. De longaeva multorum Aetate etiam post diluvium, et nostris temporibus, vide *librum* ex Anglo in Italum sermonem conversum, qui inscribitur: *Critica della*

mor-

morte, ovvero l'*Apologia della vita*, cujus Auctor de annis quibus vixerunt Seneca, et Galenus sine testibus ea tradit, quae viris doctis parum probantur. Menochius in *Storeis Centuria* 2. *c.* 10. varias de Nestoris annis opiniones adducit. Messia item in *Sylva Variae Lectionis cap.* 40. *Partis* 1. varias opiniones recenset circa divisionem humanae Aetatis. Vide *Seculum* in *S. Vita in V.* De *Aetatibus Latinae linguae*, vide in *Specimine*.

A F

Afer (Domitius), Orator Nemausensis patria, ex nimio cibo in coena sumpto, obiit. Ita Coelius Rhodiginus *l.* 9. *c.* 11. *Lectionum Antiq.* Unde haec hauserit? non dicit. Forsitan ex Dione Cassio *lib.* 59. ubi tradit eum Consulem sub Caligula fuisse. De eo multa in *Specimine*.

Afrania. De ea Valerius Maximus *l.* 8. *c.* 3. ait: *Tale monstrum magis quo tempore extinctum, quam quo sit ortum, memoria tradendum est*. Vide dicta de ea in *Specimine*. Videtur Valerius parum benigne haec scripsisse in foeminam non indoctam, licet nonnihil audacem, et Judicibus molestam, atque importunam, caussas agendo.

Africanus antiquior, Metelli proavus, fuit Censor: quod ignorasse Metellum miratur Cicero *lib.6. Epistola* 1. *ad Atticum*. De eo narrat Cicero *Epistola* 1. *lib.* 1. ad Quintum Fratrem, semper Xenophontis *Cyropaediam* in manibus habuisse. Vide *Scipio* in *S*.

Africanus (Julius), Orator, laudatus a Quintiliano *lib.* 10. *c.* 1. *Institutionum*, tamquam alter ex praestantissimis Oratoribus, quos viderat. Caussas agebat in foro una cum Domitio Afro. Utrum ex eadem familia fuerit *Julius Africanus* Christianus Historicus, anve idem fuerit, ex Ethnico Christianus factus? non liquet. Illud constat, eos parum disjunctos aetate fuisse. Vide de Christiano dicta in *Specimine*.

A G

Agabus, Christianus Propheta, Apostolorum aevo. De eo in *Actis Apostolorum c.* 21.

Agapius Philosophus Atheniensis, qui *Proclo* fuit aetate posterior, scripsit in *Hesiodum*, quod fecerat *Proclus*.

Agathangelus, a secretis, et Annalista Tyridatis, Armeniae regis. Armeniae Historiam, vel Annales edidit, cujus Opus autographum desideratur, quin sciatur, in qua lingua illud scripserit, et solum apographa supersunt. Narrabat, Tyridatem

Christianum factum, Romam ad Constantinum, et ad S. Silvestrum, cum Gregorio Illuminatore, Episcopo ivisse; foedus cum Constantino icisse, et S. Silvestrum Patriarcham Armenorum instituisse Gregorium, et Successores. Vide *Armenorum Historiam*, nuper editam, et Congregationi de Propaganda dicatam.

Aggenus, citatur a Manutio verbo *Rigor* in *Additam. ad Calepinum*, tanquam Scriptor de *Agrorum limitibus*. Videtur Auctor antiquus Romanus; sed cujus fuerit aetatis? non liquet.

Agrariae leges in favorem plebis Romanae, a Cajo Flaminio Praetore, a Gracchis, a Julio Caesare, et aliis latae multas turbas Romae excitarunt. Multae contra eas leges *Orationes* recitatae fuerunt, quae desiderantur.

Agricola. Ejus *Orationis* ad milites, victoriis in Britannia laetos, sententias affert Tacitus, ejus gener *lib.* 5. *Historiarum*. Vide alia multa de eo in *Specimine*.

Agrippa, Hebraeus, ex Romanorum carcere in Judaeae regem electus a Caligula, et confirmatus a Claudio Caesare fuit. Apud ipsum pro se oravit S. Paullus, qui de eo dicebat, scire Judaeorum consuetudines et quaestiones. De eodem addebat, Prophetis credere. Vide in *Actis Apostolorum cap.* 25. et 26. Hic *Agrippa* occidit S. Jacobum, S. Joannis fratrem. Ipse autem, ut Deus, postquam concionem habuisset, Caesaraeae salutatus, 5. post die interiit, a vermibus corrosus (*a*). De Menennio Agrippa, antiquo Oratore, et Marco Vipsanio Agrippa, Augusti genero: Vide in *Specimine*.

Agrippina, uxor Germanici, et nurus Tiberii, foemina lectissima, et mariti occisi amantissima, in Pandatariam relegata a Tiberio fuit, et tandem occisa, quia nimium mariti occisi memor. Vide *Germanicus*, et *Piso* in *Specimine*.

Agrippina, Neronis mater (de qua in *Specimine*) primum Domitio nupta, ex quo Nero: deinde Crispo Passieno, Oratori, et Senatori ditissimo, quem veneno e medio sustulisse dicitur, ut ejus bona vitricus Nero possideret. Post hos Claudio Caesari nupta fuit. Praeter necem Britannici, et Claudii ei tribuit Dio Cassius Lolliae Paulinae necem, quia spem habuerat nuptiarum cum Claudio.

Agrippinus, Philosophus, Encomia scribebat calamitatum, quae ipsi accidebant. Ita Epictetus teste Stobaeo *Serm.* 48. Ea *Encomia* desiderantur.

Al-

(a) Vide *cap.* 12. *Actuum Apostolorum*.

Albinus (aliis *Albanus*), magnus foenerator et negotiator, atque adeo Arithmeticae valde peritus, et mercatoriae artis, in quibus filium erudiebat. Vide Horatium in *Arte*.

Albinus (A.), Praetor primum, deinde Consul cum Luculli avo. Doctum hominem eum appellat Cicero in *Lucullo*, memorans, Historias eum Graece scripsisse. Vide de eo alia in *Specimine*, ubi de multis ejusdem nominis agitur.

Albutius, non obscurus Rhetorices Professor, et Auctor, a Quintiliano memoratus *lib.* 2. *c.* 15. De eo in *Specimine*.

Alenius (L.) transcripsit Tabulas publicas, 6 Primorum Chirographum imitatus. Ita Cicero *lib.* 3. *de Natura Deorum*.

Allienus, Orator, alter ex subscriptoribus in caussa Verris. Eum cavillatur Cicero in prima *Verrina*, robustum in clamando *Allienum* appellans: quo indicavit, quid de *Oratoria* ejus Arte sentiret.

Alexander (Aurelius), optimus Haruspex, excellens Augur, Musicus insignis, Orator eloquentissimus, et eruditissimus solebat in convivio vel legentes audire, vel ipse recitare. Ita Ravisius. Unde id acceperit, et cujus ille fuerit aetatis? non dicit.

Alexander (Severus), Imperator Romanus. De eo testatur Lampridius, se privatim exercuisse in Musica, et Pictura, ac festis diebus oblectari solitum adspectu pugnae perdicum cum canibus. Cum aliquos in Provincias Praesides mittere decreverat, eorum nomina publice proponebat, ut siquis crimen aliquod eorum compertum haberet, exponeret: dicebatque, hac in re imitandos Christianos in Sacerdotibus eligendis; cum Provinciarum rectoribus fortunae, et capita provincialium commissa essent. Nullam tulit legem sine consilio virorum doctissimorum, qui Papiniani, Jurisconsulti insignis, discipuli fuerant, quos inter recensentur a Lampridio Fabius Sabinus, Ulpianus, Gordianus, postea Caesar, Julius Paullus, Venatus, celebris Orator, Alfenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, quorum fragmenta sunt in *Pandectis*. Secum habuit viros alios doctrina claros, ut Catilum Severum, sororis suae maritum, Aelium Seremanum, Quintilium, Cajum Marcellum, Historicum egregium. Dicere solebat, militem contentum non esse, nisi cum est bene vestitus, satur, et aliquid habens in zonula. Vide alia de eo in *Specimine*.

Alexander, malus Poeta, negligens, et ineptus; sed tamen non

non inutilis. Ita Cicero ad Atticum *lib.* 2. *Epistola* 20. *et* 22., qui *libros Alexandri*, jam lectos, Attico reddebat. Quo de argumento essent? non dicit. Hi *libri* desiderantur.

Alexander, Aphrodisiensis Philosophus Peripateticus, qui florebat circa annum Christi 200. scripsit *contra Fatum* ex mente Aristotelis ad Severum, et Caracallam, Romanorum Imperatores. Laudatur ab Eusebio Caesareensi de *Praeparatione Evangelica*.

Alexander, Philosophus, *Carbonarius* dictus, eo quod, ad calcandum fastum philosophicum, carbonarius sua sponte factus fuerit, Comanae civitatis ordinatus Episcopus a S. Gregorio Thaumaturgo, Martyr flammis traditus ad coelum migravit. Ita S. Gregorius Nyssenus.

Alexander, *Pelo-Plato* dictus, quia male interpretatus Platonem, Seleucus patria, Romae docuit sub Marco Aurelio Imperatore. Erat facie pulcherrimus. Ita Philostratus in *Vitis Sophistarum*. Ejus *Commentarii* desiderantur. Vide in *Specimine* de aliis viris doctis ejusdem nominis.

Alexinus, molestus, sed minutus Philosophus qui contortis, et aculeatis sophismatibus utebatur. Ita Cicero in *Lucullo*.

Alexio, excellens Medicus Ciceroni in primis charus ob suam humanitatem, et suavitatem. Improviso morbo oppressus obiit, licet valde in victu, et vita temperans. De eo loquitur Cicero *lib.* 15. *Epistola* 1. ad Atticum. De eodem, deque ejus testamento (de quo erat sollicitus) loquitur etiam *Epistola* 2. et 3. Certiorem se factum de testamento indicat in aliis *Epistolis*. Forsitan expectabat Cicero, se heredem ab eo nuncupari.

Alexis, ut arbitror, Ciceronis libertus, quem aegrum Romam Cicero remisit, videtur litteratus fuisse; eum enim imaginem Tironis doctissimi appellat *Epistola* 9. *lib.* 12. ad *Atticum*.

Alimentus (Lucius Cincius) Vide *Cincius*, in C, ubi de strage Exercitus Hannibalis in transitu per Alpium juga, audita ex ore Hannibalis a *Lucio Cincio Alimento*, cujus narrationem citat Livius, a se lectam: forsitan in *Opere Alimenti de re militari*, quod desideratur. Vide de eo in *Specimine*.

Alfius, Vir Praetorius, ut Cicero indicat, citans ejus de *Majestate Edictum Epistola* 1. ad Quintum Fratrem, ubi de Gabinio accusato, qui concursu, et odio populi pene afflictus fuit. In sequenti *Epistola* multa addit de Gabinio, quem accusare noluit, ne Pompejum offenderet, licet multi id ei suaderent, inter quos Sallustius.

Am-

Ambigua verba. His Romani utebantur cum plausu. Vide eorum usum in Plauti versibus verbo *Solarium*.

Corollarium.

Ambitus. Apud Romanos erant leges gravissimae contra *Ambitum*, cujus Rei agebantur, qui muneribus, aut pecunia suffragia ad Magistratus obtinendos procurabant. Multi a Competitoribus *Ambitus* solebant accusari. Quam timida sit *Ambitio*, et Consulatus cupiditas? vide Ciceronem in *Oratione pro Milone*.

S. *Ambrosius* dicitur combussisse *Horatii libros* propter fabulas, et obscuritatem. Forsitan propter versus impudicos: quod videtur verosimilius. De eo vide in *Specimine* alia.

Ambrosius, Alexandrinus, cujus hortatu Origenes contra Celsum scripsit, ab haeresi Valentini, et Marcionis per Origenem ad Ecclesiam reductus fuit. Is facultatibus, quibus abundabat, generose alebat non paucos librarios, qui Origenis Opera exscriberent.

Corollarium.

Amici. Vulgatum proverbium inter Romanos fuit: *Amicorum communia omnia esse*, quod ex Graecis acceperunt. Hoc in ore semper habebat *Candidus* quidam Martialis tempore, sed ipse nihil dabat amicis. In eum est Martialis *Epigramma* satis acutum *lib.* 2. Eo proverbio probabat Socrates, Virum probum, quia amicus Dei est, esse omnium Dominum. Vide Ciceronem de *Amicitia*.

Ammon, Adrianopolitanus, de *Resurrectione mortuorum* scripsit. Ita Sanctus Maximus in *Commentario* ad Areopagitae Coelestem Hierarchiam. Hunc diversum censeo ab Ammone Geometra, de quo in *Specimine*.

Amulius, gravis, et severus, idemque floridus Pictor, cujus erat Minerva, spectantem spectans. Paucis horis diei pingebat: id quoque cum gravitate: quod semper togatus, quamquam in machinis. Ita Plinius *libro* 35. Vivebat Romae parum ante Plinium.

S. *Amphilochius*, Cappadox, Iconiensis Episcopus. Laudatur ejus eruditio, et doctrina a Sancto Hieronymo in *Epistola ad Magnum*. Floruit sub Theodosio Magno, quem excitavit ad non tolerandos Arianos in Romano Imperio.

Ana-

Anagnostae. Erant inter Romanos *Anagnostae*, sive lectores, qui publice legebant Poetarum Opera. Vide Gellium *libro* 18. *capite* 5. Ubi de *Anagnoste* non indocto, legente ad populum *librum* 7. *Annalium Ennii*, in quo legebat *Quadrupes equus*, cum legere debuisset *Eques*, ut inveniebatur, teste Juliano, (qui illic aderat cum Gellio) in antiquis Exemplaribus *Ennii*. Antiqui enim pro Equo indifferenter *Equum*, et *Equitem* dicebant, ut constat ex Lucilio, et aliis. Idemque invenit Gellius in antiquo Exemplari, quod consuluit. Vide *Anagnostae in Specimine*.

Anatome. Ejus ope multa, antiquis Medicis Romanis ignota, in corpore humano sunt inventa, scitu digna. Vide Bartolum in *Symbolis libro* 1. §. 15. ubi de *sanguinis circuitu* invento disserit. Vide etiam *Herofilus* in H. *De praeclaris Anatomicis*, ait Baco a Verulamio, neminem ullum inventum, qui Atheus esset, cum Corporis humani structura sit Supremi Numinis, et ejus Providentiae demonstratio. Galenus de *Usu partium* humani Corporis disserens, ut Christianus de Deo loqui videtur.

Andragathius, Vir doctissimus, Sancti Joannis Chrysostomi in Philosophia Magister Athenis, vel Antiochiae. An scripta reliquerit? ignoro.

S. *Andreas* Apostolus. De ejus passione et sermone ad AEgeam Romanum Proconsulem scripserunt Presbyteri, et Diaconi Achajae. Illud notandum, quod Sanctus Petrus, et Sanctus Andreas, fratres, cruci fuerunt affixi, ut optabant; quo similes Christo in morte fierent.

Androdus, servus, a leone, cui in Romano Amphitheatro laniandus traditus a Judicibus erat, servatus fuit. Docuit leo homines grato animo esse in benefactores, et beneficiorum non oblivisci. Historiam narrat Gellius *lib.* 5. *cap.* 14. ex Appione, oculato teste, de *Androdo*, et leone, legi dignam. Ea ostenditur, homines posse ex belluis humanitatem addiscere.

S. *Anicetus*, Pontifex Romanae Ecclesiae, et Martyr sub Marco Aurelio, natione Syrus. Sancivit ne Clerici comam nutrirent. Vixit in Pontificatu *an.* 8. *mens.* 8. *dies* 24.

Anicetus, Paedagogus Neronis, falsus testis contra Octaviam, Claudii filiam, Neronis uxorem. Vide Suetonium in *Nerone*: ubi de repudio Octaviae et nece, ac cum Poppaea nuptiis. Emendandum in *Specimine*, quod dixi Verbo *Seneca*, Octaviam post Senecam necatam fuisse.

Ani-

Animalia ferocia Romae arte domita pro Spectaculis : vide *Mansuetarii* in M, Menochium *Cent.* 2. *c.* 98. et *Bruta* in *B*, ubi quae de Elephanto illic narrantur, ostendunt Romanorum Magistrorum industriam, et curam in brutis Animalibus docendis.

COROLLARIUM.

Animus. Cicero in *Dial. de Amicitia* sub Laelii persona testatur, opinionem de *Animorum mortalitate* novam esse. Vel mendax igitur, vel valde ignarus dicendus est Philosophus nostri seculi, Auctor infelicis *Tractatus de Vita felici*, affirmans in eo, novam esse opinionem de *Animorum immortalitate*. *Animi* remissio laudatur a Lucio Annaeo Seneca *lib.* 1. *c. ult. de Tranquillitate Vitae*, exemplo Socratis, ludentis cum pueris, Catonis, Scipionis, et aliorum. Vide *Augustus*.

Antias (Valerius) citatur a Gellio *l.* 7. *c.* 19. ut narrans contra veteres *Annales*, factum quoddam de Scipione Africano, peculatus damnato, et in carcerem duci caepto, postquam triumpharat. Vide *Valerius* in V.

Antiochus (Manlius), servus, Astrologiae peritus. Ita Plinius *l.* 3. *c.* 17. *Hist. Nat.*

Antiochus Sophista : vide *Hermogenes* in H.

Antiochus, Philosophus, familiaris Attici, et Ciceronis. Ita Cicero *l.* 1. *de legibus*, ubi eum laudat, dicens : *Vir iste fuit ille quidem prudens, et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris*. De eodem ait, nihil nisi quod honestum, putasse bonum. Lucullus, et Quaestor, et Imperator in Asia eum secum habuit, ut ipse in Philosophia erudiretur. Ita Cicero in *Lucullo*. Fuit Philonis Philosophi auditor ; sed contra Magistrum scripsit librum inscriptum *Sosus*. Ita Cicero in Lucullo. Fuisse natura mitissimum, Cicero ibidem tradit. De eo vide alia in *Specimine*.

Antipater, alter ex magistris Catonis Uticensis. Non liquet, an is sit *Antipater*, discipulus Diogenis Babylonii, de quo Cicero *l.* 3. *de Off.*

Antipater, Bostrensis, Christianus Philosophus, scripsit de *Resurrectione mortuorum* : quod opus intercidit.

Antipater, Hieropolitanus Philosophus, magister filiorum Severi Imperatoris, inter plausus, et acclamationes *Deorum Doctor* dictus. Gravem scripsit *Epistolam* ad Caracallam, discipulum post necem Getae, ejus fratris, qua tacite eum reprehendebat ob fratris necem ab eo patratam. Obiit in patria annos natus 68. ibidemque sepultus. Ita Philostratus in *Vitis Sophist.* addens eum Bithyniae praefuisse Consulari digni-

gnitate, sed magistratu motum, quia gladio nimis utebatur.

Antiphilus, celebris Pictor, in Porticu Curiae Pompeii depinxit Europam, et Cadmum, teste Plinio in *Hist. Nat.*

Antiqui Scriptores. Hos veneramur: praesentes prosequimur invidia. His nos obrui: illis instrui credimus. Ita Velleius Paterculus, *l.* 2. De *Antiquitatis* laudibus, vide Bartolum in *Symbolis l.* 2. §. 15. De Antiquis, et recentibus quinam praeferendi in Docrinae praestantia? vide Horatium *lib.* 1. *Epist.* 1. ubi de *Antiquis*, et de sui temporis Poetis. Vide etiam *Dialogum*, vel Quintiliani, vel Taciti de *antiquis*, et *recentibus* tunc *Oratoribus*. Vide *Antiquarii* in *Specimine*.

Antistius, Orator, interfectus una cum aliis Oratoribus Scaevola, et Carbone, tempore Syllani belli: forsitan quia contra Syllam, vel contra aemulum orabat. Ejus *Orationes* desiderantur.

Antistius (Severus), Senator, et Judex in Caussa Ciceronis, et Clodii, quorum nota est inimicitia. Cicero de *Antistio* hoc agens in *Epistola ad Quintum Fratrem*, laudat ejus insignem eloquentiam. Illic ait, *Antistium* multis verbis non indisertis laudasse in Senatu *Orationem* a se habitam contra Clodium. Compertum mihi non est, an is fuerit *Antistius*, Vir Praetorius, qui Pictoria Arte delectabatur, et in ea exercebatur.

Antoninus (Marcus Aurelius) ajebat: *Hoc Viri probi proprium, nihil a veritate alienum loqui, ut et nihil a justitia alienum exequi*. Vide *Aurelius* postea, et in *Specimine*.

Antonius (L.), alter ex fratribus M. Antonii Triumviri. De eo testatur Cicero, *Epist.* 22. *lib.* 14. *ad Atticum*, habuisse horribilem *Orationem*, et *lib.* 15. *Ep.* 2, aliam L. Antonii *Orationem*, sordidam vocat. In *Ep.* 2. *l.* 3. *ad Quintum Fratrem* fit mentio Caji, et Lucii Antoniorum, tanquam de Oratoribus contendentibus accusare Gabinium apud Catonem: qua in re nitebantur, praeferri Memmio, et T. Neroni Oratoribus.

Antonius (M.), Triumvir. Is, cum esset Caesaris Quaestor inops, et infirmus, *Orationem* habuit 10. Kalendas Januarii, qua accusavit Pompejum a toga pura. Ita Cicero *Ep.* 8. *l.* 7. *ad Atticum*. Haec *Oratio*, quae intercidit, legebatur a Pompejo, et Cicerone in Formiis. De ejus liberalitate, vel prodigitate vide Neupoort de *Luxu Romanorum*. Primus fuit, qui jugales in rheda leones fecit. De his leonibus mentionem facit Cicero *Epist.* 15. *l.* 10. *ad Atticum*, et Plinius *lib.* 7. *cap.* 16. *Hist. Nat.* Victorius contra receptam lectionem in

Phi-

Philippica 2. Ciceronis contendit, legendum *rheda cum leonibus*; non *cum lenonibus*. Sed Victorii emendatio paucis probatur. Alia de M. Antonio Triumviro vide Verbo *Rabirius* in *R* : *Cicero* in C : *Luxus* in *L*: et in *Specimine* V. *Antonius*.

Antyllus, Medicus, citatus ab Oribasio, scripsit de *Arte Gymnastica*. Ejus scripta desiderantur.

A P

Apollinaris, Hieropolitanus Praesul, multa scripsit contra Judaeos, et Gentes, citata ab Eusebio, et S. Hieronymo. Item pro *Fide Christiana* volumen insigne ad Antoninum Verum, Romanum Imperatorem.

Apollinaris, Laodicenus Episcopus, ante haeresim scripsit contra Porphyrium, ac etiam *Psalmodias*, quibus Ethnicorum Numina irridebat. Dicitur itidem contra Apostatam Julianum scripsisse, quod Opus Julianus legit. Quid rescripserit hic ad insigniores Episcopos? quidque hi responderint? vide apud Sarisburiensem *l*. 8. *Policratici*.

Apollo. Delphici Apollinis Oracula tribus seculis ante Ciceronem, jam auctoritatem et fidem amiserant, agnita avaritia Sacerdotum, qui responsa dabant. Ea corrupti oracula dabant consulenti placentia, vel valde ambigua. Ita Cicero de *Divinatione*. Vide item *Divini in D*.

Apollo, Christianus Doctor, S. Paulli discipulus, de quo S. Paullus.

Apollodorus celebris Romae Architectus, occisus fuit ab Hadriano Imperatore, quia non probavit aedificium ab eo delineatum, et constructum contra regulas.

Apollodorus, insignis Architectus, qui Trajani forum magnificentissimum est architectatus.

Apollonius, Mindius: Vide *Epigenes* in E.

Apollonius, Christianus Historicus, proximus aevo Apostolorum, citatur ab Eusebio Caesareensi, *l*. 5. *Historiae Ecclesiasticae*, ut referens traditionem de mansione Apostolorum Hierosolymis per 12. annos, a Christo praecepta. Verum falsa apparet haec traditio ex *Actibus Apostolorum*.

Apollophanes, Ethnicus Philosophus, et Astronomus, qui una cum Dionysio Areopagita Heliopoli observavit Solis Eclipsim, cum Christus fuit crucifixus. Is multis conviciis contra S. Polycarpum, quia Christianus factus fuerat, invehebatur. De ratione redarguendi Apollophanem *Epistolam* scripsit ad S. Polycarpum S. Dionysius Areopagita.

Apo-

Apostoli. Quamobrem foeminas Christianas secum ducerent? vide apud Cl. Zacchariam in *Opere*, cui titulus: *Nuova Giustificazione del Celibato Sacro*, Dissert. 1. *cap.* 3. Foeminae praefatae non solum facultatibus suis, et ministerio *Apostolos* juvabant, sed doctrina Christi imbuebant foeminas Ethnicas, in gynecaea admissae, quo intrare *Apostolis* non licebat. Eracleon, Valentinianus secundi Ecclesiae seculi, affirmabat, nonnullos ex *Apostolis* morte naturali obiisse: quod verum non est, nisi de S. Joanne Evangelista.

Corollarium.

Apotheosis, seu in Deos relatio, fiebat Romae ab Ethnicis magna pompa post mortem Imperatorum, etiam Christianorum, usque ad Gratianum. Ethnica hacce *Apotheosi* consecrari solebant etiam uxores, et sorores Imperatorum: poterantque privati post mortem a suis consecrari privata *Apotheosi*: quod a Cicerone peractum constat cum Tulliola filia, ei charissima. Vide *Tulliola* in *T*.

Appion, celebris, et vanissimus Grammaticus, (qui immortalitatem se dare jactabat iis, quibus sua Opera dicabat, teste Plinio) laudatur a Gellio, qui eum *Polyhistorem* vocat, et multis praeditum litteris. Vide Gellium *l.* 5. *cap.* 14. ubi de leone, et Androdo. Seneca *Ep.* 89. de eo ait, sub C. Caesare, tota circumacta Graecia, in nomen Homeri omnibus in Civitatibus fuisse adoptatum. Vide de eo alia in *Specimine*.

Apuleius, Orator, alter ex subscriptoribus in caussa Verris pro eo accusando. Vide Ciceronem in 1. Verrina.

Apuleius, Medaurensis, scripsit de *Musica*, et in latinum vertit Nicomachum, qui de *Arithmetica* scripsit Graece. Ita Cassiodorus. Vide alia in *Specimine*.

AQ

Aquilius, Poeta Comoediographus, cui a nonnullis tribuitur *Beotia* Comoedia Plautina.

Aquilius, Jurisconsultus, Judex in caussa P. Quintii a Cicerone defensi contra Hortensium, Patronum Naevii, Actoris.

AR

Arbuscula, Mima, parum probata, et sibilis vulgi explosa, ejectaque e theatro, se consolabatur, quod Equitibus paucis, aequio-

aequioribus judicibus, placuisset. De ea Horatius *Sat.* 10. *lib.* 1.

Archelaus, Philosophus, fuit aetate posterior Strabone. Ita Seneca in *Quaestionum Naturalium c.* 11.

Archesilaus, L. Luculli familiaris, in *Plastice* insignis Romae. Ita Plinius *l.* 35. *c.* 12. *Hist. Nat.*

Archias, Poeta, et Civis Romanus, defensus, et multum laudatus a Cicerone. De ejus versibus, et de quorumdam argumento loquitur Cicero sub Q. Fratris persona *lib.* 1. *de Divin.* post medium.

Architectura, Romae adeo brevi tempore crevit, ut domus Lepidi, quae omnium erat pulcherrima, intra annos 35. centesimum locum non obtineret. Ita Plinius *l.* 36. *Hist. Nat.* Vide *Apollodorus* supra, et in *Specimine* verbo *Architecti*.

Arcus. In Arcubus Columnae Trajani incisae erant Historiae praecedentium Imperatorum, quae nunc, ut arbitror, illic non leguntur.

Arellius celebris Pictor parum ante Augustum, qui dilectas a se foeminas pingebat, et Deas sub dilectarum imagine; itaque in Pictura ejus, scorta numerabantur. Ita Plinius *c.* 10. *l.* 36. *Hist. Nat.* addens, insigni flagitio Artem corrupisse.

Areus, Philosophus, teste Seneca, consolari conatus est Liviam in morte Capitis sibi chari, Drusi, ut arbitror, filii.

Aretheus, Cappadox, Medicus sub Augusto.

Argentarii, Romae Nummularii, et Trapezitae dicti, in Arithmetica, et mercatoria arte valde versati multos ad inopiam redigebant foenore immodico. De illis multa in *Digestis* ex Ulpiano, Cajo, et Pomponio. Galba cum Hispaniae praeesset *Argentario*, non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensaeque ejus affixit. Ita Suetonius in *Galba c.* 9.

Argutiae. Vide *Sophismata* in S. *Rhetorice* in R. De his etiam verbo *Convivia* in C.

Aristides, Sophista clarus. De eo narrat Philostratus, quod, cum apud M. Aurelium *Orationem* esset recitaturus, Imperatorem rogavit, ut liceret Auditoribus ei applaudere: cui Imperator: *in tua potestate est si bene oraveris*. Forsitan, ut fieri solebat, conductos habebat Acclamatores. Romam laudans dixit: *Solis cursus vestro est aequalis Imperio*. Falsa laus: quae verius nunc Hispano convenit imperio.

Ignoro, an, ut ejusdem nominis, ita ejusdem stirpis fuerit, ex qua *Aristides*, Locrensis, qui morti proximus lamentabatur, quod parvi insecti morsu periret, ac non leonis, vel apri dentibus laniatus; Ita Aelianus in *Varia Historia l.* 14. Alter *Aristides* fuit egregius Pictor, cujus picturam emit rex Attalus centum talentis, teste Plinio in *Hist. Nat.*

Ariston, Jurisconsultus non indoctus, laudatus a Gellio *l.* 11. *c.* 18. scripsit, apud AEgyptios antiquos furta licita, atque impunita fuisse. Addere poterat, inter Lacones ingeniosa furta laudem meruisse. *Aristonis* scripta, in quibus, ut ait Gellius, ea legebantur, latent. Vel de hoc, vel de sequenti, aut de altero ejusdem nominis ait Plutarchus, emendasse Cleomenem, qui interrogatus, quidnam regem bonum facere oporteat? respondit: Amicis benefacere; inimicis vero male. At quanto, inquit, melius, o vir optime: amicis bene-facere; ex inimicis vero amicos reddere?

Ariston, Philosophus, Chius patria, Antiochi frater, et rigidus Stoicus, nihil praeter virtutem appetendum docens. De eo Cicero ad Atticum *l.* 5. *Ep.* 10, et in *libris de Off.* ubi eum reprehendit. Fuit primus, qui in humanis rebus, et usibus, naturae necessariis nullum agnovit discrimen. Citatur a Gellio *l.* 3. *c.* 11. ubi de Homeri patria; quam fuisse Insulam Chio Ariston tradit, ut suae patriae hoc nomine celebritatem conciliaret. De *Aristone* hoc loquitur Seneca *Ep.*95. ejus opinionem de Philosophia afferens. *Ariston*, de quo loquitur Cicero in *Lucullo*, erat Antiochi Philosophi familiaris, et cui post fratrem Aristum multum tribuebat. Ciceronis dictum mihi persuadet, fuisse *Aristonem*, et *Aristum* Philosophos: et Antiochi fratrem fuisse *Aristum*, non *Aristonem*, ac in Ciceronis Operibus, forsitan librariorum incuria, et typographorum, unum cum altero confundi.

Ariston, Pellae Episcopus, doctrina clarus sub Adriano, et Antonino Pio, antea Judaeus Secta. Scripsit contra Judaeos *Dialogum* inter Jasonem Christianum, antea Judaeum, et Papiscum, Judaeum Alexandrinum: quo *Dialogo* Papiscus ad Christum conversus traditur. Hunc *Dialogum* Clemens Alexandrinus S. Lucae Evangelistae tribuit.

Aristoxenus, Musicus, Aristotelis discipulus, litterarum veterum studiosus. Is *librum de Pythagora* edidit, in quo tradebat, Pythagoram et carnes, et fabas manducasse contra id, quod communiter de Pythagora narratur. Vide Gellium *l.* 4. *c.* 11.

Arius, Haeresiarcha. Vide dicta de eo in *Specimine*.

Arith-

Arithmetica. Sunt, qui dicant, hanc Artem a Sidoniis, maritimis negotiatoribus, inventam fuisse. De hujus Artis laudibus vide Coelium Rhodiginum *lib.29. c.8. Lectionum Antiquarum*, ubi multa ex Platone. Vide item Cassiodorum de ea agentem. Vide item *Numerus* in N, et in *Specimine* verbo *Supputandi Ars*, et verbo *Arithmetica*.

Armonius, filius Bardesanis, secundo Ecclesiae seculo, dicitur *cantica*, et *versus* lingua Syriaca ad normam Graecorum composuisse. Ita Calmetus in *Dissert.* de *Poesi antiquorum Hebraeorum* tom. 1. *Dissertationum*.

Arrius, Philosophus AEgyptius, Augusto charus, cujus gratia Augustus veniam dedit Philostrato cuidam Philosopho, Cleopatrae Reginae familiari, cujus mores aversabatur. Ita Philostratus in *Vitis Sophistarum*.

Arrius alter, Ciceronis amicus, qui ex Ciceronis villa, ubi rusticabatur, Romam redire distulit, ut totos dies cum Cicerone philosopharetur. Ita Cicero ad Atticum in *Epist. lib.* 2.

Corollarium.

Ars. Ars non est, quae utilis humano generi non sit. Vide Stradam in *Prolusionibus Academicis* contra impudicam Poesim disserentem. Hic mos est hominum, ut nolint quemque in multis artibus excellere. Ita Cicero in *Bruto*, de Laelio, et Scipione Africano loquens. Illic ait, utrumque pari ingenio, et eloquentia pari fuisse: utrumque bellica arte, et virtute in bello Viriatico clarum; verum, Africanum in bellicis superiorem Laelio habitum: in Oratoria Laelium superasse Africanum. Inter *Artes* deperditas, olim Romae notas, numeratur Ars reddendi vitrum ductile, et malleabile ut metalla. Vide *Metalla* in M. Quibus Artibus instructus esse debeat Dux exercitus? Vide *Dux* in D. De Arte mansuetas reddendi feroces belluas, ut Leones, Tygrides, Pantheras, etc. vide *Mansuetarii* in M. Statius narrat de leone quodam, instar canis venatori serviisse, capiendo feras, quas ad venatorem afferebat. Vide *Docti* in D. *Magistri* in M. *Spectacula* in S. De *Artibus* ingenuis cecinit Ovidius *de Ponto Eleg.* 2. *l.* 2.

Scilicet ingenuas didicisse fideliter Artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Servis Romae vetitum Picturae Artem exercere. Ita Plinius *l.* 36. *Hist. Nat. c.* 10. Vide in *Specimine* verbo *Artes*, et *v. Artifices*.

Artabanus, Parthorum rex, *Epistolis* suis maledicentia plenis ad Tiberium Romanum Imperatorem, vituperabat ejus caedes, et parricidia, ignaviam, et luxuriam etiam notans. Eisdem Tiberium monebat, et ei suadebat, ut voluntaria morte Civium Romanorum odio, et votis satisfaceret. Hae gravissimae *Epistolae*, cujus meminit Suetonius in *Tiberio*, desiderantur. Ex illis dignoscitur, quanta infamia laboraret Tiberius, etiam apud barbaros populos.

SS. *Arthemia*, et *Arthica* filiae S. Gallicani Martyris, de quo in G, ita liberalibus studiis eruditae fuerunt, ut vix illis par scientia inter viros sapientes inveniri potuisset. Ita in *Actis SS. Joannis, et Paulli* Martyrum, a Terentiano coaevo Scriptore, ut creditur, scriptis, et adductis ab Henschenio in *Actis SS. Februarii* ex Codice Reginae Christinae. Praefatae Virgines a S. Constantia, Constantini M. filia, cui famulabantur, ad fidem tractae, et educatae fuerunt institutis Christianae Religionis, et una cum S. Constantia virginitatem professae fuerunt. Earum Pater Christianus factus fuit, opera SS. Joannis, et Paulli, ad eum missorum a S. Constantia, cui famulabantur.

A S

Ascesius, Episcopus, doctrina, et rigidis suis moribus Novatianorum Coryphaeus habitus. Cum a Constantino suaviter admonitus, ab Schismate recedere nollet; audivit a Constantino eum dimittente dictum illud: *Ascesi, accipe scalam, et ad Caelum solus ascende*: quod dictum aptari potest Rigoristis hodiernis, qui Pharisaeos imitantur, imponentes aliis onera importabilia, quae ipsi ne digito quidem audent attingere.

Asclepas, Gazae Episcopus, strenuus Nicaenae fidei, et innocentiae S. Eustathii propugnator, opera Arianorum Sede sua pulsus exulavit.

Asclepiades scripsit de *Providentia* summi Dei ad Lactantium, qui eum laudat *lib. 7. c. 4. Divinarum Institutionum*. Hoc opus desideratur.

Asclepiodotus, Philosophus, Possidonii Auditor, scripsit de *Fulminibus*, et citatur a Seneca in *Quaestionibus Naturalibus*. De eo traditur, inita in Syriam peregrinatione, ut doctior fieret, tres solum comperisse qui modeste, et ex formula viverent, Ilapium Antiochenum, Marcum Laodicenum, omnium suae aetatis justissimum, et Domninum Philosophos. Vide Senecam in *Quaestionibus Naturalibus a cap.25.*

Asel-

Asellio (Cl.), Trib. pl., et Orator, reum egit Scipionem, postquam de Poenis triumpharat, quia, cum esset Consul, ei equum ademit. Vide Gellium *lib.* 3. *cap.* 4. Forsitan hic erat *Asellio*, sive *Asillio*, secundum diversas lectiones Ciceronis, de quo Cicero *lib.* 1. *de Legibus*, eum languoris, et inscitiae notans.

Asterius, Sophista, laicus, *Advocatus Arianorum* dictus a S. Athanasio, librum edidit contra Christi Divinitatem, et refutatus fuit a Marcello, celebri Ancyrano Praesule. Ille jam Christianus Idolis sacrificavit in persecutione, et a S. Luciano ad poenitentiam salutarem reductus fuit. Verum postea Arianismum professus, valde acceptus Eusebiis ob suam eloquentiam, et doctrinam fuit.

Astrologi Chaldaei, praesertim Babylonii, jactabant 400, et 70 millia annorum in periclitandis, experiendisque natalibus hominum posuisse. Unde orta Astrologia Judiciaria de hominum fato ex eorumdem genesi. Ita Cicero *lib.* 2. *de Divin.* *Astrologi*, quos inter Manilius *l.* 4. *et* 5. putabant: natos sub signis Leonis, Sagittarii, et Scorpii virtute pollere domandi, et mites reddendi feroces belluas, ut et loquendi cum elephantis scientia. Cicero de *Divin.* multis verbis disserit de Astrologia Judiciaria, et refutat Genethliacos, qui ex positu stellarum, sub quo homo nascitur, ejus vitam, et mores praenuntiant. Ab hac Astrologia differt Astronomia a Mathematicis exculta. Vide Coel. Rhodig. *lib.* 14. *c.* 9. *Lectionum Antiq.*, et Martinum del Rio in *Disquisit. Magicis*, ubi citantur multi Scriptores contra Astrologiam Judiciariam. Vide item *Chaldaei* in C: *Mathematici* in M.

Astronomi. Ope telescopii recentiores *Astronomi* multa in coelo observarunt, antiquis ignota. Invento novo orbe, apparuerunt novae stellae, et novae constellationes, quibus sua nomina sunt indita. De nominibus, stellis, et constellationibus impositis dubitatur, a quonam sint eis tributa, quae habent nomina. Sunt, qui ab Astraeo Mathem. celebri: sunt, qui ab Atlante: sunt, qui a Chaldaeis: sunt tandem, qui a Sidoniis. Vide *Epigenes* in E, ubi de Astronomicis observationibus, in lateribus coctis apud Babylonios notatis. De novis orbis stellis vide *Hist. Nat. et Moralem Indiarum* P. Josephi Acosta, Jesuitae Hispani, qui novi Orbis Provincias peragravit. Seneca vaticinatur in *Quaestionibus Naturalibus* plura futuris saeculis observatum iri in coelo ab *Astronomis*, tunc ignota, in quo non falsus Vates fuit. Nam Cassinius, Galilaeus, Ricciolius, et alii multa observarunt, Senecae aeta-

te ignotâ. Nunc indubia res est, Cometas esse veras stellas, in quod jam inclinabat Seneca *in Quaestion. Natural. libris*.

A T

S. *Athanasius*, latinae aeque, ac Graecae linguae peritus, transtulit in Graecum sermonem *Latina opera* Luciferi ad Constantinum. Fuit Ecclesiae suae restitutus Constantini Junioris opera, scriptis honorificis litteris ad Clerum Alexandrinum, quibus et Athanasium laudabat, et dicebat, eum a Patre Constantino jussum Alexandria excedere, ne ab Arianis vexaretur, et necaretur. Vide in *Specimine*.

Athei Deum negant, quia ejus Essentiam, et Attributa ratione comprehendere nequeunt. Propter eamdem rationem negant Deistae Mysteria a Deo revelata: ob quod hi destituti sunt argumentis ad convincendos Atheos. Vide *Deistae* in D. *Atheis* optime quadrat illud Ovidii *Eleg.* 8. *l.* 5. *Trist.*

Homines, qui vix homines, hoc nomine digni;
Quique lupis saevae plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus aequum,
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

Vide *Anatome* supra. *Atheum* Virum probum esse, et Rempublicam ex *Atheis* conflatam, bene moratam esse posse, stultissime blaterant nonnulli illuminati hujus seculi Philosophi in *Atheismum* propensi. *Atheismus* pejor est idololatria. Idololatrae namque supremum aliquod Numen agnoscunt, et colunt, cujus nutui omnia obediunt: inter virtutes, et vitia discrimen agnoscunt, et Animum immortalem exceptis Epicureis. Ab *Atheis*, et Epicureis juramentum ad promissa adimplenda incassum exigitur; cum Deum perjurii vindicem non credant. Ab Idololatris fides publica saltem jurejurando munitur. A Philosophis Antichristianis nostri seculi, qui omnia propriis commodis, et utilitatibus postponunt, ne juratis quidem fides habenda, praesertim in rebus occultis: illud namque Priscillianistarum adoptant

Jura, perjura: secretum prodere noli.

et illud Graeci Poetae: *Jurat lingua, sed mens injurata manet*. Contra hos exclamandum cum Persio:

O curvae in terras animae, et Caelestium inanes!

Vide alia in *Specimine*.

Athenogenes, Philosophus Christianus, Martyr insignis, scripsit *Hymnos*. Ita S. Basilius de *Spiritu Sancto* scribens.

Athe-

Atherius, sive *Aterius*, quem *Acherium* perperam vocat Coelius Rhodiginus, erat velocissimus in recitanda *Oratione*, et ex-tempore declamabat. Augustus, cui charus erat, dicere solebat: *Atherius noster sufflaminandus est*. Vide M. Senecam in *Prooemio lib.* mihi 4. *Controv.*

Athletae nudi certabant in theatro. Horum certaminum, seu pugnarum spectaculo interesse foeminas vetuit Augustus. Ita Sueton. in *Aug. c.* 44. *Athletae* celebres fuerunt Romae *Iccus* Tarentinus, *Astilus*, *Criso*, *Diopompus*, qui abstinebant a Venere, ne vires amitterent.

Atilius, Poeta durissimus, qui, invita Minerva, Poeta esse voluit. Ita Cicero ad Atticum *Ep.* 22. *l.* 14. De eo etiam agit in *Lucullo*, ubi dicit, esse Scriptorem legendum, licet ferreum.

Attalus, Philosophus, citatus a Plinio *l.* 28. *Hist. Nat.*, affirmabat: si quis, viso scorpio, dicat *Duo*, cohiberi, nec vibrare ictum. Si id contingebat, non vocis virtute, sed opera Daemonis fiebat. De *Attalo* vide alia in *Specimine*.

Atticus, Ciceronis amicus intimus, non solum doctrina clarus fuit, sed et morum facilitate erga suos, qua adeo florebat, ut affirmaret, se cum matre nonagenaria nunquam rediisse in gratiam, quia nunquam offensa ab eo fuerat: nullam cum sorore simultatem gessisse. Vide *Bibliotheca* in B. Mendacium neque dixit, nec pati poterat. Ita Nepos in *Vita Attici*. Vide multa alia de eo in *Specimine*.

Attilius Orator, habuit in Senatu *Orationem* de Alliensi pugna cum Gallis, et de Roma ab eis capta. Vide Gellium *lib.* 5. *c.* 17. Hunc diversum puto a *M. Attilio Regulo*, cujus dictum de fundo parando citat Columella *lib.* 1. *c.* 4., quique pacem cum Poenis, ad quam procurandam Romam captivus Carthagine missus a Poenis fuerat, in Senatu dissuasit. Vide *Regulus* in R. Attilius, de quo supra, Cos. cum AEmilio a Gallis in praelio occisus fuit, Britomaro Gallorum duce, qui Attilii caput rescidit, et ad Gallos Principes misit.

Attius, sive *Actius*, sive *Atius*, *Navius* dictus (de quo in *Specimine*, verbo *Actius*) in pueritia propter paupertatem sues pascebat. Una ex his amissa, vovisse dicitur uvam se Deo oblaturum, quae maxima esset in vinea, si suem inveniret. Itaque, sue inventa, spectans ad meridiem, et vineam in quatuor partes dividens, augurio peracto, in quarta vineae parte uvam invenit mira magnitudine, quam Deo offerret: quo facto fuit in magno honore, et gloria ob disci-

sciplinam Auguralem, et a Rege Tarquinio Prisco Romam accersitus. Ita Cicero *lib.* 1. de *Divinatione*, ut narrata a Quinto Fratre, cujus dicta in libro altero refutat, ostendens, se vanam reputare disciplinam Auguralem, licet ipse esset Augur. Vanam etiam eam reputarunt multi Romani Duces, qui contra Auguria, et Augurum praedictiones feliciter pugnarunt, ut Flaminius contra Gallos, spernens jussa Senatus, et missas ad se litteras ex Augurum sententia, quibus eum, ut male electum Consulem, Romam e bello revocabant.

AU

Augures, in Curia Veteri suam habebant sedem, illicque auguria capere solebant, ut etiam in Arce propter loci eminentiam, ut possent praetervolantes aves observare, et templum lituo designare. Jus habebant diruendi aedificia, quae capiendis auspiciis officerent, et idcirco solo aequarunt *Centimali* cujusdam nimis altam domum, quae sita erat in monte Coelio, e regione ad Arcem, teste Cicerone *de Off.* *Augures* ad Arcem ibant per viam sacram, quae *sacra* dicta fuit, quia sacra singulis mensibus per eam ad *Augures* ferebantur, seu potius, quia per eam ad Jovis Capitolini templum ibatur. Ita Donatus. Verum Festus aliter sentit, et ei favet Halicarn. dicens, sic appellatam ex foedere, a Tatio in ea icto cum Romulo. Vestis *Augurum* erat ex auro, purpura et cocco, seu ex purpura bis tincta, quam Cicero *Diphabum* vocat, et pro *Auguratu* ponit in variis *Epistolis*. Haec vestis, ut ait Servius, erat Regum, et *Augurum* propria. Lituus *Auguralis* erat genus buccinae incurvae, qua qui canebat *Liticen* appellabatur. Virgilius etiam buccinam fuisse indicat versu illo:

Et lituo pugnas insignis obibat, et hasta.

Ennius item canens

Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

Livius ait, fuisse baculum incurvum sine nodo, quem *Augur* dextra, capite partim velato sedens tenebat, et sic vidi in numismatibus antiquis. Cicero de *Divinit.* *l.* 1. ait fuisse incurvum, et leviter a summo inflexum baculum, quod nomen invenit a similitudine ejus litui, quo canitur, aitque Romuli lituum, qui in Saliorum Curia servabatur, deflagrante Curia integrum inventum fuisse. De Liticine, Tubicine, et Siticine, quo differant? vide Gell. *lib.* 20. *cap.* 2. De *Auguribus*, *Auguriis*, et *Arte augurandi* vide Meno-

nochium *Cent.* 3. *c.* 65. De *Augurum* Romanorum auctoritate, vide Cic. *de Legibus lib.* 2. Multi de Arte augurandi scripsere: quae scripta, quia superstitiosa erant, jussu Christianorum Imperatorum flammis tradita fuerunt quarto Ecclesiae saeculo. C. Flaminius (teste Plutarcho in *Marcelli Vita*, Orosio, et Eusebio) *Auguria contempsit*, et Q. Fabius, Augur, ajebat: *optimis auspiciis geri, quae pro Reipublicae salute gererentur: quae contra Rempublicam fierent, contra auspicia fieri*. Vide in *Specimine* verbo *Augures* in A.

Augustus. Hic titulus nonnisi jam creatis Imperatoribus dabatur. *Caesares* appellabantur designati ad Imperium Romanum, ut nunc *Reges Romanorum* designati ad Imperium post mortem Imperatoris.

Augustus Caesar, *Octavianus* olim dictus. Huic Tarracone ara erecta fuit, in qua palma sua sponte progerminavit. Cum hoc prodigium Tarraconenses nuntii ei narrarent, respondit, hoc indicare, pauca ad illam aram fieri sacrificia, licet seviratum *Augustalem*, seu Sacerdotes 6 ad Romae, et sibi sacrificandum instituissent. Inventa sunt Tarracone antiqua numismata, in quibus visitur insculpta Ara cum palma, *Augusto* dicata. Cum litteras humaniores adolescens Tarracone docerem, nullum restabat vestigium loci, in quo Ara illa erecta fuerat, licet multa antiqua monumenta illius Hispaniae Tarraconensis metropolis conspicerentur. Romae prope forum aedificatum fuit Augusto templum, quod inchoavit Tiberius, et perfecit C. Caligula, supra quod fabricatus pons fuit fultus 80 magnis columnis ex marmore albo, conjungens Palatinum montem cum Capitolio. Ex hisce columnis 3 supersunt prope Palatinum, et 3 aliae prope Capitolium. Ita Lucius Faunus in *Romanis Antiquitatibus lib.* 2. *c.* 14. Suet. in *Augusto cap.* 79. tradit, eum in omni aetate venustissimum fuisse, licet omnis lenocinii negligens, et in comendo capite tam incuriosus, ut cum tonsoribus illud committeret, aut legeret, aut scriberet. Forsitan illud Ovidii legerat.

Forma viros neglecta decet.

Animi laxandi caussa in senectute modo piscabatur hamo: modo talis, nucibus, et ocsillis cum pueris facie, et garrulitate amabilibus, quos undique conquirebat, ludere consueverat exemplo Socratis. De honoribus ipsi post mortem habitis, vide Suet. in *Augusto cap.* 100. Tacitus, omnia in deterius vertens, tradit, *Augustum* Tiberii ferinum, et nequam in-

ingenium agnoscentem, successorem eum designasse, ut majus sui desiderium, regnante Tiberio, apud Romanos excitaret. Suspicionem suam fundabat forsitan Tacitus in *Codicillis Augusti* ad Liviam de intolerantia, et acerbitate morum Tiberii, quos e sacrario protulit, et recitavit Livia contra Tiberium, indignata, quod parum gratus, et officiosus in eam esset, parumque amanter cum ea, cui omnia debebat, se gereret. Vide Suet. in *Tiberio c.* 51. Filiam habuit Juliam, adulteriis suis infamem, quam ejus filia, Julia minor, imitata est impudica vita sua. Ambas relegavit in Insulam, et duas vomicas appellabat. Filiam praefatam Agrippae nuptam, omnibus probris contaminatam necare cogitavit. Relegatae usum vini, et omnem delicatiorem cultum ademit, vetuitque, ne quis, se inscio, eam conveniret, nec a Senatu, id eum rogante, adduci potuit, ut eam Romam revocaret. Prae pudore diu congressu hominum abstinuit. Infantem ex nepte natum post damnatam eam ad exsilium, agnosci, et ali vetuit, adeo iratus in neptem erat. Felicissimus Princeps fuisset *Augustus*, si eum, et laetum, et fidentem, tum in sobole, tum in disciplina domus, fortuna non destituisset. Aliquanto patientius tulit Lucii, et Caii nepotum mortem, quos intra duodeviginti menses amisit, quam domus suae dedecora ob filiam, et neptem impudicas. Sero didicit *Augustus*, in filiorum educatione plus profici exemplo, quam praeceptis. Ipse namque in juventa, et virili aetate non valde pudicus fuit, si M. Ant. Triumviro, ejus olim amico, et affini fides adhibenda. Vide Suet. in *Augusto* a cap. 65. Nihilominus legem tulit, *Juliam* dictam, contra adulteria; qua lege comprehendi volunt Jurisconsulti poenas contra varia libidinum genera, et contra suasores. Hae autem poenae mitiores erant iis, quae 12. Tabularum legibus decretae erant; ad solam enim relegationem vel deportationem, et bonorum fortunae amissionem redigebantur, cum olim possent in adulterio deprehensi a Marito, et adulterae Patre propria auctoritate occidi. Ex testamentis amicorum immensas cumulavit divitias, quas recenset Nieupoort, ubi de *Divitiis, et Luxu Roman.* Virgilius parum apte laudavit *Augustum*, de eo canens:

Et te maxime Caesar,
Qui nunc extremis Asiae jam victor ab oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Illud singulare in *Augusti* oculis, adeo nempe fuisse splendidos, ut eorum fulgore cogeret vultum submittere eos, quos in-

intente intueretur. Verum id forsitan contingebat adstantium opinione de ejus auctoritate, et majestate. Dictatoris, Domini, et multo magis Regis titulum aversabatur; sibi tamen ex Populi consensu arrogavit praecipuos Magistratus cum Tribunitia potestate. Jam Imperator in summo imperio per se ipse litteras, et alia plerumque nepotes docuit. Ita Suetonius in *Augusto*: quod etiam Horat. in *Odis* indicat. De ejus Genere, et Progenie vide in fine hujus *Lexici*. Alia de eo vide in *Specimine*.

Avitus (Junius) De ejus morte dolet Plinius minor eum laudans a prudentia, et doctrina in altera ex *Epistolis* suis. Vide *Epistolam* 23. *lib.* vel 1. vel 8.

COROLLARIUM.

Aula principum. De iis, qui in Aula principum versantur, dici potest, servitutem admodum gravem servire, ac in lubrico, et periculis pleno loco vitam agere. Seneca *l.* 2. *de Ira c.* 33. narrat, Aulicum quemdam interrogatum, quomodo rarissimam in Aula principis consecutus esset senectutem? respondisse: *Injurias accipiendo, et gratias agendo*. De *Aula Sancta* vide Causinum, Jesuitam Gallum a confessionibus Ludovici XIII. Galliarum regis, qui in exsilio obiit, quia praecipuo Aulico, et regis administro parum acceptus. Quam obrem? exponit ipse in quadam longa *Latina Epistola*, quam in Hispania manuscriptam reliqui.

Aurelianus (Coelius) Hippocratis commentator, qui Sorani *libros* Latinos fecit: quae versio desideratur.

Aurelianus Imperator teste Vopisco, adeo Romam ampliavit, ut murorum ejus ambitus ad 50. prope millia passuum extenderetur. De eo in *Specimine*.

Aurelius (M.). Phil. Is, cum ad Sextum Cheronensem jam creatus Imperator iret, ut ab eo doctior fieret, interrogatus a Lucio quodam, viro docto, quo pergeret? benigne respondit parum urbano, et importuno percontatori, dicens: *Pulchrum est senescenti discere. Itaque ad Sextum Phil. eo, ut discam quae nondum scio*. Ita Philostratus in *Vitis Sophistarum lib.* 2. Idem faciebat Seneca, et idem dicebat. Vide *Seneca in* S, et alia in *Specimine*.

Aurum. Vide *Aerarium*, *Divitiae*, *Luxus* in suis litteris. In divitiarum Deum carmen egregium Timocreontis affert Coelius Rhodiginus *lib.* 12. *c.* 15, ubi de *Scholio metro* agit. Carminis exordium erat in hunc sensum: *Utinam, o caece Pluto, nec in terra, nec in mari, nec in continente apparuisses*

ves unquam, sed tartari perpetuus fuisses incola, et Acherontis. Ex te enim omnia hominibus mala. Strabo de Hispania loquens ait: *Aurum, argentum, aes, ferrum nusquam terrarum neque tantum, neque tam probatum generari ad Tiberii usque tempora compertum est.* Idcirco Veteres ajebant, Plutonem regiam suam habere sub terris Hispaniae. *Aurum*, et argentum in Urbibus, et privatim et in fanis, invidiosa res est. Ita Cicero *l.* 2. *de legibus* ex Platone: quod verissimum ostendit experientia. Seneca Trag. in *Thieste*.

Tutus in mensa capitur angusta cibus:
Venenum in auro *bibitur*.

Ovidius.

Aurea nunc vere sunt secula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

De *Auro*, et argento, caussis tot malorum Seneca *Epistola* 95. prope finem, et Horat. *Ode* 24. *l.* 3. Graecus Aristippus jussit servis, quia tardius ibant onerati auro, illud projicere, cum per Lybiam iter faceret. Ita Horatius *Satyra* 3. *l.* 2. David, et Salomon videntur in *Auri*, et argenti copia, pro templo extruendo, et expensis aliis, Romanos superasse. De *Auro*, et argento in Davidis sepulchrum a Salomone immissis, et in eo reconditis, vide *Sepulchrum* in S. Horat. *l.* 1. *Epist.* 1.

Vilius argentum est Auro: virtutibus Aurum.

Auspex (C.) Orator in Rhemensi Conventu hortatus est Gallos ad pacem cum Romanis eleganti *Oratione*, quae desideratur.

Autobulus, Plutarchi filius, vir doctus, ad quem, et ad Patrem directus fuit (non memini a quo) liber de *Psychogonia Platonis*.

Autolicus, Ethnicus, vir eruditus, et librorum helluo, qui solidas noctes libenter consumere solebat inter libros, veri cupidissimus. Ita Theophilus, post Erotem Antiochenus Praesul, olim Ethnicus. Is paullo post M. Aur. Antonini mortem an. Christi 181. scripsit 3. *libros de Christiana fide*, ut satisfaceret *Autolico*, qui contra Christianos scripserat.

Auxentius, Praeceptor Helvidii haeretici. Non liquet fueritne hic *Auxentius* Arianus, ante S. Ambrosium Mediolan. Episcopus, contra quem S. Hilarius librum, seu Epistolam scripsit.

B

Corollarium.

B Acchanalia. Festum erat nocturnum, et clandestinum Graecorum Ethnicorum per Italiae urbes propagatum, ac virorum, et foeminarum concursu in Bacchi honorem celebratum, quod maximorum scelerum erat seminarium. Coitiones istae a Romanis Consulibus compertae ex indicio Hyspalae Feceniae libertinae, multorum supplicio extinctae fuerunt. Ita Livius *lib.* 39. *Hist.* et Cicero *lib.* 2. *de legibus*, ubi de nocturnis sacris mulierum non permittendis, excepto solemni Sacrificio, et publico. In *Hist. Eccles.* fit mentio conventiculorum Gnosticorum, et Adamitarum, aliorumque haereticorum clandestine coeuntium, quae merito ab Ecclesia damnata fuerunt.

Baccaudae, sive *Bagaudae* erant populi Alpini prope Sabaudiam sub Diocletiano, et Maximiano Persecutoribus crudelissimis Christianorum, excitati contra Romanos ab Amando, et Eliano Alpinis Principibus. Ex his orti *Bagaudae*, de quibus Salvianus. De *Bagaudis* Tarraconensibus meminit Idatius in *Chronico*. Vide de illis Gothofredum in *Adnotat. ad Cod. Theodosianum*, citantem Orosium, Victorem, et Salvianum.

Bacchius (Antiochus), celebris Medicus sub Tiberio.

Baebius, Judex. De eo narrat Plin. *l.* 7. *H. N.* Vadimonium differre jussisse.

Balbus (Lucilius) Stoicus Phil. insignis, cum excellentibus Graecis comparandus, alter ex Interlocutoribus in *Dialog.* de *Natura Deorum* Ciceronis. De eo in *Specimine*.

Balbus (Lucius Corn.), Hispano-Gaditanus primus exterorum, qui Romae triumphavit, ut tradit Plinius. Verum Valerius Maximus, Graecum Perpennam prius triumphasse, vel ei decretum triumphum scribit. Vide *Perpenna* in P. *Balbus* noster fuit Consul Triumviratus tempore, Caesari, et Pompejo aeque charus. Dives adeo fuisse dicitur, atque munificus, ut moriens testamento legaverit Romanis Civibus singulis 25. drachmas: et id quidem, lata jam lege Falcidia, qua statuebatur, ut haeredibus integer maneret quadrans haereditatis. Ita ex Dione Coelius Rhodiginus *lib.* 12. *c.* 8. *Lect. Ant.* Defensus fuit a Cic. contra conantes ei Civitatis Romanae

decus,

decus, et jus eripere, quod a Pompejo Imperatore strenue sub Pompejo pugnans in Hispania pro Romanis impetraverat. Vide de eo, et ejus avo, vel patruo in *Specimine*.

Corollarium.

Balnea, apud Romanos frequentissimo in usu erant, tum frigidae, tum calidae aquae ad tuendam, recuperandamque valetudinem. Sunt qui dicant, lavacra ista Romanis necessaria, quia laneis tunicis utebantur, ex quibus multas sordes, et aegritudines contrahebant: quod vix crediderim, licet uterentur interula lanea, quod verisimile non est, cum essent in tantis deliciis enutriti. Novimus namque, multos Coenobitas tunicis, et sindonibus laneis uti, quin lotionibus tam frequentibus indigeant ad tuendam valetudinem. Medici antiqui Romani de *Balneis* multa scripsere, inter quos Oribasius.

Barbari, Gothi, et Wandali minus vitiosi erant, quam Romani, quos subegerunt. Ita Salvianus *de Providentia*, quem Christianum Jeremiam appellant.

Corollarium.

Barbara secula. His secula culta debent illustriora, et utiliora inventa, ut Typographiam, Acum magneticam pro securiore navigatione, Tubos aeneos, et ferreos pro expugnandis urbibus ope pyrii pulveris, et ejaculatarum pilarum ex ferro, plumbo, vel ex saxo, Pyrium pulverem, et innumera alia. Eant nunc, et tantum non stupidos appellent homines in barbaris seculis ii, qui in secula, quae vocant *barbara*, debacchantur. Homines ingenio, et singulari doctrina praeditos in seculis illis fuisse, qui eorum Opera legere non negligat, vel invitus fatebitur. Vide in *Specimine Dissertationem* de *Barbaris seculis*.

Barbarismus, fit in syllabis, non servata quantitate: item in litterarum adjectione, vel detractione, ut etiam in transpositione: quae vitia non devitarunt celebriores Poetae Latini. Verum haec in Poetis *figurae*, et *licentiae* dicuntur; in aliis *Barbarismi* appellantur parum aequa critice. Vide S. Augustinum *de Ordine cap.* 4. Graeci, et Latini utebantur barbaris vocabulis. Vide Gell. *l.* 8. *c.* 2. quo in *lib.* supersunt solum Capitum tituli, in quorum altero id indicatur. Non est igitur cur mirentur Critici morosiores, si SS. Patres, et Ecclesiae

clesiae

clesiae Doctores, si Scholastici interdum barbaris utantur vocabulis, ut melius intelligantur, vel cum res novas tradunt. Multa de his vide in Quinti Mod. Censorini *Paradoxis*, in *Specimine*, Verbo *Barbarismus*, et in *Disceptatione de Barbaris seculis*.

Barnabas, Propheta, et Doctor in Ecclesia Antiochena, socius postea S. Paulli in Apostolatu. Vide *Acta Apost.* Taurinenses suum primum Episcopum S. *Barnabam* putant. Ita Emmanuel Thesaurus in Historia de *Augusta Taurinorum*.

Barrus (Titus Betuccius) Asculanus eloquentissimus, qui Asculi plures *Orationes* habuit, et Romae oravit contra Caepionem nobili *Oratione*, cui Aelius respondit. Ita Cicero in *Bruto*. Ciceronis aetate legebantur nonnullae *Barri Orationes*.

Bassianus, Vir dives, potens, tum Politicis, tum Militari arte eruditus, cui in uxorem tradita fuerat Anastasia, Constantini Magni soror, conspiravit in Constantinum, quia Caesarem eum declarare noluit nisi sub parum illi gratis conditionibus. Detecta conspiratione eum occidit Constantinus, et bellum Licinio ejus fautori indixit.

Bassus (Jul.) qui de Medicina graece scripsit, citatur a Plinio *l.* 33, et alibi.

Battologia, Sermonis vitium, cum eadem repetuntur: in quod vitium incidebant Ovidius, et Montanus cum declamabant, teste M. Seneca, qui Scauri dictum in *Battologos* affert: non minus nempe boni Oratoris, et Poetae esse scire desinere, quam scire dicere. *Battologia* dicta putatur a *Batto* quodam, Poeta, qui in *Hymnis* suis eadem repetebat.

Battus. Is, cum Tiberius, cui gratus erat, quereretur, quod quaedam dissitae Provinciae rebellarent, ei respondit: vos in culpa estis, qui ad custodiendos greges, non canes, et pastores, sed lupos mittitis. Ita Dion. *l.* 55.

COROLLARIUM.

B E

Beatitas, seu humana felicitas. Opinio, quae eam statuit in corporeis sensuum voluptatibus, placere non potest nisi animam porcinam habentibus, seu *Epicuri de grege porcis*. Inter hos numerandus Philosophus nostri seculi, Auctor infamis Operis Gallici de *Vita felici*, in quo hanc opinionem, quae sapientioribus, et temperantioribus Ethnicis Philosophis abo-

abominationi fuit, adoptat. Idem Auctor, in opprobrium, et scandalum nostri seculi natus, hanc opinionem promovet in *Poemate* impudicissimo de *Aurelianensi Heroina*. Vera hominis *Beatitas* ex Sacris Litteris nobis innotescit. De ea Boetius multis *metris lib.* 3, et 5. de *Consol. Philosophicæ* disserit. Inter alia haec in eo leguntur de Deo:

Tu requies tranquilla piis: te cernere finis:
Principium, Rector, Dux, Semita, Terminus idem.

Martialis, destitutus Sacrarum Scripturarum lumine, in quo sita sit temporalis hujus vitae felicitas, exponit longo *Epigr.* ad cognominem Martialem, amicum, scribens:

Vitam, quae faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, haec sunt, etc.

Juvenalis *Sat.* 10.

Ultima semper
Expectanda dies homini est, dicique Beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Jam vero ex sententia doctiorum Ethnicorum nemo beatus in hac vita, nisi virtutibus ornatus, quique minime perturbatum passionibus, et vitiis animum habet. Saepe felix qui miser a populo putatur, et miser qui creditur felix.

Bellum indicebatur hostibus a Pop. Rom. per Feciales, cum Imperium erat valde propagatum, jaciendo hastam versus terram hostilem ex columna *bellica* dicta, sita ante templum Bellonae, erectum ab Appio Caeco, qui dissuasit pacem cum Pyrrho Epirotarum rege.

Beneficia. Insigne de *Beneficiis* Opus vide apud L. An. Senecam. *Speciosius injuriae beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur*. Ita Valerius Maximus *l.* 4. *c.* 2. Vide *Androdus* in A.

Betmarcus, Historicus Caesareensis, citatur a Suida. In ejus Historiis, quae interciderunt, vel latent, fiebat mentio rerum a Constantino M. gestarum.

B I

Bibaculus (Furius) Praetor, et pro munere suo Juris peritus, furiosus appellatur a Lactantio *lib.* 1. *de Falsa Religione*, *cap.* 21.

Corollarium.

Bibliotheca, prima publica, cujus ad nos memoria venerit, extructa fuit in Aegypto a rege Osymandia cum inscriptione in fronte *Ψυχῆς ἰατρεῖον: Medica Animae officina*. Ita Diod. Si-

Siculus *lib.* 1. Ante Hierosolymorum excidium multas in ea, et in aliis Hebraeorum urbibus *Bibliothecas* cum publicas, tum privatas fuisse crediderim, in quibus tum profani, tum sacri libri continebantur ad usum virorum eruditorum. Erant enim non pauci ex Hebraeis, Graecis, et Latinis litteris instituti. Ante Captivitatem Babylonicam multi libri Hebraeorum legebantur, qui perierunt, ut libri Salomonis complures, et libri, qui citantur in Sacris Litteris, et nunc non leguntur. Tales sunt *liber Bellorum Domini*: *liber Justorum Domini*: *liber Samuelis Prophetae*: *liber Nathan*. *Liber Enoc*, qui citatur a S. Juda, videtur Apostolorum aevo permansisse. In Cap. ult. l. 1. *Machabaeorum* citatur *liber Dierum Sacerdotis Joannis*, Principis Sacerdotum. Si Gellio credimus, Alexandrina Ptolomaei regis Bibliotheca ex 700. millibus voluminum constabat; Si Senecae, ex 400. millibus tantum. Hujus *Bibliothecae* incendium parum sapienter a Seneca laudatur *cap.* 9. *de Tranquillitate vitae*. Pergamena *Bibliotheca*, ab Eumene, et Attalo, Pergami regibus, constructa, 200. millia Voluminum complectebatur: quae pellicea charta fere omnia scripta erant, papyro Aegyptia eis denegata. Vide Plutarchum in *M. Ant. Vita*. Atheniensis *Bibliotheca*, a Pisistrato tyranno erecta, et publico usui exposita, a Xerxe Persarum rege fuit in Persidem translata, et post multum tempus a Seleuco Nicanore Atheniensibus restituta. Vide Gel. loco citato, et verbo *Libri* in *L.* Ausonius *Epist.* 45. haec habet:

> *Emptis quod libris tibi Bibliotheca referta est;*
> *Doctum, et Grammaticum te, Philomuse, putas.*
> *Hoc genere chordas, et plectra, et barbita condas;*
> *Mercator hodie: cras Citharoedus eris.*

Ciceronis *Bibliotheca* a Tyrannione ordinata, a servis Attici fuit depicta. Ita Cic. in nonnullis *Epist.* ad Att. *lib.* 4. Atticus nempe servos habebat in litteris, et honestis variis artibus eruditos: Ita Nepos in *vita Attici*. Inter servos eruditos Attici numerat Cic. *Epist.* 8. *l.* 4. ad Att. Dionysium, et Menophilum. Vide *Dionysius* in D: *Cicero* (Q.) postea, et Verbo *Chrysippus*. Vide alia in *Specimine*.

Bibulus. De eo Cic. *Epist.* 20. *l.* 2. *ad Att.* ait: *Bibulus hominum admiratione, et benevolentia in coelo est*. In aliis *Epistolis* multa de eo tradit, et videtur Aedilis, Praetor, aut Consul fuisse. Non puto, hunc fuisse *Bibulum* cum Julio Caesare Consulem, qui adeo a Collega Caesare contemnebatur, ut in subscriptionibus nonnullis, cum per jocum testandi caussa aliquid Romani signarent, non *Caesare, et Bibulo Coss*,

sed *Julio*, et *Caesare Coss.* scriberent, nisi si Cicero ironice ad Atticum de eo, quae dixi, scripserit. De *Bibulo* cum Caesare Consulatum gerente, hi versus vulgo ferebantur:

Non Bibulo quicquam nuper, sed Caesare factum est;
Nam Bibulo fieri Consule nil memini.

Potius crediderim, *Bibulum* illum fuisse C. Poblicium L. F. cui Senatus Consulto, et Populi jussu honoris, virtutisque caussa, locus monumento, quo ipse posterique ejus inferrentur, datus est, ut legitur in antiqua Inscriptione.

Bilenus (C.). variis in doctrinis, homo per se magnus, summus est habitus. Ita Cic. in *Bruto*.

B L

Blastus, Rom. Presbyter, Valentini haeretici sectator, S. Polycarpi olim discipulus, a S. Eleutherio Papa fuit a Sacerdotali gradu dejectus. Contra eum S. Irenaeus *Epist.* scripsit *de Schismate*.

Blesamus, Dejotari regis ad Caesarem legatus una cum Hiera, Antigono, et Dorilao, qui omnes erant, et Ciceroni, et Caesari noti, quique innocentiam Dejotari, a nepote accusati apud Caesarem, testabantur. *Blesamus* Tarracone Caesarem convenit, ubi litteras Caesaris ad Dejotarum accepit, in quibus Caesar bene sperare eum jubebat, quantumvis accusatus de insidiis in vitam Caesaris hospitis esset. De litteris *Blesami* ad Dejotarum, vide Cic. in *Orat. pro Dejotaro*.

B O

Boethus, Phil. Stoicus, conatus est elicere caussas praesensionum. Ita Cic. *de Divin. l.* 1.

Corollarium.

Bona fortunae (etiam uxores) communia esse in sua Republica volebat Plato ex Socratis doctrina. Bona corporis in conviviis celebrata usitatis cantilenis fuere: primum recte valere: alterum bona forma natum esse: tertium sine fraudibus divitias possidere. Zenodotus 4 addebat: cum paribus amicis adolescere. Vide Platonem in *Gorgia*, et *lib.* 2. *de Republica*.

Bonum nullum, nisi honestum, putavit Antiochus, Phil. Acad. Ita Cic. *de Leg. l.* 1.

Bucchus (Corn.) citatus a Plinio *l.* 16. *H. N.*

Bru-

Brutius quidam Histor. cujus opus intercidit, citatur ab Eusebio Caesar. *Hist. Eccl. lib.* 3. de Domitiani in Christianos persecutione agente.

Brutus (*L. Jun.*) regum Roma expulsor, occisus in bello contra Tarquinios, publica moestitia, maxime matronarum luctu annuo; decoratus fuit. In ejus funere *Orat.* habuit laudatoriam ejus in Consulatu Collega Valerius: unde mos postea funebrium *Orationum* invaluit. De eo in *Specim.*

Brutus (M.) conciones habuit, maledictis, et probris plenas contra Augustum. Ita Tac. *Ann. l.* 4. de Cordo, et ejus scriptis agens. De *Bruti Orat.* Capitolina, seu in Capitolio habita post necem J. Caesaris, et ad Cic. missa, ait Cic. ad Att. *l.* 15. *Ep.* 1. elegantissime scriptam, et verbis, et sententiis, ut nihil possit ultra. Attici de ea judicium exspectat, putans, ab eo lectam fuisse. In eadem *Epist.* ait Cic. se, si eam caussam egisset, ardentius fuisse oraturum. In eadem testatur Cic. *Brutum* de toto genere dicendi a se dissentire, et in *Epist.* quadam *lib.* 14. ait Attico: *Bruto* non placuisse, quae ipse in *lib. de Oratore* scripserat. At non idcirco minus carus Ciceroni fuit: quinimmo mire eum laudat post Caesaris necem. Ejus statuis pileolus cum duobus pugionibus addebatur, in signum restitutae per eum libertatis. *M. Brutum*, licet hostem, honorifico funere ornavit M. Antonius. *Bruti* uxor Porcia, audita conjugis morte, se occidit, negatis ei ferro, et veneno,

avido bibens ore favillas:

vide Mart. *l.* 1. *Epigram.* Seneca *Ep.* 83. non de *Marci Bruti*, sed de *Decimi Bruti* morte parum honorifice loquitur tacens praenomen. Vide alia in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Bruta animalia: vide *Androdus*: *Animalia* in A: *Homo* in H. *Spectacula* in S. De Elephanto quodam narrat Aelianus in *Varia Historia*, se eum vidisse proboscide pingentem latinas litteras, quin deerraret: item ait, elephantos discere choreas, et saltationes ad numerum obire, et agnoscere sonorum discrimina, eos audiendo. Vide Plinium *lib.* 8. *Hist. Nat.* in primis Capitibus, ubi multa de *Elephantis*.

BU

Bulbus, Judex in Caussa Cluentii, (qui per Ciceronem

reum egit Oppianicum de Veneficio) ob acceptam pecuniam in Oppianici judicio, damnatus fuit una cum Gutta, Popilio, aliisque Judicibus, ejusdem culpae reis. Quin etiam iidem, et cúm illis Stalenus, ambitus, majestatis, et aliorum criminum rei peracti: vide Cic. in *Orat. pro Cluentio*. Solus Falcula, etiam accusatus, absolutus evasit.

Burbuleius, Histrio, cui Curio, omnibus honoribus abundans, valde similis fuit. Vide Val. Max. *lib.* 9. *c.* 15.

B Y

Bytho citatur a Plin. *l.* 28. Ubi de *Medicinalibus*.

COROLLARIUM.

Byzantium, Urbs non ignobilis Thraciae (vide *Severus* in S), postea *Constantinopolis*, capta a Turcis an. Christi 1453. die 29. Maji, occiso in oppugnatione Constantino Palaeologo, Christiano Imperatore, Helenae filio, post 1190. annos a reaedificatione per Constantinum M. S. Helenae filium. Quae adnotare placuit, quia hic finis fuit Rom. Imperii in Oriente, et quia primus, et ultimus Constantinopolitanus Imperator cognomines fuerunt, et cognomines eorum matres. Constantinopolis *Nova Roma* a Constantino appellata, aedificata a Constantino fuit, relicta veteri Roma, quia haec nimis addicta Ethnicae superstitioni parum probabat Constantini ad Christianismum propensionem, et ab Idololatria aversum animum. Nova Roma tota fere Christiana ab initio fuit, auctore Constantino.

C

LIttera C respondet K Graecorum, apud quos proverbium erat: *Tria kappa pessima*. Idest: 3 *nationes*, *quorum nomina per K incipiunt*, *pessimae sunt*: nempe Cappadoces, Cilices, Cretenses.

Caecilius, Diadumeni Imperatoris Magister, natione Afer, Christi Religionem amplexus est. S. Cypriani Catechista videtur fuisse Presbyter jam ordinatus, a quo nomen accipere voluit S. Cyprianus. De eo vide in *Specimine*.

Caecilius, Poeta, a Cic. malus latinitatis Auctor judicatus. *Ep.* 3. *l.* 7. *ad Att.* et alibi. Non liquet, an ex ea *Caeci-*

ciliorum familia fuerit, ex qua 17 annorum spatio, partim Consulatu, partim Censorio gradu, partim triumpho 12 fuerunt decorati. De aliis viris doctis Romanis ejusdem nominis, vide in *Specimine*.

Caecilius, Praetor, qui reditum Ciceronis ab exilio una cum aliis multis amicis Ciceronis, Romae procuravit.

Caecina, sive *Cecina*, Legatus Rom. exercitus in Germania, milites consternatos in castris, et fugam meditantes continuit, tum *Oratione* sua, tum sese in castrorum portam abjiciens, ut milites, non nisi per eum conculcatum, fugere possent: quod non ausuros est arbitratus. Ita Tacitus *Ann. l.*1. Ignoro, an ex eadem fuerit stirpe, ex qua *Caecina*, partium Vitellii dux, postea proditor, ob quod etiam Flavianis, Vitellii hostibus, invisus fuit in Civili bello Flavii Vespasiani cum Vitellio. Vide Tac. *lib.* 3. *Hist.* De *Cecina*, Ciceronis amico, vide in *Specimine*, verbo *Cecina*.

Caeditius, Judex Romanus severissimus, de quo Juven. *Sat.* 13. Forsitan hic fuit *Caeditius* missus ad Camillum exsulem, qui Dictator creatus fuit, cum a Gallis Roma obsessa erat.

Caelius Historicus. Citatur a Gel. *l.* 10. *c.* 24. ejus *liber* 2. *Historiarum*, quae desiderantur.

Caepatius, Orator, de eo Cic. in *Orat. pro Cluentio*, in qua rem ridiculam narrat, ad *Caepatium* spectantem, quae illic legi potest.

Caerellia, docta foemina, et hoc nomine Ciceroni, et Attico accepta. De ea non semel loquitur Cic. cum laude doctrinae in *Epistt.* ad Atticum. In *Epist.* 22. *lib.* 13. queritur Cicero, quod *Caerellia* apud se haberet aliquot Operum Ciceronis, nondum vulgatorum, exemplaria, quae ad Atticum miserat, ut ab eo emendarentur, putatque ab Attico ad eam missa, de quo amice reprehendit Atticum. De se fatetur Cic. ad Att. *Ep.* 1. *l.* 15. eam apud amicos laudasse.

Caesar (C. Jul.) de quo multa in *Specimine*, valde laudatus fuit a Cic. ob suam clementiam, cum rerum potiretur, et supplicio afficere poterat Pompejanos. Vide Cic. *Orat. pro M. Marcello*. Nihilominus natura crudelis dicitur a Cicerone, ad Atticum scribente, clementiamque affectasse, quia haec populo grata erat. In *Oratione*, quam in Senatu habuit post devictum Cn. Pompejum, spondet, se non abusurum potentia, et felicitate sua, sed omnium, etiam olim hostium suorum in Civili bello, bono consulturum. Ita Dio Cassius, qui ejus *Orationem* refert. Idem populo in Concione spopon-

disse puto. Quod si populum sibi adversantem habuisset, a crudelitate non abstinuisset. Vide *Ep.* 4. *l.* 10. *ad Att.* Ait item Cic. populum offendisse, cum aerarium expilavit: vide *Capito* infra. L. Jul. Caesar, ejus pater, fuit Cos., et Dux exercitus Romani in Bello Sociali.

Caesarius, frater S. Greg. Nazianzeni, librum contra Graecos scripsit, qui desideratur.

Caeso (Q.) Fortis, et strenuus juvenis, forensi eloquentia ornatus, qui ob suas *Declamationes* exsilio fuit punitus. Vide Livium *lib.* 3. ubi multa de eo narrat, quibus Tribunos pl. exagitabat.

Caesellius scripsit de *Orthographia*, et citatur a Cassiodoro. Forsitan hic est *Caesellius vindex*, citatus a Gel. in multis locis NN.

Caestius, Orator, conatus est in Senatu, eloquenter orando, suadere, tollendum morem confugiendi ad Statuas, et Imagines Caesarum, tanquam ad asylum, narrans: Anniam Rufillam, in judicio damnatam, probra, et maledicta contra se jecisse fugiendo ad Caesaris imaginem.

Caestius, Declamator, qui se Cicerone eloquentiorem jactabat, miris dicteriis, et facetiis irrisus fuit, non a Seneca, ut in *Specimine*, per errorem traditur, sed a Servio Cassio, homine faceto. Vide *Prooemium* M. Senecae ad *lib.* 3. *Controv.* in fine; ubi narrat Seneca ridiculum Cassii factum in *Caestium*, qui nihil facetiis Cassii respondere ausus est. Vide alia de eo in *Specimine*, et infra verbo *Cestius*.

Cajus, Historicus Christianus, qui contra Proculum Cataphrygam scripsit, et disputavit, affirmans, Romae ostendi trophaea SS. Petri, et Paulli, qui Romanam fundarunt Ecclesiam, indicatque vias, in quibus visuntur.

Calenus (Q. Fusius) Ciceronis consanguineus, et inimicus: utpote qui defendebat orando eos, quos Cicero reos agebat, quique Ciceronis erant jurati inimici, ut Clodius, et M. Antonius. Dion ei tribuit *Orationem*, qua M. Ant. contra *Philippicas* Ciceronis defendit, colligens, et narrans Ciceronis crimina, et M. Ant. virtutes, et facta praeclara. De *Caleno* loquitur Cicero in *Philippicis*, tamquam de M. Antonii amico, nunc *Calenum*, nunc *Q. Fusium* eum appellans. Videtur et Senator, et eloquens Orator fuisse. Cicero eum alloquitur in *Philipp.* satis benigne. De hoc *Caleno*, diverso a Sulpiciae Poetriae marito, vide in *Specimine*.

Calfurnius (M.), Cos. De eo Cic. ad Att. scribens, ait, fuis-

fuisse parvo animo, et pravo: facetum item, sine dicacitate, sed facile magis ridiculum, quam facetum.

Caligula (C. Caesar, de quo multa in *Specimine*) neque melior eo unquam servus, nec deterior dominus fuit. Ita Tacitus *lib. 6. Ann.* Cum imperabat, occludi jubebat spongia os eorum, quos torquebat, ne vocis emittendae, et gemitus edendi haberent facultatem. Hoc narrans Seneca *l.* 1. *de Ira* addit: *Cui unquam morituro non est relictum, qua gemeret?* Idem Sen. in *QQ. NN. lib.* 4. *Prooemio*: *Videbam*, ait, *apud Cajum tormenta: videbam ignes: sciebam olim sub illo in eum statum res humanas recidisse, ut inter misericordiae opera haberetur occidi: nam ita occidi homines jubebat, ut sentirent, se occidi, mortem non festinando.* Crudelis ejus animi illa exclamatio index est: *Utinam Pop. Rom. unam cervicem haberet*, ut nempe posset uno ictu innumera capita praecidere. Praeter cives Romanos clarissimos, quibus magno numero vitam ademit, occidit fratres suos, et sorores: occidissetque patruum Claudium, qui ei successit, nisi ille stultitiam simulasset.

Camillus: vide *Caeditius* supra. Insigne *Camilli* factum, et dictum, cum Falerios, Faliscorum Urbem, Dictator oppugnaret, et pueros principum Urbis ad eum ludimagister proditor detulisset, ut hoc pacto puerorum patres Urbem cogeret Romanis tradere: vide apud Livium *lib.* 5. Falisci Romanorum aequitatem mirantes, et ludimagistrum a Romanis rejectum, ac ad Faliscos remissum punientes, se ultro Romanis tradidere, magna cum Camilli laude. Sunt ex Romanis Historicis, qui dicant, Camillum magnam stragem Gallorum, qui Romam ceperunt, et combusserunt, fecisse; sed Polybius contradicit: vide Plut. in *Vita Camilli*.

Caninius, Consule *Maximo* mortuo die postremo Decembris, Caesar hora diei septima Consulem renuntiavit *Caninium* in reliquam diei partem. Quem cum plerique irent salutatum de more, Cicero dixit amicis: *Festinemus priusquam abeat Magistratu*. De eodem *Epist.* 30. *l.* 7. ad *Famil.* scripsit: *Fuit mirifica vigilantia Caninii, qui toto suo Consulatu somnum non viderit*. Verum, cum Kal. Jan. novus Consul loco Maximi creatus fuerit; poterat nocte postremi diei Decembris somnum videre, adhuc Consul, *Caninius*.

Canius (Q. Gellius) Attici in pueritia condiscipulus, et intimus amicus, valde similis Attico in majori aetate, tum moribus, tum studio litterarum. Vide Nepotem in *Vita Attici*. De aliis ejusdem nominis vide in *Specimine*.

Cantus. De cantu, et sonis musicis, qui apud Romanos in usu erant, vide Cic. de *Legibus*.

Capito (Artemidorus) Medicus sub Adriano Imperatore.

Capito (Cossutianus) Orator, repetundarum damnatus sub Claudio, eo quod contra legem Cinciam mercedem, aut dona pro Caussis orandis accepisset a clientibus. Accusatus etiam fuerat a Cilicibus ob eamdem caussam sub Nerone: vide Tac. *lib.* 11. et 13. *Ann.*

Capito (Atteius) Jurisconsultus celebris. Videtur hic esse *Capito*, qui in rebus novis aucupandis erat adeo diligens, teste Cicerone, ut hac in re Camillo non cederet. De eo Cic. ad Att. *Ep.* 13. *lib.* 13. Ex eo novit Cic. Cajum J. Caesarem in animo habuisse, urbem ampliare, et *Capitonem*, aut Ciceronem de hac re consulere. Vide alia in *Specimine*, v. *Capito*.

Caractus, Dux Silurum in Britannia contra Romanos, quibus fuit traditus a regina Brigantum Cartimundua. *Orationis*, quam captivus in Senatu Romae habuit, meminit Tacitus *lib.* 12. *Ann.*

Carbo (C.), Orator, qui etiam belli tempore in tabernaculo orando se exercebat. Ita Quint. *lib.* 11., ubi agit de extemporali dicendi facultate. Vide in *Specimine* alia.

Carneades, Philosophus, princeps novae Academiae 90. annos vixit, teste Cic. in *Lucullo*. Auditorem habuit Clitomachum, Poenum, a Cic. laudatum. De eo multa in *Specimine*. Vide Plinium *Hist. Nat. lib.* 7. *c.* 30.

Carterius, Praetor urbanus, amicus Symmachi, urbis Praefecti. Vide *Epictetus* in E.

COROLLARIUM.

Carthago, Urbs Poenorum Metropolis, Romae aemula, non armis solum, sed etiam artibus, et disciplinis, si fidem habeamus Apulejo in *Floridis*. Ait enim, Carthagine et juvenes, et senes imbutos disciplinis omnibus fuisse. Saltem inter Christianos Poenos doctrinam, et eloquentiam floruisse primis Ecclesiae seculis, palam faciunt Scriptores clarissimi Arnobius, Lactantius, ejus discipulus, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Augustinus, alii praeter multos schismaticos, et haereticos, qui doctrina, et eruditione sua abutentes insanierunt, in errores contra Catholicam Religionem prolapsi. Carthaginenses laudantur etiam ut viri docti a Salviano *lib.* 7. *De Providentia*, *et Judicio Dei* in fine; sed idem testatur, vitiis abundasse, praesertim luxuria, et prava libidine omni-

omnigena, adeout Polygamia apud Carthaginenses vigeret, cum a Wandalis Carthago capta fuit. Testatur item Salvianus, Carthaginensium libidinem repressam a Wandalis, quorum pudicitiam commendat, indicans, in multis minus barbaros, et vitiosos Gothos, et Wandalos, quam Romanos fuisse. Ingenii acumine multum valuisse Poenos testatur Cicero.

Carus, Imperator Rom. Ethnicus. Rescriptum edidit in favorem Christianorum, quo Ecclesiam Thessalonicensem, quam sacrosanctam vocat, a tributis liberat.

Cassius, Parmensis Poeta. Ejus *Epist.* in qua taxat Augustum, ut *pistoris* et *nummularii* nepotem, citatur a Suetonio in *Augusto c.* 4. Vide alia de eo in *Specimine*.

Castor (Antonius) citatus a Plinio *l.* 20. *H. N.* et *l.* 21. 22. et alibi, fuit magnus Botanicus, et vivebat Plinii aevo centesimum annum aetatis agens, et excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne per aetatem quidem, memoria, aut corporis vigore concussis. Habebat hortum, in quo multas herbas salubres alebat. Vide Plin. *lib.* 25. *c.* 2. Vide *Botanica* in *Specimine*.

Castor accusavit Romae Dejotarum, Galatiae regem, avum suum apud J. Caesarem, eo quod Caesarem occidere decrevisset, cum apud Dejotarum hospitaretur. *Castor* corrupit servum fugitivum Dejotari, qui id testaretur. Vide Cic. *Orat.* pro *rege Dejotaro* dictam C. J. Caesari inter privatos parietes. Vide *Dejotarus* in D.

Castricius, Ejus judicium circa *Orationem* Metelli Numidici *de uxore ducenda* affert Gellius *lib.* 1. *c.* 6. *NN.* Cum nonnulli eam *Orat.* reprehenderent, dixit: *Aliter Censor loqui debet; aliter Rhetor. Huic concessum est sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo verisimiles sint, et possint ad movendum hominum animos, qualicunque astu, irrepere. Metellum autem, Virum Sanctum, et gravem non nisi vera dicere oportuisse de rei uxoriae molestiis, nec aliud eum addecebat*. *Castricius* hic fuit Gellii magister. Vide Gel. *l.* 13. *c.* 20., ubi testatur, fuisse virum summa auctoritate, et gravitate: item, Rhetoricam Romae docuisse sub Adriano, cui valde acceptus fuit.

Casus. Omnia *casu* fieri stultissime docebant Epicurei, negantes Dei Providentiam. Eos acriter rejicit Cic. ut etiam Seneca, et Plutarchus. Legi dignum est Opus Salviani, Christiani scriptoris eloquentissimi, et gravissimi de *Provid.* et *Judicio Dei libris* 8, ubi contra Epicureorum hunc errorem disserit.

Ca-

Catius, Epicureus Philosophus, (de quo in *Specimine*). Eum *Sat.* 4. inducit Horat. multa de Arte Coquinaria praecepta tradentem, et hoc ipso Epicurum, et ejus sectatores irridet. Scripsit 4. *libros* de *rerum natura*, et de *Summo bono*. Ita Acron in *Sat.* 4. *lib.* 2. *Horatii*.

Catius (Fronto) Orator, et Senator, coaevus Plinio Juniori, qui eum non uno loco laudat. Vide Plin. in *Epist.* 4. et 6. *lib.* 2. ubi mentionem ejus facit.

Cato, Censorius. Praeter alia de eo dicta in *Specimine*, en Livii de eo testimonium singulare: *In hoc viro*, inquit, *tanta vis animi, et ingenii, ut quocunque loco natus esset, sibi fortunam facturus videretur*. Cic. in *Bruto* post multas laudes ejus eloquentiae, dolet, ejusdem *Orationes* a paucis legi. De eo narrat Seneca, quod sputis in foro dehonestatus, et lacerata veste, noluit injuriam agnoscere dicens, talia in se patrata non meminisse. Forsitan tunc jam Censor morum non erat. Fragmentum *Orationis de falsis pugnis*, in qua de Q. Thermo queritur, affert Gel. *lib.* 10. *c.* 3. In eodem Gel. *lib.* 11. *c.* 18. legitur verissimum Catonis dictum illud: *Privatorum fures in nervis, et compedibus aetatem agunt; publici in auro et purpura visuntur*. Legitur etiam *lib.* 16. *c.* 1. Fragmentum *Orationis* habitae Numantiae ad Equites, in qua haec notabilia, et plena doctrinae: *Cogitate in animis vestris, siquid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet; benefactum a vobis, dum vivetis, non abscedet. Sed si quae per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit; nequiter factum illud apud vos semper manebit*. Plus luminis nobis ad vitam recte instituendam accenditur hoc uno Catonis dicto, quam omnibus nostri aevi Epicureorum Philosophorum scurrilibus scriptis. Ex *Catone* etiam dictum illud habemus: clarorum virorum non otii minus, quam negotii rationem exstare oportere. Benignissime cum servis se gerebat: quod Plut. in *ejus Vita* laudat, illud reprehendens, quod senes, et invalidos venundabat; id se cum bove sene non facturum addens. Ipse per se filium erudiebat, quin vellet id servo Chiloni, viro docto, qui alios erudiebat, debere. Ita Plut. Uterque *Cato* Censorius, et Uticensis notantur, eo quod in multis modum non servarint, immemores illius praecepti Pythagorae, Solonis, vel Biantis: *ne quid nimis*: quod Alfeus quidam sibi *nimis* placere lepide ajebat, ut habetur in antiquo quodam Graeco *Epigr.* Dictum illud consonat cum Salomonis dicto: *Noli esse justus multum*.

Ca-

Cato, Uticensis. Dictis de eo in *Specimine* haec addo: *Velleius* Paterc. *lib.* 2. *Hist.* hyperbole usus, ait, eum omnibus vitiis immunem fuisse, et semper fortunam in potestate habuisse. Laudatur etiam a Sen. ut vir magnus animo in omni fortuna: quod falsum puto: vide *Suicidium* in S. De eodem inquit Sen. de *Tranquillitate vitae*, lib. 1. *c. ult.* *Catoni ebrietas objecta est: at facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.* Nugae: nugae, mi Seneca: Te dementavit Stoicismus *Catonis*. Tanta tamen in opinione Romae fuit, ut, cum a C. J. Caesare, cui in Senatu contradicebat, in carcerem ire jussus fuisset, et jam iret, totus insurrexerit Senatus, prosecutus *Catonem* in carcerem, et alter ex Senatoribus, M. Peronius dictus, facti rationem pro omnibus reddens, Caesari Consuli dixerit: *Malo cum Catone esse in carcere, quam hic tecum.* Ita Gel. ex Val. Max. et Xiphilino. De *Catone* hoc narratur, numquam risisse. Idem traditur de Heraclito, Anaxagora, Socrate, et Nerva Imperatore. Idem de Philippi Arabis filio, Caesare a Patre creato. C. J. Caesar libros edidit, quos *Anticatones* inscripsit, et plura contra Catonem in illis tradidit. Hos libros, qui nunc desiderantur, fuisse in bibliotheca Leodiensi narrat Ludovicus Vives, testem adducens Card. Leodiensem.

Cato (C.) *Oratione* perpetua Pompejum accusavit, Ciceronem laudans, et increpans Pompeii perfidiam in Ciceronem. Ea *Oratio* magno cum malevolorum plausu, et silentio audita fuit, ut indicat Cicero ad Q. Fr. *Epist.* 3. *lib.* 2. *ad Q. Fr.* De C. *Catone* saepe Cic. in aliis *Epistolis*. Non liquet, utrum sit is *Cato* adolescens, qui Gabinium de ambitu accusare discupiens, cum videret, a corruptis Praetoribus accusationem suam rejici, in Concionem ascendit, et privatus Pompejum, qui Gabinio favebat, Dictatorem appellavit, ut invidiam Pompeii potentiae crearet, nihilque proprius factum, quam ut occideretur. Ita Cic. de eo loquens ad Q. Fr. *Ep.*2. *l.*1. De multis hujus nominis vide in *Specimine*.

Catullus, Poeta, dicitur, se in puteum projecisse, et illic suffocatum obiisse. De eo in *Specimine*, ubi etiam de aliis ejusdem nominis.

Catulus. De Catulis, patre, et filio bene loquendi opinio non minor. Ita Cic. *l.* 1. *de Off.* De eisdem ait: optime uti latina lingua putabantur. Item et litteratos fuisse, et vocis sono suavi, et leni usos cum judicio. De aliis ejusdem nominis, vide in *Specimine*.

Ce-

Cecina, Orator, Marcellorum inimicus, ut magnis inimicitiis claresceret. Ita Tac. *l.* 2. *Hist.*

Celer (Propertius), Jurisconsultus, et vir Praetorius, veniam ordinis Senatorii ob paupertatem petiit. Ita Tacitus *l.* 1. *Ann.*

Celer (Metellum Celerem hunc fuisse puto, licet Cic. ad Att. *Celeris* appellatione solum eum laudet), *Orat.* habuit contra M. Servilium, quam Cic. ab Attico petit, ad se mitti *Ep.* 3. *l.* 6. De eodem loqui videtur *Ep.* 1. *lib.* 10. dicens: *Celer tuus disertus magis est, quam sapiens*: quibus verbis indicat, missam ad se praefatam *Orationem*, et *Celerem* Attici amicum fuisse.

Celsus. De multis hujus nominis viris doctis, vide in *Specimine*.

Corollarium.

Censores. Censoriae Animadversiones et Notae in veteribus monumentis repertae, et memoratu dignae legi possunt in Gellio *l.* 4. *c.* 8., et 12. ubi de P. Corn. Ruffino, et Fabricio *Censoribus*. *Censores* singulis lustris Censum Civium facere poterant, sed quia labor erat improbus singulis lustris tot Cives recensere in tanta incolarum Romae multitudine; puto omissum Censum in multis lustris. Revera T. Livius in suis *Hist.* meminit solum ad 24. summum Census, a *Censoribus* diversis in lustris peractos, civium numerum in unoquoque notans. vide *Lustrum* in L. Quinam Cives *Capite censi* dicerentur? Vide Gel. *lib.* 10. *c.* 10., ubi de discrimine inter *Proletarios*, *Capitecensos*, et *Assiduos*. In Censu Civium Rom. Peregrini, et Servi non numerabantur, et in nonnullis, nec Pupilli, nec Viduae, ut adnotat Livius, vel ejus Epitomator Florus. Imperatores Romani Censoriam dignitatem sibi arrogantes *morum Praefecturam* Censorium munus appellabant, seque *Praefectos morum*. Nonnulli tamen Imperatores *Censoris* titulum non repudiarunt, ut constat ex antiquis Inscriptionibus.

Cepius, qua occasione somnum simularet, et se non omnibus dormire diceret servo, aliquid in mensa positum furanti? vide Coel. Rhod. *lib.* 12. *c.* 16. *ll.* *Ant.* ubi dictum simile a *Cabba* quodam, Moecenatis amico, cum eum convivio exciperet, et nonnulla in mensa, sibi parum grata, inter Moecenatem, et uxorem animadvertisset.

Ce-

Cerealis (Petilius) Dux Rom. exercitus in Germania, *Orat.* habuit ad milites, eos confirmans, et a fuga retrahens. Item aliam ad Lingones, et Treviros, rebellionem in Romanos meditantes: Ita Tac. *lib.4. Ann.* Alterius *Orationis*, qua milites victores, ut hostes in perpetuum perderent, excitavit, meminit Tac. *l.5.* Non audeo dicere, hunc fuisse *Cerealem*, postea partium Vitellii ducem, quamvis in nomine conveniant.

Ceretani, vel *Caeretani*, dicebantur Circitores, eo quod, deleto a Romanis Caere oppido, Caeretani inopes per Italiam vagantes, multarum rerum scientiam praesertim medicinalium commenti, ut victum sibi procurarent, garrulitate, et ludicris spectaculis, doctrinae opinionem apud vulgus sibi conciliabant. Inde *Caeretanorum* nomen in Circitores manavit. Si Caere oppidum deletum fuit a Romanis ob *Caeretanorum* rebellionem; perperam dixi in *Specimine*, verbo *Tabulae*, parum gratos Romanos in *Caeretanos* fuisse, suffragii jure eos privando; hac enim poena fuerunt digni. Deleri autem oppidum nimis durum videtur: cum in illud se receperint Sacerdotes cum Sacris Romanorum, dum hi obsessi a Gallis erant.

Cestius (C.) J. Filius Praetor, et Tr. pl. VIIVir Epulonum, cui erecta pyramis marmorea, in qua fuit sepultus. Quod opus absolutum fuit ex testamento arbitratu Ponti P. F. haeredis diebus 330. Ita ex antiqua inscriptione, quae legitur in praefata pyramide, sita prope S. Paulli portam Romae.

Cethegus (Corn.). Hujus suaviloquentia laudatur ab Ennio in *Annal.* ubi eum appellat, *Florem delibatum populi, suadaeque medullam*. De eo Cic. in *Bruto* ait, fuisse Cos. cum P. Tuditano bello Punico 2.

Cethegus alter, *Publius* dictus, laudatur a Cic. in Bruto, fuitque C. Jul. aequalis; atque adeo Corn. *Cethego* posterior.

CH

Chalcidius, Philosophus, scripsit latine *contra Fatum*. Ejus, et aliorum *contra Fatum* sententias collegit Grotius.

Chaldaei. Vide *Astrologia* in A.

Chilius, Poeta, (de quo Cicero *lib.* 1. ad Att. et alibi) scribit, optasse, ut ad se mitterentur Eumolpidarum sacra, et ritus: forsitan, ut de illis Poema pangeret. Eumolpidae autem erant Sacerdotes Athenienses, a quibus sacra fiebant

nocturna in honorem Eumolpi regis. Ita Diodorus Siculus, et Cicero.

Chilo, Servus valde doctus *Catonis* Majoris, seu Censorii. Vide *Cato* supra.

Chimica Ars docens ex Simplicibus, ope ignis, *quintas*, ut vocant, *essentias* extrahere, ignota Romanis antiquis non fuit. Elementa Chimica sunt Sal, Sulphur, et Caput mortuum, ex quibus omnia mista constare docent Chimici.

Christiani antiqui sub Romanis Imperatoribus Ethnicis solidam veramque Philosophiam, a Christo, et Apostolis edocti, professi sunt, qua mundum, crassa errorum caligine involutum, illuminarunt, eandemque verbo, et exemplo suo confirmarunt, et propagarunt: nam

Illis summa fuit gloria despici:
Illis divitiae pauperiem pati:
Illis summa voluptas,
Longo supplicio mori.

Haec omnia pro testanda, asserendaque veritate, cujus Philosophus legitimus in primis studiosus, et assertor esse debet, ut inimicus erroris, et corporeae voluptatis. Haec est Philosophia mentes illuminans, animumque ducens ad aeternam felicitatem, a qua Philosophia recedentes novi Philosophi Antichristiani, non *Illuminatores*, sed *Tenebriones*, et *Obscuratores* nostri seculi dicendi sunt. Ast surdis canimus, et furiosis monita damus: profutura iis forsitan, qui nondum sunt ab illis decepti, et omnino depravati, si ista legerint. De priscorum Christianorum latinitate, et linguarum dono divinitus eis concesso egimus in *Paradoxis Philologicis de Vita, et Morte latinae linguae*. Actum etiam in Responsione ad Satyram Lagarinii. Christianorum nomen Antiochiae Christi sectatoribus primum inditum fuit.

Chronologia: vide *Historia* in H.

Chrysanius, Sardianus, Pontifex Ethnicus sub Apostata Juliano, filium habuit, qui, cum nec Grammaticam, nec Poeticam calleret, solo aspectu Solis, oracula contra Christianos fundebat arte magica Patris. Vide Suidam, et Eunapium.

Chrysippus alter ex doctis servis Ciceronis, vel Q. Fratris. Ei valde perito, et diligenti, ait Cic. *Ep. 4. l. 3. ad Q. Fr.* se imperaturum curam supplendae Bibliothecae Graecae Q. Fratris, una cum Tyrannione.

Chrysogonus, Syllae libertus carissimus, quem Cic. offendit *Oratione* sua *pro Sexto Roscio*, et quia arbitratus est, Syl-

Syllam etiam offensum hoc ipso fuisse, Roma egressus in Graeciam se contulit, ut Graecos Oratores, et Philosophos audiret. Asiam postea peragravit, ut Asiaticos Oratores agnosceret, et ex eis in Oratoria proficeret.

Chrysopeja: Vide *Alchimia* in A.

C I

Cicero, M. Tullii Pater, vir litteratus ajebat: Romanos Syrorum venalium esse similes, nam, ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum: quod indicat, parum in Graecam linguam propensum fuisse, licet vir doctus esset. De ejus morte loquitur Cic. in altera ex *Epistolis* ad Atticum *lib.* 1. Vide alia in *Specimine*.

Cicero (M. Tul.) Quamvis non pauca de eo sint dicta in *Specimine*, placet hic multa addere illic praetermissa, et de tanto Viro scitu digna. De eo ajebat Vel. Paterc. *lib.* 2. omnia incrementa sua sibi debuisse. *Cic.* ad Q. Fr. scribit: nullam diem esse, in qua pro reo non dicat. Misit *lib. de suo Consulatu*, et 12. *Orationes* ad Att. ut constat ex prioribus *Epist. l.* 2. ad Att. Illic catalogum texit earum *Orationum*, quarum plures desiderantur. Desiderantur etiam *Prognostica*, quae ad Atticum misit. Nec apparet *Oratio pro Bestia*, ambitus accusato, foro medio, et maximo Civium conventu apud Praetorem a *Cic.* defenso. In *Bruto* ait, se pro Titinia Cottae orasse, et contra se orasse Curionem infelicis memoriae Oratorem. Utraque *Oratio* desid. In *lib.* 14. *Epist.* 18. *ad Att.* loquitur Cic. de *libro Anecdoton*, quem nondum perpoliverat. Utrum editus fuerit? ignoro. Aliud *Opus* se lucubraturum ad preces Attici alibi indicat, quod, nisi si fallar, de *Historia* erat, ad quam scribendam se accinxerat, nonnulla ex Attico quaerens, non satis sibi explorata in *Historia*. Suet. in *Caesare* citat nonnullas ad Att. *Ep.* quae adhuc latent. Seneca *Epist.* mihi 109. affert multa ex libris de *Repub. Ciceronis*: et *Cic.* ipse in *Epist.* quadam ad Atticum affert *libri* 5. *de Repub.* fragmentum. In 3. *libro* de *Nat. Deorum* desunt multa. In his libris palam facit, se in Astronomicis, et Anatomicis peregrinum non fuisse, multumque in Ethnicorum Theologia fuisse versatum. In *libris* de *Divin.* sunt nonnulla fragmenta *Poematum Cic.* ut *Marii*, *Prognosticon*, *de suo Consulatu*. In *libris* de *legibus* sunt nonnullae lacunae. Misit ad Att. Porciae, Bruti uxoris, *Laudationem*, quae non comparet. Vide *Epist.* 47. *lib.* 13. Nec legitur *Oratio* pro *Popillio*, Trib. Militari, parricidii reo,

reo, qui postea missus fuit ab Ant. ad occidendum *Ciceronem* una cum Herennio Centurione. Exploratum non habeo, quo de argumento fuerit *Opus*, quod ad C. J. Caesarem in Britannia militantem misit, cujus *liber primus* valde placuit Caesari; in aliis vero *libris* ut segnior *Cicero* a Caesare notabatur. Ita Cic. in *Ep. lib.* 2. *ad Q. Fr.* quem rogat, ut inquirat a Caesare, quid ei displicuerit. Forsitan *Epos* erat, quod absolvisse se dicit *Ep.* 9. *lib.* 3. ad Q. Fr. mittendum in Britanniam. Hoc *Epos*, ut etiam *liber de Admirandis*, citatur a Plinio *lib.* 31. *c.* 2. Et forsitan etiam *lib.* 29. *c.* 4. ubi de *Mustela*. Idem Plinius *lib.* 18. *c.* 35. *H. N.* affert 3. *versus* Ciceronis de *Lentisco*. En illos:

Jamvero semper viridis, semperque gravata
Lentiscus triplici solita est grandescere foetu:
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Ex quibus colligitur, de re rustica Opus aliquod edidisse. In *Bruto*, seu de *Claris Orat.* desunt nonnulla in fine. In *lib. de Fato* deest principium, ac multa desid. post principium, et in fine. Ex his intelligitur, quam multa scripserit Tullius, quae adhuc latent, vel perierunt, ut mirum non sit quod ad Att. scripserit *Ep.* 26. *l.* 13. *Credibile non est, quantum scribam die: quin etiam nocte: nihil est enim somni*; idcirco forsitan male pictis characteribus nonnunquam scribebat *Epistolas*, quas Atticus legere non poterat. Ita in *Ep.* quadam ad Att. in qua ait, se uti quovis calamo, qui ad manum veniret, ut bono.

In *Orat. Ligariana*, se memoria lapsum fatetur *Epist.* 42. *lib.* 13. ad Att. In dicta *Orat.* posuisse *Lucium Curfidium* ait, et rogat Atticum, det negotium Pharnaci, Antaeo, et Salvio, Attici librariis, ut id nomen ex omnibus exemplaribus eradatur. De suis *QQ. Acad.* loquitur in multis ad Att. *Epist. l.* 13. In illis mutavit Interlocutores, multa addens, et demens, eos emendando. De Opere illo ait, Graecos nihil simile habere, nisi si ipse a communi philautia decipiatur. Vide *Ep.* 13. *lib.* 13. ad Att. In *Oratore* rogat Atticum, ut pro *Eupoli* per librarios ponatur *Aristophanes*, non solum in ejus libris, sed et aliorum. Ita *Ep.* 7. *lib.* 12. In *libris de Finibus* mutavit etiam nonnulla. Ita *Ep.* 21. *lib.* 13. Vide *Caerellia*. Queritur *Ep.* 22. quod libri sui, quos ad Att. ut emendarentur, mittebat, injussu suo describerentur. *Heraclidia* appellabat Opera, a se subtilius scripta, quia in illis imitabatur Heraclidem Ponticum, subtilissimum Scriptorem. In variis *Epist.* ad Att. eum rogat, ne

cuiquam bibliothecam suam despondeat ; eam enim valde o-
ptat, sibi servari. Saepe etiam, varios libros sibi utendos ad
se mitti ex ea, Atticum orat: quod indicat, Attici Bibliothe-
cam valde copiosam, et selectam fuisse.

BREVIS COMMENTARIUS DE REBUS DOMESTICIS, ET PRIVATIS M. TUL. CICERONIS, Q. FRATRIS, ET T. POMPONII ATTICI, PARUM NOTIS.

Virorum doctrina, et rebus gestis clarissimorum res etiam
minimas scire juvat. Nec silent Historici pueriles ludos,
quibus laxandi animi causa, cum a gravioribus studiis vaca-
bant, indulgere solebant Socrates, Scipio, Laelius, Scaevo-
la, Aug. Claudius, Severus Alexander Imperatores, et alii,
licet occupationes levissimae, et tantis viris parum dignae
videri possint. De Laelio, et Scipione rusticantibus, ac vel-
uti repuerascentibus ad Cajetam, et Laurentum, vide Cic.
de Oratore lib. 2. Haec mecum reputans non mirari non pos-
sum, multa ab Historicis antiquis, et recentibus praetermis-
sa, quae de M. Tullio, Quinto Fratre Tullii, et T. Pom-
ponio Attico narrari poterant. Itaque non displiciturum le-
ctoribus puto, res domesticas, et privatas M. Tul. Q. Fra-
tris, et Attici heic attexere, quae ex *Epistolis* Cic. ad Att.
et ad Q. Ciceronem Fratrem collegi, et ab Scriptoribus
Vitae Ciceronis, et *Attici* brevitati consulentibus, forsitan et-
iam quia res leves ipsis visae, praetermittuntur. Et primum
quidem in nonnullis ad Att. *Epistolis* narrat Cic. pueros Ci-
cerones, filium nempe, et nepotem ex fratre, in litteris pro-
ficere sub disciplina Dionysii, domestici Praeceptoris; ast al-
terum fraeno, calcaribus alterum indigere. De *Dionysio*, Prae-
ceptore puerorum Ciceronum, qui servus fuerat Tullii, et
Attici, deque ejus fuga post furtum librorum aliquot ex Bi-
bliotheca Ciceronis, vide in *Specimine* verbo *Dionysius*. De
eodem loquitur Cic. in multis Epistolis ad Atticum, nunc
eum laudando, nunc eum damnando tanquam ingratum, et
superbum, exponens, se injuria ab eo violatum fuisse. Cum
filium Marcum Athenas misisset, ut illic ingenuis disciplinis
navaret operam, decreverat illuc se conferre, ut filio ades-
set, et praesentia sua ad studia litterarum excitaret. Ita ex
Ep. 17. et aliis *lib.* 14. ad Atticum. Interim videtur curam
filii commendasse nonnullis amicis, viris doctis, forsitan Athe-
niensibus Professoribus, Leonidae scilicet, Herodi, et Xeno-

phonti. Ita in *Epist.* ad Att. In *Epist.* 7. *lib.* 14. exponit Attico, se accepisse a filio *Epist.* bene longam, eleganter scriptam: nec dissimulat, se valde sollicitum esse de filii in litteris profectu, narrans, quid Athenienses magistri, et amici de eo scribant. Optat, ut nihil illi desit ad laute, et splendide se gerendum Athenis, oratque Atticum, ut de hoc curet, tanquam de re sibi honorifica. In *Epist.* 22 *l.* 9. narraverat Attico, se togam puram filio dedisse Arpini, idque valde gratum municipibus suis fuisse. In *Epist.* autem 17. *lib.* 11. Attico dicit, se decrevisse mittere cum Sallustio filium ad Caesarem.

De fratris filio ex Pomponia, Attici sorore, loquitur Cic. in variis ad Att. *Epistolis*, nunc bene, nunc male diversis temporibus. *Epist.* 13. *lib.* 10. eum tetris coloribus depingit, tanquam avarum, mendacem, non amantem suos, ac etiam ut arrogantem, ferocem, et infestum: quae vitia non patris, et patrui indulgentiae, sed pessimae illius indoli tribuenda dicit. Attico commendat, ut discerpat hanc *Epistolam*. In *Ep.* 16. *lib.* 14. Attico narrat, Q. Fr. gravia de filio ad se scripsisse. In *Epist.* 37. 39, et 40. multa item mala de eo scribit: In alia scribit non sine displicentia, eum Caesari valde esse addictum, et omnia ab Antonio sperare: queriturque quod se contulisset ad Caesarem. Indicat insuper, Coronam in Parilibus, sive Palilibus acceptam gestasse in Caesaris gratiam, dum viveret, eamque post ejus necem deposuisse in signum doloris. Palam enim testabatur, se Caesarem etiam mortuum diligere, nec vereri, se ob id reprehendi. De Corona in Palilibus locutus fuerat Cic. *Ep.* 15. *l.* 14. Vide *Ep.* 21. ejusdem libri.

Tandem ad se rediisse nepotem suum, moresque emendasse ait Cic. *Epist.* 16: quin etiam dictorum, et factorum in matrem eum poenitere, jubetque Atticum de eo bene speraret: testatur namque *Ep.* 5. dicti libri, commutatum esse totum: Bruto adjunctum, partibusque Reip. lectis libris suis *de Repub.* In eadem *Ep.* leguntur ei honorifica cum excusatione juvenilis aetatis. Ex *Epistolis* ad Att. *et ad Q. Fr.* innotescit, fuisse simultates inter Tullium, et Q. Fr. Ait namque in nonnullis ad Att. *Epistolis*, novisse ex amicis, Q. et ejus filium parum amanter de se loqui. Vide *Epist.* 8. 9, et 10, ubi multa probra, et maledicta Q. Fr. et filii contra Ciceronem. In *Ep.* 10. narratur, Quinti filium ostendisse *Orationem*, quam apud Caesarem Victorem contra patruum habere decreverat. Haec in *Epistolis lib.* 11., quae scriptae fue-

runt

runt post victum Pomp. a Caesare. Vide *Epist.* 11, 13, 15, et 19. ad Atticum.

Constat insuper, inter fratrem Quintum, et uxorem Pomponiam querelas fuisse, et hanc vel a marito discessisse, vel obiisse. Nam videtur Quintus uxorem Aquiliam duxisse, vel ducere voluisse; cum ejus filius ad eum scripserit, se novercam Aquiliam neutiquam passurum, et pater decreverit, ei domum cedere, ut solus viveret. In altera ex *Epist.* Cic. ad Att. *lib.* 1. huic narrat, se Q. Fratrem, et Pomponiam in concordiam revocasse post nonnulla inter illos dissidia.

Tullium inter, et uxorem Terentiam simultates fuisse, et tandem divortium, notissimum est. De divortio hoc loquitur satis obscure Tullius in *Epist.* ad Atticum, quod ob turbas domesticas factum videtur. In multis *Epistolis* consulit Atticum tempore belli civilis inter Pomp. et Caesarem, quid sibi faciendum? Valde incertus animi, an Pomp. ex Italia discedentem sequeretur, anve in Italia maneret? In utroque pericula agnoscit, et hominum reprehensionem veretur. Caesar optabat, factum suum Ciceroni probari: Pompejo debebat reditum ab exsilio, ac praeterea videbatur Pompejus Reip. partes tueri. Quid ipse praesagiret de bello civili, exponit Attico *Epist.* 11. *lib.* 8. in multis reprehendens Pompejum. Illud non omittendum, quod Cic. testatur *Ep.* 8. *lib.* 7. ad Att., se pecuniam Caesari debuisse, quin dicat, quantum esset illud debitum. Nihilominus Pompejo magis quam Caesari addictus fuit, licet Caesar eum esse suum optaret belli civilis temporibus: vel quia putavit Cicero, re vera partes Reip. Pompejum tueri, vel quia Pompeji opera ab exsilio revocatus, noluit ingrati in eum notam subire. Quamobrem, ne Pompejum fautorem Gabinii offenderet, noluit hunc accusare, quantumvis a multis ad agendum eum reum impelleretur, ut scribit ipse ad Q. Fratrem. Cum exsularet in *Epist.* ad Q. Fr. testatur, se parum spei de reditu habere, licet nonnulli de ejus ab exsilio reditu bene sperarent. Ait quippe *Ep.* 3. *l.* 1. *Sed ego, quid sperem non dispicio, cum inimici plurimum valeant: amici partim deseruerint me, partim prodiderint, qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescunt.* Paullo post indicat, se in animo habuisse vitam finire in tantis malis, seque jam occidisset, addit, nisi putasset, id contra consanguineorum, amicorumque vota esse. *Neque enim*, inquit, *tantum virium habet ulla, aut prudentia, aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere.* Si Tullius christiana doctrina imbutus

butus fuisset, vel sacras Hebraeorum litteras legisset, haec, et graviora, Jobi exemplo, sustinere potuisset, vera virtute se involvens, quin de se occidendo cogitasset. Ex quibus cernere est, quam parum valeat Philosophia, revelationis lumine destituta ad sustinenda adversa, vereque dictum a SS. Aug. et Hieron. Ethnicos Philosophos (quibus addere possumus nostri seculi Antichristianos Philosophastros) ventosa, et gloriosa animalia appellanda: buccis nempe illi crepantibus multa promittentes: nihil solidum praestantes. De his in *Epist. Catholica S. Judae* haec leguntur: *Nubes sine aqua, quae a vento circumferuntur; arbores autumnales infructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris despumantes suas confusiones: sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum: Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quaestus caussa*. His addit S. Judas ad Christianos sermonem convertens: *Vos autem, charissimi, memores estote verborum quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*. Graphice descriptos hic, lector, vides novos Antichristianos Philosophos, qui erroribus, et impietatibus suis Ethnicos longe superant, suntque multo magis, quam illi, reprehensibiles, quoniam Evangelicam lucem, qua illuminati fuerant, respuentes, cimmeriis plusquam tenebris se, et alios involvere maluerunt, illud Alciati in *Emblematis* prae oculis non habentes:

Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitae
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

Sed ad Ciceronem post hunc non prorsus inutilem excursum, novis Philosophis parum gratum, redeamus. *Cicero* nempe, licet lumine verae Philosophiae destitutus, in nonnullis dogmatibus hallucinatus erraverit; eloquio tamen clarus supra aequales suos, et Graecos, et Romanos evasit. En tibi de eo Catulli, et Silii Italici judicia. Primus in *Epigr. ad M. Tullium* haec habet:

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Maximas tibi gratias Catullus
Agit, pessimus omnium Poeta:
Tanto pessimus omnium Poeta,
Quantum tu optimus omnium patronus.

Silius

Silius autem Italicus haec de *Tullio* cecinit tanquam Vates futura praedicens

Ille super Gange, super exauditus, et Indo
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguae, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Arnobius *lib.* 3. *contra Gentes* testatur, fuisse ex Romanis Ethnicis, qui judicarent, aboleri oportere Senatus Consulto nonnulla Ciceronis Opera, eo quod faverent Christianae religioni, et auctoritatem opprimerent antiquorum Oraculorum. Quam charus esset Ciceroni, ejus uxori Terentiae, Q. Fratri, et filiis Tiro, olim servus, postea libertus, ob suam doctrinam singularem, et morum probitatem, agnoscere licet ex litteris ad eum aegrotantem missis, quae leguntur in postremo *libro Epistt.* Cic. ad *Familiares*. Vide alia in *Specimine* Verbo *Tiro*. De M. Tullii luctu in morte Tulliolae filiae, quam ardentissime diligebat, vide *Tulliola* in T. Ei vitio datum fuit a Sallustio Crispo, Ciceronis inimico, quod plusquam patrem addecebat, filiam amaret. Vide *Apotheosis* in *A.* De collectione *Epistolarum* Ciceronis a Tirone jussu Ciceronis facta, deque earum ante editionem correctione, vide dicta in *Specimine* Verbo *Tiro*. De ejus Soloecismis vide V. *Soloecismus* in *S.*

Cicero (M.) M. Tullii Cic. filius, quantum diligeret Cratippum magistrum suum Athenis, et quam adversus illum officiosus, et grato esset animo, declarat ipse in *Epist.* ad Tironem, in qua leguntur Cratippi laudes: Trebonius in *Ep.* ad M. Tullium *lib.* 12. *ad Famil.* filium Ciceronis *Marcum* Athenis discentem, magnis ornat laudibus, et Tullio sincere gratulatur. *Marcus Cic.* post litterarum studium Athenis, militavit sub Bruto, et dux exercitus, superavit prope Billidem in Epiro C. Antonium, prudenter, et strenue in praelio se gerens.

Cicero (Q.) Marci Tul. frater, scripsit *Annales*, quos ad fratrem emendandos misit antè editionem. *Ita* Cic. *Ep.* 16. *lib.* 2. ad Atticum. Scripsit etiam *Tragoedias*. Ex his *Troas*, *Electra*, *et Erigona* fuerunt a Tullio expetitae: Vide *Epist.* 6. *l.* 3. ad Q. Fr. Sardiniae praefuisse, et Successorem Luccaeium habuisse colligitur ex *Ep.* 5. *lib.* 2. ad Q. Fr., hancque Praefecturam ante Asiaticam habuisse crediderim. Incrementum bibliothecae suae, quam locupletari optabat graecis voluminibus, commendavit per litteras M. Tullio fratri, cum extra Italiam esset. Vide *librarii* in *l.* Statura mediocri

fuisse colligi potest ex M. Tullii faceto dicto. Cum enim Tullius vidisset fratris bustum pene Gigantaeum depictum, dixit: *Frater meus dimidius major est, quam totus*. Utrum dictum hoc sit inter frigida dicta Ciceronis numerandum? Lector dijudicet. Proscriptus a Triumviratu, M. Ant. opera, occisus cum filio fuit eodem fere tempore, quo Tullius, sed in diverso loco Romam rediens, indicatus ab infidis servis suis.

Cicero (L.) frater M. Tullii, et Quinti Ciceronis. Ejus mortem aegerrime tulit M. Tul. ut constat ex *Ep.* 4. *lib.* 1. ad Att. in qua mortuum laudat.

Cicero (Q.) filius Q. Fratris Ciceronis. De ejus ingenio, et moribus dictum est supra, ubi de ejus patruo M. Tul. Acerbissimas scripsit litteras ad Patrem, cum Aquiliam uxorem ducere in animo habebat, ut dictum est. In *Epist.* Cic. ad Att. narrantur colloquia inter eum, et patruum, ex quibus intelligitur ei iratum, et Tullium, et Atticum, eo quod contra eorum placitum uxorem ducere statuisset. Ex eisdem colloquiis dignoscitur, eum caruisse pecunia ad iter, quod facere instituerat: forsitan ad Caesaris exercitum. Sunt etiam in *Epistolis* ad Att. aliquot fragmenta *Epist.* Q. filii ad patrem. Integrae desid. ut etiam *Oratio*, quam contra patruum M. Tullium lucubrarat.

Cicicenna (Salla) magni nominis Pictrix, in pingendo velocissima, quo magnas cumulavit divitias. *Ejus* picturae pluris emebantur, quam aliorum. Verum solas depingebat Deas, et foeminas.

Cincius. Hujus *lib.* 3. *de re Militari* citatur a Gellio *lib.* 16. *c.* 4. In dicto *lib.* legebatur formula, qua Feciales, Romanorum nomine, bellum indicebant populo Hermundulo, qui populus prope Rhenum in Germania erat. Citatur item a Gellio ejus *lib.* 5., in quo referebatur Militum Roman. juramentum de abstinendo ab injuriis, et rapinis, cum iter agerent, ut etiam Juramenti formula de non deserendo exercitu, nisi ob certas caussas, ibidem expositas. Vide *Hermunduli* in *H.* Hunc *Cincium* arbitror fuisse *P. Cincium Alimentum*, sive *Alimetum*, Equitem Rom. ab Hannibale captum, cum ab Hispania Romam rediret, quem citat Livius, de eo narrans, audivisse ex Hannibalis ore stragem ad 36 millia hominum, quam ejus Exercitus passus fuerat in Alpium transitu praeter equos, et jumenta amissa.

Cinna, Syllae, et Marii temporibus IV. Consul. Fuit cru-

crudelissimus, et ob suam saevitiem a suo Exercitu lapidibus obrutus, et occisus.

Cippus (Genitius) Praetor, cum paludatus Roma exiret, cornutus repente singulari prodigio apparuit: et cum ab Auguribus consultis responsum esset, id indicare, eum futurum regem, si Romam revertisset; ne id contingeret, perpetuum exsilium sibi indixit. Ita Val. Max. *l.* 5. *c.* 6. In *Historia Nat. Cataloniae* narrabam, me vidisse cornu perfectissimum, et legisse testimonium Curionis testantis, cornu illud avulsum, seu rescissum ex capite ruricolae suae curiae, seu paroeciae in Catalonia. Matriti reliqui, ut alibi dixi, praelo paratam praefatam *Historiam*, in qua, nisi si fallor, exscriptum dabam Parochi testimonium.

Corollarium.

Circuitus, seu Circumlatio sanguinis per humani corporis membra, ignotus Medicis Romanis, et Graecis, saltem in Europa, fuit ante Honorii Augusti excessum. Sunt tamen, qui arbitrentur, L. An. Senecae ignotum prorsus non fuisse, et de eo saltem obscurè loqui *lib.* 6. *QQ. NN.*, *cap.* 18. In Asia notus fuit Nemesio, Emeseno Episcopo S. Greg. Nysseni aevo. Vide *Nemesius* in *N.* Benedictus Hieron. Feyjoo, Hispanus Criticus in suo *Theatro Critico* ostendit, primum, qui in Europa *Sanguinis Circuitum* vulgavit, fuisse Veterinariae artis Professorem Hispanum, *la Reyna* appellatum, edito libro de hoc argumento: perperamque hoc Inventum tribui Herveo Anglo, Paullo Sarpio, et aliis secundum varias opiniones. Forsitan Servetus, Hispanus Medicus, qui de *Trinitatis erroribus* scribens, perspicue *Sanguinis circuitum* adstruit in Opere suo Basilaee edito an. 1531. ante la *Reyna* de *Sanguinis Circuitu* scripsit. Ut ut sit, existimo, tale Opus lectum a *la Reyna* non fuisse, cum *librum* suum edidit. Serveti enim Opus illico, etiam a Calvino, damnatum fuit, et combustum cum Auctore. Historici rerum Sinensium ignorare nos non sinunt, multis ab hinc seculis, a Medicis Sinensibus agnitum fuisse *Sanguinis Circuitum*. Non desunt tamen Medici, qui huic plausibili, et jam communi opinioni adversentur: forsitan quia singulares esse in opinando amant, vel quia ingenium suum ostendere, contradicendo communiter receptis, cupiunt.

Audivi non semel in Litterario Theatro Regiae, et Pont. Academiae Gandiensis in Valentino Hispaniarum regno, cum illi Athenaeo Superiorum jussu per annos aliquot praeessem,

a doctissimis Medicinae Professoribus multa acriter, et subtiliter disputata, et objecta contra *sanguinis Circuitum*, quem tuebantur in suis Positionibus laureae Medicinae Candidati, qui illic doctrinae suae periculum faciebant ad impetrandam Doctoratus lauream, quae gratis conferebatur, ut etiam ceterarum Facultatum laureae, iis, qui inopia laborantes singulare doctrinae specimen dabant. Jam vero, quoniam mentio de hac Academia, jam suppressa, facta est, lectorem non poenitebit, nonnulla de ea noscere, quae jam expono. Hujus Academiae Fundator fuit S. Franciscus a Borgia, Gandiae Dux, Carolo V. Imperatori, et Hispaniarum regi inclyto inprimis carus ob suam prudentiam, et singulares virtutes alias, quibus a puero fuit insignitus. Postquam Cataloniae Prorex, valde juvenis, fuerat, in ea Academia Philosophiae, et Theologiae strenuam navavit operam, ut humanis, et divinis instructus litteris, a S. Ignatio Loyolaeo in Societatem Jesu, parum antea fundatam, expeditus a curis domesticis, quas grandioris aetatis filio commissas reliquit, Gandiensi Ducatu in eum translato, admitteretur. Illius Academiae regimini Praefectus erat V. P. Andreas de Obviedo, postea Patriarcha Aethiopiae, a Rom. Pont. creatus, qui in Aethiopia Apostolicis laboribus, et meritis cumulatus obiit. Alter autem ex Professoribus erat P. Emmanuel Saa Lusitanus, doctis, et brevibus scriptis suis, *quibus suam in Latina, Graeca, et Hebraica lingua* peritiam ostendit, notus, qui (*a*) S. Francisci a Borgia magister fuit. Docebat illic etiam N. Perezius ex ordine Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, doctrina sua, et nonnullis scriptis editis clarus. Cum Hispaniae solum vertere Jesuitae (quibus a Fundatore sub Hispaniae regum auspiciis ea Academia commissa erat) jussi sunt; Professores in ea erant Thomas Serrano Theologiae, et Joan. Andresius Poeseos, et Rhetorices, Valentini natione. Scholares autem parum antea in eadem fuerant Joan. Franciscus Masdeu, et Franciscus Gusta, Catalani ambo, quorum omnium Opera aliquot cum plausu leguntur. Docuerat etiam Disciplinas Philosophicas in praefata Academia celebris Theologus Joan. Baptista Generius, patria Cervariensis in Catalonia, paucis ab hinc annis Romae fato functus post edita multa Theologiae volumina singu-

(*a*) S. Franciscus Borgia varia Opuscula Spiritualia lucubravit, et sacras lectiones in Jeremiam Prophetam, quae opuscula lucem publicam typis edita viderunt.

gulari referta eruditione. De Medicinae, et utriusque Juris Professoribus, ac de Canonicis 4 Gandiensis Ecclesiae, qui illic etiam Professorio munere fungebantur, quique in Hispania manserunt, dicere supersedeo, ne longior sim, ac quia lectoris parum interest eorum nomina, resque notas habere. Verum silentio non premam virum doctissimum Matthaeum Garzonum, Decessorem meum, qui paucis antea annis Collegio, et Academiae Gandiensi cum Rectoris munere praefuerat, et domui Professorum Valentinae Praepositus obiit parum ante nostrum ex Hispania egressum. Vide dicta Verbo *Idatius* in *Specimine*, ubi de ejus eruditissimis in *Chronicon Idatii Commentariis* fit mentio. Da veniam, lector, huic excursioni, quam alienam valde a *Sanguinis circuitu* reputabis. Sed multa senectuti sunt condonanda, ut etiam cogitationum de Hispaniae rebus circumlationi in exsule sene Hispano, temporis acti laudatore. Nosti ex Cic. *de Senectute*, et ex Horatio multa senem circumvenire incommoda, quae non paucis privilegiis leniuntur, et tolerabilia redduntur. Saltem nobis dicam scripturum puto neminem ullum, quod sponsae olim nostrae, jam defunctae, et *funebri Oratione* parentemus, et justa persolvamus. Porro ut unde egressi sumus post excursionem revertamur: P. Daniel Bartoli in *Symbolis lib.* 1. §. 15. late de invento *Sanguinis circuitu* disserit, ejusque inventores facit Realdum Columbum, et Andream Cesalpinum Italos, et post hos Herveum, secundum variorum opiniones, nulla mentione facta nec Serveti, nec P. Fabri, Jesuitae Galli, nec Hispani *la Reyna*, quorum notitia ad eum forsitan non pervenerat.

Civilis Batavorum Dux. Ejus ad Batavos *Orationis* sententias affert Tac. *lib.* 3. *Hist.*: et *libri* 4. initio narrat, a militibus fuisse *Proditorem* appellatum, cum tentabat legiones adigere, ut in Vespasiani verba jurarent. Idem Tac. meminit alterius *Orationis* ad milites suos, qua victos a Cereali animabat.

Corollarium.

Civis Rom. Romanae Civitatis jura amittebat, cum Civis in alia Civitate scribebatur, et idcirco Atticus *Rom. Civis*, Atheniensibus valde acceptus ob multa beneficia eis praestita, noluit Civis Atheniensis fieri, ut optabant Athenienses. In postrema Verrina haec habet Cic. de *Civ. Rom.* loquens: *Facinus est, Civem Rom. vinciri: scelus verberari: parricidium necari, quid dicam, in crucem tolli?* S. Paullus, cum

a Ju-

a Judaeae Praeside Romano verberari jussus esset, dicendo Centurioni, se *Civem Romanum* esse, et quidem natum talem, illico fuit solutus. Vide *Acta Apost.* *Civis Rom.* ob gravia delicta morte plectendus, prius ad servilem conditionem redigebatur, virgis lictorum verberatus. *Proscriptus* erat, qui vel in exsilium mittebatur aqua et igne interdictus, vel qui capite damnatus a potentiore, et victrice factione in bello civili erat. Vide *Augustus* in A. Quinam *Rom. Cives* Classici dicerentur, et quinam infra Classem, vide Gel. *lib.* 7. *cap.* 18. Vide item supra Verbo *Census*: *Militaris* Ars in M. *Servius Tullius* in S, vel T.

C L

Claudius (P.) Augur insignis, praenunciavit Consuli, brevi futurum bellum domesticum triste, et turbulentum, quod paucis post mensibus exortum, paucis diebus a Cicerone extinctum fuit. A Ciceronis collegis in Auguratu irridebatur ejus Augurium, et Pisidam illum, aut Soranum esse dicebant, in quibus, quamvis essent Augures, nulla praesensio, nulla in auguriis, et auspiciis, ut erat communis opinio, veri scientia fuit. Ita Cic. de *Divin.* *lib.* 1.

Claudius (Appius) dicere solebat: Populo Romano magis negotium, quam otium prodesse. Huic consentiens Metellus, non probabat Catonis consilium de evertenda Carthagine, veritus, ne Pop. Rom. aemulis carens se otio traderet, vel intestinis dissidiis, ut accidit, pateret. Vide alia in *Specimine*.

Claudius, Caesar, Drusi filius ex Antonia. De eo male sentiebant omnes, cum in minore aetate esset, adeout ejus mater diceret, eum portentum hominis esse non absolutum, sed inchoatum a natura. Nihilominus Augustus, qui eum publicis muneribus parum aptum reputaverat, scripsit ad aviam Liviam, sibi declamantem placuisse. Cum Imperator esset, sensatissimam *Orationem* in Senatu habuit ad Parthorum legatos, et ad Meherdatem, ad regendos Parthos accitum. Ita Tac. *lib.* 12. *Ann.* Judaeos omnes Roma ejecit. Ita in *Act. Apost.* Verisimile est, ejectos etiam Christianos, qui tunc inter Judaeos numerabantur. Quamobrem Homero infensus esset? non liquet. Forsitan quia nimium mendax. Pamphilum enim quendam mendacissimum, cum obiit, insepultum, et feris objectum voluit: ejus bona fisco addixit, ac ejus familiam exterminavit: adeo mendacia, et fabulo-

losas narrationes aversabatur, licet ipse de *simulata stultitia librum* edidisset. De eo in *Specimine* multa alia.

Claudius (Fl.) Imperator post Gallienum, Mediolani occisum. Ex ejus fratre originem duxit Constantinus M. Fuit virtutibus omnibus Imperatoriis ornatus, militari virtute, et arte insignis, qua hostes Imperii multis victoriis reportatis profligavit. Vixit in Imperio annos duos tantum, sui desiderium in omnibus relinquens.

Clemens, Alexandrinus, promisit *librum de Resurr. mortuorum*, de quo dubitatur an editus fuerit? S. Maximus affert nonnulla fragmenta ex ejus *libro* de *Providentia*. Vide alia in *Specimine*.

Clemens, Centurio eloquens, conatus est Oratione sua placare milites exercitus Rom. in Germania tumultuantes initio imperii Tiberiani. Ita Tac. *l.* 1. *Hist.*

Cleopatra, regnum Aegypti injuste a C. J. Caesare obtinuit. Lucanus *lib.* 10. *Pharsaliae*:

> *Quem formae confisa suae* Cleopatra *sine ullis*
> *Tristis adit lacrymis, simulatum compta dolorem*
> *Et sic orsa loqui*, cet.
> *Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.*

Vide *Philostratus* in P, et in *Specimine*, Verbo *Cleopatra*, ubi de quodam ejus Opere, a Galeno citato.

Cleophas, Cluentii Medicus, forsitan Hebraeus, cujus servus Diogenes sollicitatus fuit, et spe, et praemio oblato, ad propinandum venenum Cluentio, Ciceronis clienti.

Cleophantes, Corinthius Pictor, Romae notus sub Tarquinio Prisco, colorum in pictura primus auctor, teste Plinio.

Clitomachus, Philosophus, Magister Philonis, a Cic. in *Lucullo* laudatus ab ingenio, eloquentia, et librorum editorum multitudine. Auditor fuerat Carneadis Academici. Erat Poenus natione. De eo Cic. in *Lucullo* ait: *homo et acutus, ut Poenus, et valde studiosus, ac diligens, et* 4 *ejus libri sunt de sustinendis assentionibus*. Ab eodem citatur *Clitomachi liber* ad C. Lucilium Poetam, alter ad L. Censorinum, qui cum M. Manilio Cos. fuit.

Clodius (Sextus) videtur Historiam scripsisse. Ejus *librum* citat Lactantius de *Falsa Relig. lib.* 1. *c.* 22. in quo de *Bona Dea* agebat.

Coe-

Coelibatus. Lege Julia apud antiquos Rom. vetitus fuerat, viris ab an. aetatis 25. foeminis ab an. 20. Constantinus M. in honorem Christi religionis hanc legem abrogavit. Vide Gravinam de *Orig. Juris*, et Cl. Zachariam de *sacro Coelibatu*.

Coelius (M.) *Rufus* dictus. Ejus prima aetas laudatur a Cic. in *Orat.* pro eo. Ea dicitur munita fuisse pudore, ac patris prudentia, et disciplina.

Corollarium.

Colossus, Rhodius, inter 7 Mundi miracula numeratus, et Soli dicatus, totos 56. annos solum stetit, et terraemotu concidit. Ejus altitudo erat 70 cubitorum, et ultra, eratque in Rhodi portu erectus cum debita membrorum proportione, fabricatus a Chare, Lysippi discipulo in Statuaria Arte. Vide de hoc *Colosso* Plin. *l.* 34. *c.* 7. et *lib.* 35. *c.* 10. ubi ait: Paucos ejus pollicem amplecti potuisse. Agareni post Rhodum expugnatam an. 1522. dicuntur vendidisse *Colossi* fragmenta Judaeo cuidam, qui oneravit metallicis illis fragmentis 900 Camelos. Ita Zonaras. Verum Theophanes, et Constantinus Porphyrogenitus affirmant, onerata Camelorum 3 millia fuisse. De *Colossis aliis insignioribus*, ut Nabuchodonosoris, qui totus aureus erat, et Neronis, vide Menochium in *Storeis Cent.* 2. *Cap.* 21. ubi de proportione partium humani corporis, qua dignosci potuisset magnitudo *Colossi* Rhodii, una parte dimensa. Neronis Colossus, qui eo mortuo, Soli dicatus fuit, erat altus 110 ped. teste Plinio *l.* 34. *H. N. c.* 7. linteus depictus erat, teste Plinio *Hist. Nat. l.* 35. *c.* 7. altitudinis 120 ped. qui fulmine accensus conflagravit cum hortis.

Comici, seu Comoediographi. Vide *Versiones* in V. Isti erant Fabularum Auctores: *Comoedi* autem Actores. Nonnulli ex Auctoribus Fabularum fuerunt etiam Actores, inter quos Livius Andronicus recensetur, qui Fabulas componebat, et in theatro agebat.

Commodus. Rom. Imp. (de quo dixi in *Specimine*) fuit sagittandi arte peritissimus, teste Herodiano *lib.* 1. *Hist.* Vide Menochium *Cent.* 1. *c.* 82. ubi de Fundabulariorum antiquorum peritia. Gladiatoriam artem exercuit in Theatro: et quia animadvertit, Spectatores, cum pugnabat, risisse, dicitur Urbis Praefecto imperasse, ut omnes ad 60 millia

oc-

occideret. In Neronis Colosso, sublato Neronis capite, suum marmoreum apposuisse dicitur.

Considius, senex fortissimus, de cujus *Oratione* agit Cic. *Ep.* 24. *lib.* 2. ad Atticum.

S. *Constantia*, Constantini M. filia, sanata a S. Agnete. Vide *Arthemia* in A. De ea multa in *Actis SS. Joannis et Paulli MM.* sub Juliano.

Constantinus M. (de quo multa in *Specimine*, et in *Dissert. de duplici Bapt. Constantini*), praeter *Orationes* ab eo dictas, alia Opera ei tribuit Eusebius in ejus *Vita lib.* 3. Victoria de Maxentio coelitus illi fuit promissa in signo Crucis splendenti in aere, quod vidit ante pugnam. Postea in labaro, et in armis suorum militum Crucis signum jussit apponi, et in Christi reverentiam abolevit Crucis supplicium antea usitatum. Cum amici, et adulatores eum excitarent ad puniendum eos, qui luto foedarant, et lapidibus incesserant ejus statuam: *At ego*, inquit (leniter ridens, ac caput, et vultum contrectans suum) *nullum in ore et fronte vulnus invenio, sed omnia illaesa, et sana*. Ita S. Chrysost. *Homil.* 20. *ad Antiochenos*. Filias habuit, praeter S. Constantiam, Helenam, quae nupsit Juliano nondum Apostatae, et Flav. Juliam Constantinam, quae nupsit Hannibaliano, creato Gentium Ponticarum regi: quo mortuo nupsit Gallo, Juliani fratri, qui Caesar factus fuit a Constantio. Divisio Imperii a Constantino facta inter filios naevus fuit Politicae Constantini. Vide dicta, ubi *de Genere et Progenie Constantini M.* in fine *Lexici*.

Constantius Chlorus, Constantini M. Pater, Imperator belli arte clarus, bene affectus in Christianos fuit, et in Disciplinas ingenuas. Scholis Cliviensibus praefecit Eumenium Rhetorem, in aula Caesarea Memoriae Magistrum. Matrem habuit Claudiam filiam Crispi, fratris Flavii Claudii, Rom. Imperatoris clari nominis. Quonam stratagemate usus fuerit ad expellendum a palatio suo Ethnicos Aulicos, narrat Eusebius in *Vita Constantini M.* ejus filii. Vide alia, ubi de *Genere, et Progenie Constantini*.

Constantius Constantini M. filius Orientis Imperat. Catholicis Nicaenae fidei professoribus valde infensus fuit. De eo Ammianus Marcellinus Historicus Ethnicus ait: Christianam Religionem absolutam, et simplicem anili superstitione confudisse, et multa dissidia excitasse inducta verborum contentione, et convocatis Synodis, ad quas concurrerent Episcopi jumentis publicis ultro, citroque discurrentibus

cum

cum catervis Episcoporum, et nitendo ad suum arbitrium ritum omnem trahere, rei vehicularіae nervos succidisse. Revera multa Concilia, partim legitima, partim haeretica sub ipso coacta fuerunt in Oriente, et Occidente opera Arianorum, per fas, et nefas sectam suam promovere conantium sub Ariano Imperatore, qui a Patris Constantini Magni, sub quo damnata fuit Ariana haeresis, vestigiis recessit ab Eusebiis deceptus. Post mortem fratrum Catholicorum, solus in Oriente, et Occidente imperavit. Noluit militiae Romanae adscribi, qui baptizatus non esset, legesque severissimas contra Idolorum cultores tulit, quas abrogavit Julianus Apostata, qui ei successit. Vide alia in *Specimine*.

Constantius Imperator, valde diversus, et pietate, et religione a praecedenti, et illo posterior, vir militia clarus sub Honorio. Is post superatos variis praeliis Gothos, et alios Imperii hostes, Patritiatu, et Consulatu insignitus, tandem Caesar ab Honorio fuit renunciatus, tradita ei in uxorem Galla Placidia, sorore. Haec antea nupta fuerat Ataulpho, Gothorum primo regi in Hispania, Barcinone in Catalonia a suis occiso, quia pacem inierat cum Romanis. De magnificis Gallae Placidiae nuptiis cum Ataulpho, Narbone celebratis, vide Olympiodorum, rerum illius aevi antiquum Scriptorem in *Biblioth. Photii*. In Historia rerum Hispaniae a Mariana lucubrata legitur Epitaphium, quod Ataulpho, et ejus filiis Barcinone sepultis, positum dicitur, quod etiam tradidi in *Hist. Episcoporum Barcinonensium* (non *Babylonensium*, ut, errore typographorum proculdubio, editum dicitur in Diario quodam Italiae) de Episcopo Sigesario, et dominatione Gothorum in Hispania agens *pag*. 84. *In Chronico*, quod Dextro tribuitur, *Epitaphium* praefatum legitur tanquam a Dextro Barcinonensi, Viro Clariss. lucubratum. Verum Mariana putat, esse recentioris alicujus Poetae, non contemnendi. En illud, et tu, Lector, judica, an Dextro, sub Honorio Praetorii Praefecto, et Viro doctissimo dignum sit.

Bellipotens valida natus de Gente Gothorum,
Hic cum sex natis, rex Ataulphe, jaces:
Ausus es Hispanas primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens tua tunc natos, et te invidiosa peremit:
Quem post amplexa est Barcino magna gemens.

Si exaratum fuit a Dextro, Gallae Placidiae precibus proculdubio fuit lucubratum. Ravennae vidi multa Gallae Placidiae monumenta. Illic construxit S. Joan. Evang. templum,

post

post reditum ex Africa: et intra septa monasterii S. Vitalis visitur magnificum sepulchrum ejusdem, et forsitan Constantii ejus mariti, tessellato opere, quod Musivum vocant. Sunt namque intra illud aedificium binae arcae sepulcrales lapideae. Galla, uxor Constantii, soror Honorii, filia fuit M. Theodosii ex matre alia. Ita Jornandes de *rebus Gothorum*. Inter Honorium, et Gallam nonnullae exortae simultates Ravennae dicuntur, quin caussas noverimus.

COROLLARIUM.

Convivia. In Romanorum antiquorum *Conviviis* more Graecorum proponebantur *Aenigmata*, et curiosae ludicraeque quaestiones ad excitandam laetitiam, risumque combibonum. Vide *Aenigma* in A. Proponebantur item *Sophismata*, quibus minus litterati irretirentur, ut illud Gellii temporibus inter Romanos vulgatissimum: *Quae non amisisti habes; sed cornua non amisisti: habes igitur cornua*. De hisce sophisticis argutiis, vide Gel. *l. 6. c.* 13. et *l.* 16. *c.* 2. *NN. Att.* Ex quibus intelligitur, perperam haec tribui Scholasticis barbari aevi, tanquam de novo inventa, et serio proposita in Dialectica, nisi fortasse ad ostendendam eorum fallaciam, eamque devitandam, et dissolvendam Dialecticae praeceptis. In Saturnalium dierum coenis viri docti ad eas concurrentes invitabantur a coenae curatore ad dissolvenda *Problemata*, quae proponebantur. Solvens *Problema* libro aliquo curioso, vel graeco, vel latino cum laurea corolla donabatur pro praemio. Cum insolutum manebat, praemium Saturno dicabatur. Ita Gel. qui hisce coenis Athenis aderat *lib.* 18. *c.* 2. Vide, quam antiqua sint, et usitata haec *Problemata*, et *Sophismata* apud antiquos Graecos, et Romanos, imo apud Hebraeos, ex quibus forsitan hoc hauserunt Graeci, et Romani. Pruritus, seu effraenata cupido, qua in primis laborant Protestantes, et novi Philosophi, carpendi, et pungendi Scholasticos, qui curtis, ut ait ille, sermone rotato, solidisque enthymematibus, et syllogismis, ad Dialecticae normam exactis, eorum errores veri amatoribus exponunt, facit, ut eis tanquam Auctoribus tribuantur tricae, et sophismata, quae apud Graecos, et Romanos antiquos vulgatissima habebantur: quod notissimum est in litteraria antiquitate versatis. De Legibus Sumptuariis contra *Conviviorum* profusionem, et prodigitatem Romae latis diversis temporibus, vide Gel. *l.* 2. *c.* 24. ubi de *Lege*

Fan-

Fannia, *Licinia*, *Aemilia*, *Antia*, *Julia*, fit mentio. Multa scitu digna de gulae malis, ac de frugalis victus, et abstinentiae bonis, vide Coel. Rhodig. *lib.* 13. *c.* 25. Vide etiam in S Verbo *Silentium*. Cum luxus Romae dominabatur, solebant Romani talorum jactu convivii regem eligere, qui praeciperet, quantum, et quoties unusquisque Convivarum biberet. Erant etiam, ut nunc, in *Conviviis* Roman. qui scite, et ex arte partirentur dapes, quae integrae apponebantur, ut perdices, capones, lepores, agnelli, porcelli, apri. De hac arte egregium *Tractatum* lucubravit Marchio de Villena, Hispanus doctissimus, sermone antiquo Castellano.

Intemperantes adeo nonnulli ex Romanis erant, cum leges sumptuariae antiquatae fuerunt, ut in more positum jam esset, post *Convivium* vomere, ut se potu, et cibo nimio exonerarent: quod sane parum eorum educationem, et politiam commendat. De nonnullis sui temporis, gulae deditis ajebat Seneca, edere, ut vomerent, et vomere, ut ederent. Vide *Epist.* 47. 64. 90. Longe diversus erat antiquiorum Romanorum mos. Cato in libro inscripto: *Carmen de moribus*, ait: *Equos carius, quam cocos emebant. Poeticae artis honos non erat. Si quis in ea re studebat, aut sese ad Convivia applicabat, Grassator appellabatur*. Olim canebant Romani in *Conviviis* virorum fortium facta, et gesta militaria. Ita Val. Max. *lib.* 2. *c.* 1. addens: *Quas Athenas, quam scholam, quae alienigena studia huic domesticae disciplinae praetulerim? inde oriebantur Camilli, Fabricii, Marcelli, Fabii*. De modo, et ratione *Conviviorum* antiquorum, vide Dan. Bartolum in *Symb. lib.* 2. §. 12. Lex erat in *Conviviis*, ne Convivae numerum Musarum excederent, aut infra essent numerum Gratiarum. Ita Gel. *lib.* 13. *c.* 11. Illa vero lex praecipua, quam tradit Macrobius in *Saturn.* Oportet versari in Convivio sermones, ut castitate integros, ita appetibiles venustate. Multa alia scitu digna de antiq. Rom. *Conviviis*, vide apud Menochium *Cent.* 2. *c.* 25. Vide alia in *Specimine*.

Coquinaria Ars, ad convivia quodammodo spectans a Romanis, gulae, et luxui deditis, tanti fiebat, ut pluris facerent Cocum peritum, quam doctum Philosophum. Ita Sen. qui *Ep.* 90. haec habet: *Recessit ille naturalis modus desideria ope necessaria finiens. Jam rusticitatis, et miseriae est, velle quantum satis est*. Praeter *Apicium*, de quo in *Specim.* alios Rom. de hac Arte scripsisse, quorum *Opera* desid. nullus dubito. Vide *Catius* in C. Contra Gulae deditos, et Gu-

lae

lae irritamenta apud Romanos sui temporis, vide Horatium, *Sat.* 2. *lib.* 2.

Coration, maximus Doctor, et vitae meritis praestantior inter Chiliastas habitus, rationibus Dionysii Alexandrini persuasus, et convictus, errorem Chiliastarum deposuit, et alios ad assentiendum Dionysio, contra Nepotis scripta disserendo, pertraxit. V. Euseb. *l.* 7. *H. Eccl. c.* 21.

Corbulo, Dux insignis Rom. Exercitus in Armenia, *Orationis*, quam ad milites habuit, meminit Tacitus *lib.* 15. *Annal.* De eodem multa narraverat *lib.* 14. Alia vide in *Specimine*.

Cornelius, Urbis Corneliensis in *AEmilia* Episcopus, Magister S. Petri Chrysol., qui insigni sanctitate, doctrina, et eloquentia floruit. *Cornelius* sub Honorio Ecclesiam suam regebat.

Cornelius (P.) *Ruffinus* dictus, vir in disciplina militari peritus, et strenuus bellator; sed avarus, et furax. Fuit Senatu motus a censore Fabricio, postquam Cos., et Dictator bis fuerat, eo quod decem pondo argenti facti haberet, luxui nimis indulgens contra leges sumtuarias. Vide Gel. *lib.* 4. *c.* 8. Eum Fabricius, quamvis inimicus, Consulem fecit. Id cum multi mirarentur, dixit: *Malo compilari, quam venum ire*, alludens ad ejus rapacitatem, et militarem virtutem.

Cornificius, Poeta eloquens, et eruditissimus Catulli amicus, cujus opera usus est Augustus in bello Siculo. Ad eum est Catulli *Epigramma*.

Cornutus (Manilius), vir Praetorius, Aquitaniae legatus, Medico Aegyptio, qui eum a mentagra, leprae specie, sanavit, dono dedit pro mercede sextertium ducenties, idest scutorum 400. sexaginta sex millia sexcenta, sexaginta sex. Vide Plin. *l.* 26. *cap.* 1. *H. N.*

Cornutus, alter ex Praetoribus, qui Ciceronis reditum ab exsilio procurarunt bonis officiis suis, quae Cic. laudat in *Orat. post reditum*, in Senatu habita.

Corollarium.

Corona, Romani antiqui saepe in signum laetitiae Coronas gestabant, quas deponebant luctus tempore in moeroris signum. Vide *Cicero*. Illis utebantur in Ludis publicis, in Nuptiis, in Sacrificiis, in Conviviis. Erant autem varia *Coronarum* genera, quae militarem virtutem eorum, qui eas gestabant, notam reddebant. Vide Gel. *l.* 5. *c.* 6. Tales erant *Corona triunphalis*, primum ex lauro, postea ex auro, quam

triumphantes in Capite gestabant: *Corona civica* ob civem servatum: *Corona muralis*, quae illi, qui primus murum ascenderat, conferebatur: *obsidionalis*, *ovalis*, *castrensis*, de quibus Romani Scriptores. Diversarum harum *Coronarum* schemata affert Ciampinius in suis *Rom. Antiquitatibus*. Poetae cum publice Opera sua recitabant, vel hedera vel lauro coronati comparere solebant. Vide *Dentatus* in *D*. Vide Plin. *lib.* 16. *H. N. c.* 5.

Corumbus, bellus Archictetus a Cic. appellatur *Ep.* 3. *lib.* 14. ad Att. Videtur vel servus, vel libertus Balbi fuisse.

Cosconius, Poeta, qui notabat, ut nimis brevia, Epigrammata Martialis. Ei in altero ex *Epigramm. lib.* 2. dicebat Martialis:

Sed tu, Cosconi, Disticha longa facis.

C R

Crassus, alter ex Praetoribus, qui Ciceronis exsulis reditum procurarunt *Orationibus* suis. Ei gratias agit Cicero in *Orat.* post reditum.

Crassus (M.) oravit pro Balbo, Cive Rom. facto a Pomp. sub quo strenue militavit in bello Sertoriano. Vide *Balbus* in *B*. Multos ex *Crassi* Stirpe laudat Cic. in *Bruto*, quos ait fuisse ex Sapientiae Stirpe generatos. Inter eos numerat Scipionem.

Crassus (L.) Orator, et Senator, de quo ait Cic. in libris *de Officiis*, ejus *Orationem* fuisse valde uberem, nec minus facetam. Cum ei Servus Carbonis, quem accusabat, Patroni scrinium, quo facile opprimi a *Crasso* poterat, detulisset; signatum ut erat, Carboni reo remisit una cum Servo infideli catenato, nolens caussam obtinere aliena fraude, et perfidia. De aliis ejusdem nominis vide in *Specimine*.

Craterus, insignis sub Augusto Medicus, memoratus ab Horatio *Sat.* 2. *l.* 2.

Crato, insignis Ethnicus Philosophus sub Constantino, et S. Sylvestro Papa, de quo fit mentio in *Actis S. Sylvestri* apocryphis.

Crescens, Phil. Cynicus, accusavit S. Justinum, Christianum Philosophum, qui pro Christo Megalopoli in Arcadia vitam dedit. Ita Eusebius Caesareensis in *Chronico*.

Cresconius, Donatista Episcopus. Vide de eo in *Specimine*.

Crispillina, *Gravia* dicta, foemina ditissima, atque magistra, et administra infandarum Neronis voluptatum. Eam, quam-

quamvis judicio damnatam, salvam voluit Otho Imper. Ita Tac. *l.* 1. *Historiarum*.

Crispus (*Sallustius*) particeps secretorum Liviae, et Tiberii, de quo Tacitus *lib.* 1. *Annalium* initio, videtur fuisse Crispus Sallustius Historici ex sorore nepos, et ab eo adoptatus, de quo in *Specimine*.

Crispus (Vibius) homo facetus. Interrogatus a nonnemine in Domitiani palatio, essetne quispiam intus cum Caesare? respondit: *ne musca quidem*, alludens ad puerilem Domitiani Imp. occupationem, muscas sagittandi, et aureis sagittis transfigendi in suo conclavi. De *Crispo* hoc agit Juven. *Sat.* 4. ubi traducit, et cavillatur ridiculum quoddam de Rhombo Concilium, cui interfuit *Vibius Crispus*. Vide alia de eo in *Specimine*.

Critice. In eo sitam *Criticem* nonnulli putant, ut nihil credatur, quod oculis non cernatur. Id autem non *Critice*, sed summa dementia est, qua laborant nonnulli Philosophi nostri seculi, et non pauci ex iis, qui Critici videri volunt: Vide *Carnales* supra: *Sapientia* in S. Nonnulli tamen nimium faciles sunt in credendo. Tales Graeci erant, teste Plinio, qui *lib.* 8. *c.* 22. ait: *Mirum est, quo procedat Graeca credulitas*. Haec Plin. loquens de hominibus in lupos conversis, et rursus versis in homines. Immemores erant dicti illius Poetae Graeci: *Nervi sapientiae nihil temere credere*.

Crito, Medicus sub Trajano, Romae notus.

Crudelitas. Vide de ea multa apud Messiam Hisp. in *Sylva variae lectionis*, ubi de variorum Romanorum Principum crudelitate *Parte* 1. *cap.* 31. Vide *Caligula* supra. Imperatores Romani crudeles Christianorum Persecutores fere omnes infeliciter perierunt. Vide Lactantium *de Mortibus Persecutorum*.

C U

Culleolus (Corn.) Vates, cujus praedictiones in Octaviano bello audiendas Senatus decrevit. Ita Cic. *de Divin.*

Cultus Corporis: Vide *Ornatus*. Diogenes Cynicus videns juvenem cultu, gestuque parum virili, ei dixit: *Non te pudet, quod pejus tibi velis, quam ipsa natura voluit? Haec te virum finxit: tu te refingis in foeminam*.

Curio. Vide de eo multa in *Specimine* Verbo *Curio*, et in hoc Opere Verbo *Spectacula* in S. ubi de *Curionis Theatri lignei* singulari structura.

Curius (M.) de quo in *Specimine*, vir fortissimus fuit, qui Corinthios vicit. De *Curio* hoc Horatius, et de Camillo, probantibus puerorum cantilenam: *Rexeris, si recta facies*. Vide Hor. *Ep.* 1. *l.* 1.

Curtius (Q.), bonus ac eruditus adolescens, qui Memmium accusavit de ambitu teste Tullio. Hunc puto fuisse Q. *Curtium Ruffum*, Historicum, cujus scripta de rebus Alex. M. indicant, eloquentem Oratorem fuisse. Verum ejus forenses *Orationes* desiderantur. Vide alia de eo in *Specimine*.

C Y

Cynea, Vide de eo in *Specimine*.

Cynici Philosophi impudentissimi, et mordacis linguae, ob quod sunt *Cynici*, seu *Canini* dicti. Inter antiquos Romanos nonnulli Phil. *Cynici* fuere, sed Graecis moderatiores. Cyrenaici, qui in corporeis voluptatibus hominis felicitatem, seu finem ultimum statuebant, inter *Cynicos* recensebantur. Nonnulli ex *Cynicis*, ut Diogenes, extremam affectabant paupertatem, ut liberius divites atque potentes, ut plurium indigentes, mordere possent dictis suis, se Deo, qui nullis indiget, similes jactantes. De *Cynicis* Antonius quidam antea Ethnicus, postea Christianus in *Poemate* quodam, a Muratorio invento, et edito canebat:

Sunt Cynici canibus similes quod nomine produnt.

Vide S. Aug. de Civit. Dei *lib.* 14. *c.* 20.

Cyrenaici Philosophi, de quibus antea Verbo *Cynici*.

Cyrus Ciceronis Architectus magni nominis, de quo Cic. in *Epist. l.* 2. *ad Att.* et in *Epist. ad Trebatium*.

D

DAEmones Romani Ethnici ut Deos colebant, eosque per Pythonissas, et Vates fatidicos de futuris consulebant. Vide *Angeli* in *Specimine*. De nequam Daemonum potentia, et scientia vide Martinum del *Rio Disquisit. Magicarum lib.* 2. Raynaudum in *Theol. Naturali*, et alios Scholasticos, Interpretes S. Thomae Aquinatis, qui de Angelis doctissime, more suo scripsit. Vide infra *Divini*: *Magi* in *M*.

Dalmatianus, Episcopus Cyzicenus collegit Acta quaedam Concilii Nicaeni I. in quibus extabat *Oratio* Constantini M.

co-

coram Patribus habita, in qua testatur, se Christianum, et baptismo initiatum. Forsitan est ipsa *Oratio*, quam affert Eusebius non integram, omissa ab eo hac parte *Orationis*. Dicunt enim nonnulli, *Orationem* illam longiorem ea, quam affert Eusebius, fuisse.

Dalmatius, Constantini Magni frater, Censoris munere a Constantino ornatus, et cujus opera usus est Constantinus in expediendis multis gravissimis negotiis, a nonnullis cum Hannibalio, altero Constantini fratre, parum noto, confunditur, cum valde diversus sit.

Damianus, Phil. Ephesius, valde laudatus a Philostrato in *Vitis Sophistarum*.

Damianus, vir doctus, et pius, missus ad Britannos a S. Eleutherio Papa, ut eos erudiret in Christiana Religione, quod eorum rex Lucius optabat.

Damis, Apollonii Thyanaei amicus, qui ejus *Vitam* scripsit, eum, ut Deum, extollens. Videtur *Damis* has suas *Historias* non publicasse; verum ex illis Philostratus post 100. annos res Apollonii edidit multa comminiscens ex suo in Apollonii commendationem: quod etiam Hierocles fecit.

Dardanus Phil. qui Stoicorum Princeps Athenis erat, dicitur a Cic. in *Lucullo* una cum Mnesarcho, Antiochi Philosophi aevo, vixisse.

Corollarium.

DE

Decuriones in Rom. Exercitu dicebantur qui 10. militibus praeerant. In Coloniis, et municipiis *Decuriones* vocabantur, qui populum regebant, et Senatorum munere fungebantur.

Dejotarus, Galatiae rex, Romani Populi amicus. Eum laudat Cic. in *Orat.* pro eo habita coram C. J. Caesare, victo Pompejo, rerum potito, apud quem accusatus fuit tentatae necis J. Caesaris hospitis sui. Vide *Castor* in C. Promptum suum ingenium ostendit responso dato M. Crasso, per Galatiam ad Parthos debellandos eunti. Is videns, novam Urbem a Dejotaro construi in provecta, et paene confecta jam aetate, ei dixit: *Quid hoc rei est? Duodecimam horam jam fere attingis, et adhuc aedificas?* Cui illico Dejotarus: *At tu Crasse*, inquit, *non valde matutinus Imperator ad Parthos hostes, pugnaturus, contendis.* Erat Crassus sexagenarius, et videbatur multo majoris aetatis.

Deistae, Vide *Athei* in *A.* et in *Specimine* Verbo *Deistae*.

Delatores dicuntur occulti calumniosi criminatores, et accusatores apud Principes. Accusatoriam hanc vitam vivere proximum latrocinio est. Ita Quintil. *lib.* 12. *c.* 8.

Delatores sub Tiberio multi, et nocentissimi viris probis, et conspicuis fuerunt. Fuerunt etiam sub aliis Imperatoribus. Eos Roma ejecit Domitianus Imp. dicens: *Princeps, qui Delatores non castigat, irritat*: idest excitat ad delationes. Verum hoc fecit, ut liberius in innoxios, etiam non delatos, desaeviret. Ita Suet. in *Domitiano* c. 9. Occiso Domitiano rediere Romam *Delatores*. Verum Trajanus eos iterum ejecit cum supplicio majori. Nam cariosis navibus eos imposuit, ut vel naufragio perirent, vel ad Insulas deportarentur magno cum gaudio, et plausu Pop. Romani. Ita Plinius Caecil. in *Panegyr. ad Trajanum*. Seneca de *Clementia lib.* 1. *c.* 6. *Quotusquisque ex Quaestoribus, qui non ea ipsa lege teneatur, qua quaerit? Quotusquisque Accusator caret culpa? et nescio, an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit*: et *lib.* 3. *de Ira c.* 28. *Fidei acerrimus exactor est perfidus, et mendacia persequitur ipse perjurus, et litem sibi inferri calumniator aegerrime patitur. Aliena vitia in oculis habemus: a tergo nostra*. Videtur Seneca legisse Christi Judicium de Adultera, a Pharisaeis accusata, et Dictum de iis, qui trabem in oculis habentes, festucam in alienis oculis vident, et notant. In *Corpore juris* est lex Constantini M. contra *Delatores*, seu horum Delationes. Vide in Codice *lege penult. lib.* 10. In concilio Eliberitano sub poena gravissima Christianis vetitum fuit *Delatoris* munus exercere. Nihilominus sub Arianis Principibus Constantio, et Valente, Catholicorum persecutoribus non pauci ex Episcopis, Ariana labe infectis, vilissimo *Delatorum* munere contra Catholicos Praesules apud Imperatores fungebantur, gravissima crimina ab eis conficta deferendo, ut Catholicos sanctissimos vexarent. Vide *vitia* in *V.*

Demetrius Phil. De eo Sen. *Ep.* 91. *Eleganter Demetrius noster dicere solet: eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim*, inquit, *mea refert, sursum isti, an deorsum sonent?* Hic *Demetrius* videtur amicus Senecae fuisse, et diversus proculdubio a *Demetrio* Syro, nobili dicendi magistro, quocum Tullius Athenis exercebatur. De aliis *Demetriis* vide in *Specimine*.

Democrates, Medicus insignis sub Vespasiano Imperat.

De-

Demophilus Pictor, et Plastes Romae egregius. De eo Plinius in *H. Naturali*.

Demosthenes. Orationes Graecae Demosthenis a Cic. in latinum versae desiderantur. Cicero in Caelum effert *Demosthenis* eloquentiam; nonnulla tamen se in eo desiderare non dissimulat. Quamvis natura dotes Oratorias ei negarit, expeditam nempe linguam, et gratum vocis sonum; ille studio, et industria sua linguae, et vocis vitia emendavit, princepsque Oratorum evasit. De ejus virtutibus, et vitiis vide Coel. Rhod. *ll. Ant. lib.* 5. *cap.* 13. Plutarchus vitam *Demosthenis* scripsit. Vide *Eloquentes* in *E*. De eo vel potius de ejus *Orationibus* dicebat *Val. Max. In Demosthene magna pars Demosthenis abest:* Actio scilicet, et vox. Erat fabri gladiorum filius. Vide *Oratores* in *O*.

Dentatus (L. Licinius), *Achilles Romanus* dictus, militari arte, et virtute insignis, ac supra humanam fidem strenuus bellator. Is pugnasse in hostes dicitur 120. praelia: cicatricem aversam nullam habuisse; adversas vero 45. Aureis coronis 8. donatus fuit: obsidionali una: muralibus ternis: civicis 14.: torquibus tribus: armillis supra 160.: hastis 18.: phaleris 25. A Populo praeter ea accepit militaria dona multijuga. In his provocatoria pleraque. Triumphavit cum Imperatoribus suis novies. Fuit Trib. pl. Spurio Tarpejo, et A. Thermo Coss. Haec ex Gel. *l.* 2. *c.* 11. *Annales* citante.

Desidia. Vitanda est improba Siren *Desidia*. Hor. *Sat.* 3. *l.* 2. De Aristo quodam, ni fallor, ajebat Martialis in Epigrammatibus factum adulterum, eo quod desidiosus esset: quae dictum Horatii confirmant. Constat, veteres Romanos desidiam aversatos. Illud enim Romanorum proprium dicebatur, fortia et agere, et pati, quo Imperium amplificarunt, et omnium maximum effecerunt. In bello, induciarum tempore, nobiles studiis litterarum navabant operam: milites variis laboribus exercebantur. In urbibus, et pagis plebs Agriculturae, Mercaturae, et aliis artibus studebat. Vide *Labor* in *L*.

D I

Diaconissae, primis Eccl. Seculis in Romana, et aliis Ecclesiis Viduae erant, vel adultae Virgines prudentia sua notae, castitatem profitentes, et in Sacris Christianorum eruditae, ut possent rite templorum nitorem, et supellectilem ad ornatum, et altaris ministeria spectantem curare. In multis

antiquis Conciliis de illis fit mentio, et multa de illis sanciuntur. S. Paullus in suis *Epist.* de hisce Viduis loquitur. Vide Cl. Zacchariam in noviss. Opere de *Coelibatu Sacro Dissert.* 1. *c.* 2. *et* 5.

Dicearchus. Hujus libros sibi mitti ab Attico petit Cicero *Epist.* 14. *et* 31. *lib.* 13. In altera posteriore ait Cic., se 3. *libros Dicearchi* accepisse, et 4. petit. De quonam argumento fuerint *libri* illi, non exponit.

Corollaria 3.

1. *Dictator*. Romani Imperatores post C. J. Caesarem *Dictatoris* titulum aliis titulis suis adjungi noluerunt, quia nimis obnoxius invidiae, et odio Romanorum, ut titulus Regis, et Domini, vide *Titulus* in T., et verbo *Dictator* in *Specimine Veteris Romanae litteraturae deperditae, vel latentis* Ferrariae edito.

2. *Dicterium*, sive acutum, et salsum Dictum; Vide *Ennius* in *E. Sales*, et *Seneca* in *S.* Scurra quidam Romae sub Tiberio Caes. cum in medio foro mortuum efferri videret; ad eum accessit, et nonnulla in aurem ejus insusurravit. Interrogatus ab iis, qui aderant, quid mortuo dixisset? Respondit, ei mandasse, ut Augusto nuntiaret, nihildum eorum, quae moriens plebi legaverat, solutum a Tiberio fuisse. Haec sciens Tiberius, accersivit scurram, et legatorum sua parte ei data, ad supplicium duci jussit. Ita Suet. in *Tiberio*.

3. *Dies*. De Diei, et Noctis partibus apud veteres Romanos vide Gel. *l.* 3. *cap.* 2. Macrobium *lib.* 1. *c.* 3. *Censorinum* de *Die natali*, Paullum *Ictum* tit. *de Feriis* in Pandectis. De *Die lustrico*, Vide *Nomina in N.* et *Verbo Romani in R.*

Dio, Philosophus cum Lucullo Alexandriae degebat una cum Aristone, Antiocho, et Aristo Philosophis. Ita Cicero in *Lucullo*, cujus doctrinam, et philosophandi studium laudat.

Diodorus Monachus, nondum Sacerdos una cum Flaviano etiam Monacho, nondum sacris initiato, populo valde charus, zelo pietatis promovendae dies noctesque Davidicos Psalmos cantans, docuit Davidicam Psalmodiam Antiochiae. Primi fuerunt praefati Monachi, qui in duas partes choros psallentium dividentes, Davidicam melodiam instituerunt. Qui mos per universas Orbis Ecclesias propagatus, etiamnum obtinet, addito singulis Psalmis in honorem Sanctae Trinitatis

Glo-

Gloria Patri, cet. Diodorus iste, et Flavianus vivebant imperante Constantio, et pro Catholicis dogmatibus laborantes reprehendebant Leontium Antiochenum Episcopum Arianum, eo quod Aetium Eunomii Magistrum Diaconum ordinasset. Vide Theodoretum *lib.* 5. *Historiae Tripartitae*, *cap.* 32.

Diodorus, minutus Phil., sed molestus suis sophismatibus. Ita Cic. in *Lucullo*: quo ostendit Cicero, alienum esse a bonis, et veris Philosophis sophismatibus uti.

Diodorus, Tarsensis Episcopus, qui obiit an. Christi 394. Ejus Opera Syriace extare dicuntur; ignoro, an sint in latinum versa. Eum Julianus Apostata appellabat *Nazaraei Magum*: forsitan quia miracula patrabat. De aliis ejusdem nominis in *Specimine*.

Diogenes, Stoicus, concedebat Astrologis divinandi Scientiam ex positu Stellarum. Ita Cic. de *Divin. lib.*2. Forsitan hic erat

Diogenes, Babylonius, *gravis Stoicus* a Cic. appellatur, et citatur *lib.* 3. *de Off.* Laertius in *Vitis Philosophorum* 5 viros hujus nominis, doctrina claros, nominat, quibus addi potest ipse Laertius, qui etiam *Diogenes* appellabatur. *Diogenes* (forsitan Babylonius) a quodam interrogatus, qua ratione ulcisceretur inimicum? respondit: *si tu optimus fias*.

Diogenes, Grammaticus Rhodius, qui Rhodii sabbathis Scholas habebat, Romam venit salutandi ergo Tiberium, jam Imper., quem Rhodi cognoverat, cum illic privatus exularet. Eum non admisit Tiberius, per cubicularium monens eundem, ut post septem annos rediret. Ita se cum eo egit Tiberius, quia *Diogenes* eum Rhodi audire noluit, nisi post 7 dies, seu die Sabbathi, quo die Scholam habebat. Vide Suet. in *Tiberio cap.* 32. De aliis hujus nominis in *Specimine*.

Diogenianus, ex Heraclea Grammaticus, sub Adriano Imper. edidit *Dictionarium*, seu *Lexicon*, et quaedam alia, quae desiderantur.

Diognetus, M. Aurelii Imperatoris magister, et Philos., de quo Capitolinus in *Vita M. Aur. c.* 4. et M. Aur. ipse *lib.* 1. *c.* 6. suorum Operum. Ad eum *Epist.* scripsit S. Justinus M. ut eundem ad Christum traheret. De *Diogneto* alio, Erythraeorum Imperatore, vide Plut. *de Claris Mulieribus*, ubi de Polycrita.

Dion, Prussaeus, *Amalthaeae Cornu* a Philostrato dictus, quod attinet ad dicendi facultatem, quam summam in omnibus habebat, scripsit *Getica*, postquam patria extorris, ad

Ge-

Getas se contulit. Item *Encomium Psytaci*, et *Sermonem Euboicum*. Trajanus triumphans eum secum in aurato curru vehi voluit. Vide alia in *Specim.*

Dionysius, Phil. Heracleotes, qui ab Stoicis ad Cyrenaicos transivit, et lustra palam ingrediebatur, non veritus coram aliis agere, quae ad Corporis voluptates spectant, pudore omni rejecto, more Cynicorum, qui magis inter bruta, quam inter homines numerari merentur. De hoc *Dionysio* meminit Cic. in *Lucullo*.

Dionysius, puerorum Ciceronum Magister, videtur communis servus Ciceronis, et Attici fuisse, a quibus nomina accepit: a Cicerone *Marci*, ab Attico *Pomponii*. Vide *Ep.* 24. *lib.* 9. ad Att. Cicerones pueri *Dionysium*, virum doctum, sed furiosum appellabant. De eo *Atticus* bene semper sensisse videtur: contra Cicero. Hic scribens ad Atticum, qui in *Epist.* ad Ciceronem, eum *nostrum* appellabat, dicit Attico: *Dionysius tuus, potius quam noster, superbum se praebuit*. Superbe namque responderat Ciceroni, cum res Ciceronis in periculo cernebat belli civilis tempore. In alia *Epist.* de eo scribit tanquam de facti sui poenitente. *Epist.* 4. *lib.* 7. ad Att. haec Cicero: *Dionysium flagrantem tui, misi ad te, nec mehercule aequo animo; sed fuit concedendum, quem quidem cognovi cum doctum (quod ante mihi jam erat notum), tum sanctum, plenum officii, studiosum etiam meae laudis, frugi hominem, ac ne libertinum laudare videas, virum bonum.* De ejus fuga, et librorum furto ex Ciceronis bibliotheca dixi in *Specimine*.

Dionysius, Corinthiorum Episcopus, vir singularis doctrinae. Scripsit complures Epistolas ad varias Ecclesias, quas memorat Eusebius in *Hist. Eccles.*; quarum paucae supersunt, et nonnullae viventi *Dionysio* ab haereticis falsatae fuerunt, ut testatur ipse de suis Epistolis loquens. Scripsit etiam ad Sororem Chrysophorum.

Dionysius, Alexandrinus, *Epist.* edidit de persecutione a Decio mota contra Christianos, citatam ab Eusebio. Verum S. Hieron. in *Scriptoribus Eccles.* binas ejusdem *Epistt.* memorat. Scripsit praeterea Opus de *Repromissionibus*, contra Nepotem, Aegypti Episcopum, qui docebat Chiliastarum dogma de Sanctorum regno cum Christo per mille annos transigendos in corporis voluptatibus. Fragmenta dicti Operis vide apud Eusebium *l.* 7. *H. Eccl. c.* 21. et 22. Obiit Dionysius 12. an. Imperii Gallieni. De aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Dioscorides, Medicus Alexandrinus sub Adriano.

Dioscorides, Caelator in laminis metallicis, Augusti Sculptor. In libellis, Epistolis, et Diplomatibus utebatur Augustus imagine sui, a *Dioscoride* coelo sculpta, qua etiam in signandis *Epistolis* usi sunt insecuti Principes Romani. Ita Suet. in *Aug. c.* 50.

Corollaria.

1. *Discipuli*, quales optabat Discipulos Quintilianus, et quam officiosi adversus magistros suos esse deberent? exponit Quintilianus *lib.* 2. *c.* 2. *Institutionum Oratoriarum*. Idem Quintilianus in suis *Institutionibus* disserit de puerorum Romanorum publica in scholis, et privata domestica *Institutione*, Publicam Domesticae praeferens ad disciplinas addiscendas. Seneca de Discipulis, et Magistris loquens, ait: Dijs, Parentibus, et Magistris aequalem gratiam rependi non posse.

2. *Dissimulatio*. Inter Veteres Romanos summos Politicos, Proverbium erat: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*: quae latina verba, et non alia optabat, a filio addisci Ludovicus XI. Galliae rex. Proverbii item loco erat inter Romanos: saepe satius esse dissimulare, quam ulcisci: quod roborat Juvenalis Sat. 13. canens:

Quippe minuti
Semper, et infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio.

Inhumani, et ferini hominis est injurias sibi illatas statim ulcisci. Lex Christiana his sublimiora praecipit: nempe non dissimulandas solum privatas injurias, sed condonandas. Item inimicos diligere, et eis benefacere.

Divini, seu qui inter Ethnicos futura praenunciabant (cujusmodi inter antiquos Romanos erant Augures, Haruspices, Arioli, ut Astrologi, Poetae fatidici, cet.) mendaces fere semper, furiosi, energumeni, vel magicis instructi artibus fuerunt. Tales erant etiam Pythonissae, Sacerdotes Idolorum in Graecia, et alibi, qui Oracula fundebant. De Oraculorum defectu, qui post Christi adventum contigit, tractat Plutarchus. Quid de Sybillinis *Oraculis* censendum? vide *Sybillae* in S. Oracula obscura, et ambigua esse solebant, ita ut possent in sensus contrarios exponi. Tale est illud, Pyrrho datum:

Aio te, Aeacide, Romanos vincere posse.

Cic. fatetur, suo tempore Oracula parum veridica inventa, etiam a Pythio Apolline Delphis data. Idem ait, multis an-

antea saeculis haec Oracula contempta fuisse a viris doctis, ut a Demosthene, 300 ante Ciceronem annis, qui aiebat, *Appollinem philippizare*, quia Philippus Macedo corruperat donis Sacerdotes Apollinis, ut Oracula rebus suis faventia darent contra Graecos. Ita Cic. *lib.* 2. *de Divin.* De veris, et falsis Prophetis complura in Sacris Litteris. Multa divinare prudentes dicuntur, quia ex circumstantiis, et conjecturis, Historiae, et experientiae innixis, futura praevident, et provident: ad quod non parum juvat caussas rerum, praesertim *necessarias*, quas vocant, agnoscere. Laudatur Themistocles a Corn. Nepote, quod non minus in rebus gerendis promptus, quam in excogitandis erat: quod de instantibus, teste Thucydide, verissime judicaret, et de futuris callidissime conjiciebat. Hanc prudentiam, sine qua nemo ullus regendae multitudini aptus censetur, non sine multa Historiarum lectione assecutus Themistocles fuerat. In Historia nempe imago futuri expressa habetur, ut etiam hominum indolis, et ingenii. De variis superstitiosae *Divinationis* speciebus: vide Cic. in *libris de Divin.* et Martinum del Rio, *Disquis. Magic. lib.* 4. *a cap.* 2. late. Vide item in *Specimine*, *Augures*, *Aruspices* in A: *Libri* in L.

Divisio Rom. Imperii a Constantino M. facta inter filios, qua Constantino Caesari cesserunt omnia trans Alpes, Constantio Asia, a freto Propontidis ad Persas, et Constanti regiones intermediae cum Africa; pomum discordiae inter fratres fuit, et Constantini M. Politicae naevus.

COROLLARIUM.

Divitiae Romanorum. De Lentuli Auguris, C. Caecilii Claudii Isidori, Augusti Caesaris, et Balbi divitiis, vide Nieupoort de *Luxu Roman.* Verum, quoniam forsitan lector ad manum non habet Nieupoort, juvat hic divitias alterius ex nominatis referre, Claudii scilicet Isidori. Is, quamvis non pauca in bello civili amisisset, testamento reliquisse perhibetur, servorum 4 mil., centum, et 16: juga boum 3600: pecoris reliqui 257 millia; in pecunia vero sestertium sexcenties. Ex quibus apparet, Roman. divitias sitas non in auro solum, et argento, sed et in servorum, pecudum, praediorum, gemmarum, tabularum, et vestium copia, praeter aliam pretiosam supellectilem. Vide *Aurum* in A, *Balbus* in B, *Familiae* in F, *Lucullus*, *Lupus* in L, de quibus in *Specimine* etiam multa. Quam caducae fragilesque humanae opes, et, ut repente flatu fortunae dilabantur,

tur, vide Val. Max. *lib.* 6. in fine. Vide *Lucrum* in L. Xiphilinus in *Caligula* aiebat: sub eo *publicum crimen fuisse, divitem esse*. Petronius Arbiter de Romanis:

Si qua foret tellus, quae fulvum mitteret aurum,
Hostis erat.

De *Divitiis*, et luxu Romanorum, vide etiam Plin. *H. N. lib.* 33. *cap.* 10. et 11. Horatius *Ode* 24. *lib.* 3.

Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum, et inutile
Summi materiem mali
Mittamus.

In *Satyris* ait idem Horatius omnia parere *Divitiis*: eumque clarum, fortem, justum, sapientem haberi apud Romanos, qui eas cumularit. Vide *Sat.* 2. *lib.* 2.

omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaque, pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, cet.

De *Divitiarum*, et Paupertatis malis, et bonis agit Seneca *Ep.* 88. ubi in fine *Epist.* ait: Rom. Imperium paupertate fundatum fuisse, et vaticinatur *Divitiis* periturum. Demetrius Pilos. aiebat, facilem sibi viam ad divitias esse, quo die eum bonae mentis poenituisset. Ita Sen. *QQ. NN. libri* 4. *Prooemio*. *Divitiae*, et dignitates curas mentis non tollunt. Recte Hor. *l.* 2. *Ode mihi* 16.

Non enim gazae, neque Consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas, laqueata circum
Tecta volantes.

Et alibi: *Post equitem sedet atra cura.*

Corollarium.

Divortium, Romanis legibus permissum erat, et quantumvis Polygamia in usu non esset inter Romanos, per 519 annos a Roma condita, nullum Romae *Divortium* factum dicitur; primusque Sp. Carbilius *Divortium* fecit de consilio amicorum, jurejurando apud Praetorem affirmans, se uxorem duxisse gignendorum filiorum caussa, quos habere ex uxore sterili non poterat. Foeminae, Senecae aevo, saepe *Divortium* a maritis faciebant. Vide Sen. de *Benef.* *lib.* 3. *c.* 16. De formula *Divortii*, et parte dotis, quae marito adjudicabatur, si culpa uxoris fiebat *Divortium*, agunt Jurisconsulti.

De-

DO

Doctrina, et vera Sapientia: ad eam obtinendam prima via est humilitas: secunda humilitas, tertia humilitas. Vide S. August. *Epist.* 56. ad *Dioscorum*. Optandum, ut hanc viam sequerentur Philosophi Antichristiani nostri saeculi, qui parum demisse de se sentiunt, sua somnia, et ineptias divinis Sacrarum Scripturarum Oraculis praeferentes. Diligunt nempe magis tenebras, quam lucem verae Doctrinae, et Sapientiae, quae solis humilibus a Deo conceditur.

Dolabella, Cos. Cic. discipulus, et postea gener. Laudatur a Cic. ejus *Concio* in *Epist.* quadam *lib.* 14. ad Att. et in alia, ejus optimus in Remp. animus, in quo pecunia corruptus non permansit, de quo queritur Cic. *Ep.* 14. *lib.* 16. ad Att. optatque, ut omnes agnoscant, se propterea inimicum ei esse. In praefata *Epist.* loquitur de *Dolabella* quodam, qui ei debebat pecuniam. Tac. *lib.* 3. *Ann.* refert sententiam Corn. vel Cn. *Dolabellae*, in Senatu dictam in M. Syllani caussa. Hunc puto ex Corn. *Dolabellae* Cos. (qui Gallos Senonenses ex Piceno expulit) stirpe fuisse. Hic, victo, et fugato Brenno juniore, Gallorum Duce, Senogalliam Coloniam Romanam fecit.

Domini. Romae in diebus Saturnalium Domini cum servis ad mensam assidebant, vel accumbebant, et nonnunquam servis ministrabant. Vide *Saturnalia* in S. Romani servos suos, non *servos*, sed *familiares* suos appellabant.

Domitianus, Imperator, sagittandi arte peritissimus. De eo aiebat Apollonius Thyan. apud Philostr. in *Vita Apollonii*: *Cum secundum leges faceret nihil, judicium fingens, se secundum leges decernere simulabat*. De eo vide alia in *Specimine*.

Domitianus, Grammaticus, *Insanus* dictus, Romae docuit, ubi *Insani* nomen meruit ob valde morosum, et intractabile ingenium.

Domitius (quem Cic. adhuc puer Consulem, Censorem, Pont. Max. vidit) cum Tribunus plebis factus, M. Scaurum principem Civitatis reum apud populum egisset, et Scauri servus clam ad eum Scauri crimina detulisset; comprehendi servum jussit, et ad Scaurum trahi. Quod factum a Cicer. laudatur in *Orat. pro Dejotaro*, a nepote per servum accusato. Ob hanc rem, et ob alias virtutes Populus *Domitium* libentius, et Censorem, et Cos. et Pont. Max. creavit.

Do-

Domitius, Jurisconsultus, Judex in Caussa de Clodii nece a Milone patrata. Ita Cic. in *Orat. pro Milone*.

Dorsinius (Flavius) citatur a Plinio *lib.* 14. ubi de *Arboribus*, et fructibus earum agit in *Hist. Nat.*

Dositheus, Magus, Simonis Magi in Arte magica Magister, a discipulo in ea arte superatus.

DR

Drusus, Tiberii frater, scripserat *Epistolas* ad Tiberium, quibus agebat cum Tib. de cogendo Augusto ad restituendam Romano Populo libertatem. Has *Epistolas*, quae desiderantur, prodidit Tiberius in odium fratris. Ita Suet. in *Tiberio c.* 50.

Drusus, Tiberii Caesaris filius, *Orationem* habuit in Augusti funere, dictam pro rostris in Veteribus, quod Tiberius praestiterat pro aede D. Julii. Ita Suet. in *Augusto c.* 100. Cum esset Cos. una cum Patre, *Orationem* in Senatu habuit, aptam temperandis animis in simultate exorta inter Domitium Corbulonem, et L. Syllam. De altero ex *Drusis* narrat Vel. Paterculus *lib.* 2.: Architecto offerenti aedes ei fabricare, altiorum aedium conspectui non expositas, respondisse: *Tu vero*, inquit, *si quid artis in te est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit*. Hoc puto, de *Druso*, Tiberii fratre, et patre Germanici, vel de *Druso*, Liviae patre narrari. Nominum unitas multa in Romana *Historia* obscura reddit, ut saepe dixi in *Specimine*.

Drusus (Libo) Praetor sub Tiberio. Vide *Trio* in T.

DU

Dubitantes, Philosophi: vide *Academici* in A: *Pyrrhonici* in P, *Sceptici* in S. Ingenii, et Dialecticae usus legitimus est, de dubiis certa facere, non autem certa in dubium vocare, ait Baco a Verul. de *Augm. Scientiarum lib.* 3. ubi etiam ait, homines ingenia sua intendere, et applicare ad hoc, ut alatur potius dubitatio, quam terminetur, aut solvatur. Tales sunt nonnulli ex Philosophis nostri aevi, qui Dialecticae canonum ignari certissima in dubium vocant: quo putant, se hoc seculum illuminare; cum non aliud faciant, quam illud ignorantiae tenebris obscurare. Omnis quippe *dubitans* est ignorans. *Si Protagorae credam*, inquit Seneca Ep. 89., *nihil in rerum natura est, nisi dubium: si Nausiphani, hoc unum certum, nihil esse certi: si Parmeni-*

di,

di, nihil est praeter unum: Si Zenoni, ne unum quidem.... Non facile dixerim, an magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidam nobis reliquerunt, nihil scire. An non merito irascendum Antichristianis nostri saeculi Philosophis, qui in dubium vocant certissima Christianae religionis mysteria, et Sacrarum Scripturarum verissima pronunciata? Sed iram temperemus, et eorum insaniae misereamur, luminum Patrem orantes, ut verae Sapientiae lumen illis accendat, et ad veri semitam, quam deseruere, reducat.

Dulcitius, vir doctus, varias quaestiones S. Augustino proposuit super sacrarum litterarum intelligentia: cui S. Doctor respondet *Epist.* ad eum missa.

Corollarium.

Dux Rom. Exercitus quibus artibus instructus esse solebat? vide Boccalinum *Epist. ad Carolum Andream Caracciolum*, cui documenta dat, ut olim optimus Dux exercitus esse possit. In hac *Epistola*, et aliis, ut etiam in multis Operibus, ab ipso editis, ostendit Boccalinus magnum suum ingenium, eruditione, et eloquentia non destitutum: quas dotes libentius ego quidem laudarem, si benignius, et majori cum urbanitate cum Hispanis se gessisset, eorumque famam non lacerasset, eisdem odium, et invidiam conflans Satyricis scriptis suis.

Duyllanus citatur a Plinio *l.* 14. *H. N.*

E

EBrietas, ut vinolentia, comes, et fomes luxuriae est. Idcirco Romae primis seculis vetitum foeminis sub poena capitis vinum bibere. Vide Horat. *Epist.* 5. *l.* 1. ubi multa de ea mala, et bona, etiam per jocum tradit. De Catonis *Ebrietate* parum sapienter loquitur Seneca (vide *Cato* in C). *Lib.* 1. *de Tranq. Vitae*, *cap. ult.* adprobat Seneca vini potionem usque ad *Ebrietatem*, non ut mergat, sed ut deprimat curas. Peccat etiam hic Stoicus, qui temperantiam commendare debebat. De M. Antonii *Ebrietate*, et nobilium aliorum Romanorum, vide Sen. *Epist.* 84. Vide *Antonius* in A: *Piso* in P, et *Tiberius* in *Specimine*. Xenophon in

in *Cyropaediae lib.* 1. ebrium describit, et vinum veneno infectum putat. Vide Menoch. in *Storeis Cent.* 1. *c.* 89. et 90.

EC

Eculeo (Decius) citatur a Plinio *l.* 35. *H. N.*

ED

Educatores boni maxime diligendi. Vespasianus ab avia secte educatus, ejus pocillo argenteo festis diebus, et solemnibus in ejus memoriam utebatur: villam, in qua fuit educatus, frequenter invisebat, et immutari noluit. Vide *Discipuli* in D: *Magistri in* M. Pessimi educatores sunt, qui vitia laudant, quod faciunt Antichristiani nostri aevi Philosophi impudicis, et sacrilegis scriptis suis, quibus corrumpunt juventutem.

EG

Egnatius, vir doctus, sed invisus Senatui, eo quod pecunia se corrumpi sivisset in caussa Beroeae Sorani, in qua Judex erat. Non liquet, an sit is *Egnatius*, sive Advocatus, sive Judex, quem cavillatur Catullus, eo quod semper, et ubique renideret, ut candidos dentes ostenderet.

EL

Elagabalus Imperator, vulgo *Heliogabalus*, Lampridii errore. Vide *Heliogabalus* in H.

Elegantia, apud antiquos Romanos non virtutis, sed vitii vocabulum erat. Vide Gel. *l.* 11. *c.* 2. Seneca *Ep.* 115. haec habet: *Nosti juvenes barba, et coma praeter modum nitidos, elegantes totos? nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum.* Idem Sen. de *Brevitate vitae*: *Ea quotidie commiscimur, quibus virili dignitati fiat injuria.*

Elephantis, Poetria impudicissima. Hujus versibus instruxit Tiberius Caesar sui palatii conclavia, ut parata, et prae oculis haberet impudica praecepta. Ornata etiam, vel potius foedata habebat conclavia impudicis imaginibus, quarum adspectu oblectaretur, et ad impudica excitaretur, homo coopertus voluptatum coeno, ut *canis immundus*, *et amica luto sus*, utor verbis Horatii *Ep.* 2. *l.* 1.

S. *Eleutherius* Papa, patria Nicopolitanus, electus an. Christi 182. Rexit Ecclesiam an. 15. Multa statuit contra Severianos, et ne quis sacerdotio privaretur, nisi accusatus, et convictus. Ita Eusebius. Misit Fugatium, et Damianum

ad Britanniae regem Lucium, qui optabat cum suis Christianum fieri.

Eloquentes: vide *Eloquentia*: *Oratores* in *Specimine*. Cic. aiebat paucos se vidisse *Eloquentes*; disertos multos. Plutarchus ausus non fuit Ciceronis Eloquentiam cum Demosthenis Eloquentia conferre, praetexens, se non satis latinae linguae peritum, ut posset de hoc judicare. Forsitan putavit, invidiae obnoxium, Ciceronem Demostheni posthabere: Eloquens esse non potest, qui multa eruditione instructus non fuerit. Eruditio autem paratur multa lectione.

E M

Emeritus, Donatistarum Caesareae in Mauritania Episcopus. Cum eo disputavit S. Augustinus, eumque obmutescere fecit praesentibus illius Provinciae Episcopis.

Emilianus, Orator, vir prudens, citatur a Plutarcho in *Tract. de Oraculorum defectu*, ubi narrat Panos mortem, nuntiatam Attamano Gubernatori navis, qua vehebatur Emiliani pater e Graecia Romam rediens, imperante Tiberio. In dicto *Tractatu* loquitur Plutarchus de Daemonum morte.

Emilianus, sive *Aemilianus* 12 *libros de re Rustica* scripsit. Citatur a Cassiodoro in *Divinis Lectionibus*. Cujus fuerit aetatis? non dicit.

Emilius (P.) Cos. insignem Basilicam in Foro construxit cum columnis Phrygiis expendens in hoc opere decies centena millia fere ducatorum.

Emissius citatur a Plin. *l.* 11. *H. N.*

E N

Ennius dicere solebat, teste Cicerone, facilius esse ardentem carbonem intra os opprimere, quam bona, sive acuta dicta a Viro sapiente, et acuto non proferri. Verum non semel hisce acutis, et pungentibus dictis, a quibus non abstinebat Cicero, perduntur amici: et Quintiliano, viro prudenti, et acris judicii non probantur illi, qui malunt amicum perdere, quam salsa, et acuta dicta. Vide *Scipio*: *Sales* in S. Vide de eo in *Specimine*.

E P

Epaphra, laudatus a S. Paullo in *Epist. ad Coloss.* videtur scripsisse *Epist.* ad S. Paullum commendans Colossenses, quos in Christiana Religione erudierat, ac *quorum doctor erat*, *et fidelis Christi minister*, ut ait S. Paullus.

Epa-

Epaphroditus, a libellis Neronis, et ejus libertus. Eo adjutore jugulo suo ferrum adegit Nero, cum a Satellitibus, a Senatu missis ad eum comprehendendum, quaereretur. Vide Suet. in Nerone cap. 49. De eo, vel alio ejusdem nominis vide in *Specimine*.

Ephorus, Historicus, citatur a Gellio post Actium *l.* 3. *c.* 11. ubi de Hesiodo, et Homero. *Ephorus* videtur Hesiodum Homero natu majorem fecisse.

Ephraim, Syrus, scripsit de Juliani Apostatae persecutione contra Ecclesiam. Vivebat Juliani aetate.

Epictetus, Philosophus, Vestiarii Neronis servus. Obiit Nicopoli in Epiro temporibus M. Antonini Imper. Vide alia de eo in *Specimine*.

DE EPICUREIS NOSTRI SAECULI PHILOSOPHIS JUDICIUM.

Epicurei. Doctrina, et sermo Epicureorum, in corporis voluptatibus, et in doloris absentia vitam beatam ponentium, exsecrationi fuit veteribus Ethnicis Romanis sapientioribus. Detestabantur etiam eorum opinionem de Deo nihil agente, nihil curante, nihilque providente, sed omnia Casui tribuentem. Vide Ciceronem de *Finibus*. Apud eosdem Romanos male audiebant Epicurei, quia voluptuosi putabantur, et quia eorum non pauci palam se, ut Cynici, in voluptates sensiles ingurgitabant. Vide Horatium *lib.* 1. *Epistola* 2. Quid de nostri seculi Epicureis sit sentiendum? Lector Christianus dijudicet. Antiqui Epicurei sui seculi Illuminatores se esse jactabant, quia Religionem omnem spernebant, Dei O. M. cultum et timorem, qui initium est sapientiae, superstitionem appellabant, nihilque a Deo sperandum, nihil timendum docebant: virtutes, et vitia vana nomina reputantes, et ex aequo habentes. Horum vestigiis, et opinionibus insistentes nostri aevi Philosophi Epicurei, insigni impudentia, etiam gloriantur, se nostrum seculum illuminare: quod mihi facere videntur ea ratione, qua illi, qui maligna luce fures, et adulteros nocturnos ad flagitia perpetranda illuminant. Illi enim miris laudibus efferunt, quae ad morum corruptelam, et sensuum illecebras tendunt. Illud mirum, quod, cum illi viros doctissimos, et sanctissimos, Christianae religionis Professores, et Assertores probris, et conviciis insectentur, ut olim *Epicurus* Phedonem, Socratem, Aristotelem, Timocratem, ab illo dissentientes, quin Pythagorae, Platoni, Em-

pedocli pepercerit; mirum inquam est, eos queri, quod impudici, sacrilegi, et scelerati Scriptores appellentur ab Apologistis pro Christiana Religione, clamareque, hisce appellationibus urbanitatem, et charitatem violari. Verum pari modo possent conqueri Homicidae, itinerum Grassatores, Incendiarii, publicae Meretrices, quod his nominibus appellentur. Non sunt commutanda rerum vocabula in gratiam novorum Philosophorum: panem *panem*: ficum *ficum* appellamus. Sat illis fuerit quod Philosophos eos appellemus, licet nihil minus sint, quam Philosophi. Miserrimum seculum! in quo docti Philosophi, et seculi Illuminatores audiunt, qui ne Dialecticam quidem norunt, vel qui eam negligunt (quemadmodum de Epicureis sui aevi testatur Cicero initio *Academicarum QQ.*) cognitae veritati resistentes, et contradictionibus passim sese implicantes. De *Epicuro* ajebat Cicero in *Dial.* de *Natura Deorum*, ne in offensionem Atheniensium Athenis caderet, verbis Deum reliquisse, re sustulisse. An non idem dici potest de *Deistis Epicureis* nostri seculi? Sed haec nimis forsitan seria lectori videbuntur. Qui velit eos non serio arguere, sed sale Socratico perfricare, eosque deridiculos reddere, legat *Opusculum*, a Gallo quodam ingenioso editum de *Natione Cacuaccha*, secundum novorum Philosophorum praecepta Philosophica vitam agente. *Opusculum* istud, (quod mihi videor legisse in Hispania inter Opuscula *Anni litterarii* Domini de Freron) inveniet lector in fine *Tomi 9. Apologiarum pro Christi Religione*, Venetiis impresso post Romanam editionem. Legi etiam meretur ironica *Funebris laudatio* Epicureorum nostri seculi Patriarchae, recitata in *Conventu Amatorum boni sensus*, Venetiis edita sermone Italo anno 1777, ab Excellentissimo, et Reverendissimo D. D. Marco Zagurio, Vicentino Praesule dignissimo, cum in minoribus esset, ut dicitur, lucubrata. Utinam *Epicurei* nostri aevi tandem ad se redeant, sapiant, resipiscant, incautam juventutem liberculis suis non corrumpant, et novissima provideant secuti exemplum nonnullorum suae sectae, quibus *pars sanitatis velle sanari fuit*. Sanus factus fuit Horatius Epicureus insanientem sapientiam se sectatum olim errore suo affirmans. Vide *Odem* 34. *l.* 1.

Epigenes, quem gravem in primis Auctorem vocat Plinius, affirmat, Babylonios Astronomicas observationes 700. annorum in coctis lateribus scriptas habuisse. Vide Plin. *l.* 7. *H. N.*

Episcopus. Cic. in quadam *Epist.* ait, Pompejum voluisse

se

se esse Campaniae *Episcopum*. Eusebius *lib.* 1. *vitae Constantini M.* eum vocat *communem orbis Episcopum*, a Deo constitutum: et ipse Constantinus in quodam Sermone, vel *Epistola* ad Ecclesiae Praesules se vocat *Exteriorem Ecclesiae Episcopum*. Vide in *Specimine* V. *Episcopi*.

Corollarium.

Epistolae, ultro citroque a Romanis antiquis mittebantur, vel per amicos ad loca distantia proficiscentes, vel per proprios aut amicorum tabellarios, non sine magnis expensis, quae multo minores fuissent, si, ut nunc, publici tabellarii, et commune publicumque commercium Epistolare stabilitum fuisset. Nihilominus sub posterioribus Romanis Imperatoribus publicos fuisse tabellarios crediderim; cum in *Cod. Theodos.* legantur multae leges de *Cursu publico* ad Praeff. Praet. directae, nisi si de re vehicularia intelligi debeant. *Epistolae* Cic. ad Att. quae inventae dicuntur a Petrarcha, valde obscurae sunt, quia parum emendate descriptae a librariis, et parum etiam emendate impressae: tum etiam, quia Cicero Atticum consulens de rebus domesticis, deque politicis, quae, belli Civilis tempore praesertim, valde periculosae erant, laconismum, et obscuritatem affectabat, ac mysteriorum plenas mittebat, adeout nonnullae ab Attico vix intelligerentur: quod faciebat Cicero ne intelligi facile possent, si interceptae reserarentur. *Epistolas* dictas non pelliceas, sed papyraceas fuisse colligitur ex eo, quod nonnunquam dicat Cic. se *Epistolam* complicasse: nonnunquam Atticum orabat, ut *Epistolam* discerperet. Pergamenae autem, seu pelliceae *Epistolae* non complicabantur, sed in rotundum volutae mittebantur, nec discerpebantur, sed radebantur earum versus, quos lineas vocamus. Vide *Tabellarii* in T., et in *Specim. Disceptationem de Materia Scriptoria veterum Rom.* De varia ratione scribendi *Epistolas* de rebus occultis per litterarum transpositionem, commutationem, mutilationem cet. vide Gel. *l.* 17. *c.* 9. Vide item Baconem a Verul. *de Augm. Scient. lib.* 6. ubi de ratione scribendi per Cyphras, usitata in Aulis Principum de rebus secretum postulantibus: vide item verbo *Titulus* in T. ubi de salutationibus Epistolaribus inter vet. Romanos usitatis. Vide *Epistolae* in *Specimine*. De *Epist.* S. Ignatii Martyris ad B. Virg. Mariam, et hujus ad S. Ignatium, ad Messanenses, et Florentinos, vide Menochium in *Storeis Centuria* 4. *c.* 62. Forsitan non eas, quae leguntur, sed alias,

alias, quae desiderantur, ad eos scripsit. De praefatis Epistolis litigant Critici, ut etiam de Christi Domini Epistola ad Abgarum Edessae regem, quam Eusebius se reperisse descriptam lingua Syriaca in publicis Archivis Edessae dicit *lib.* 1. *Hist. Eccles.*

Epos fieri potest sine Ethnicorum fabulis. Vide *Lucanus* in L., et *Dissert. de Lucani Pharsalia* in *Specimine*. Horatius in *Arte* monet, Deos in Poematibus non adhibendos, nisi cum nodus aliquis solvi aliter non potest.

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Diomedes Gramm. ait, *Epos* esse Hexametrum Carmen Divina, Heroica, et Humana comprehendens, idest Carmen vel de Deo, vel de Heroe quodam, vel de Homine insigni cum laude agens.

Eprius (Marcellus) Senator, et Orator. Ejus *Orationis* contra Helvium Priscum sententias affert Tac. *l.* 4. *Hist.* et *l.* 3. alterius, in Senatu habitae pro urna, et sorte adhibendis in designandis Provinciarum Legatis. Hae *Oratt.* desid. De eo in *Specimine*.

Epulones, qui coenas Pontificales, Saliares, Augurales lautissimas curabant, 3. fuerunt primum instituti: Sylla 4. alios addidit, ex quibus coaluit Septemviratus *Epulonum*, quorum dignitas in pretio erat, nec ad eam eligebantur nisi qui in Sacrificiorum ritibus valde versati erant: cum ad eos spectaret, ad Pontifices referre, siquid in Sacrificiis omissum, vel perperam commissum fuisset. Toga praetexta, ut Pontifices, utebantur. De illis agit Livius *lib.* 33., et Cic. in *Orat.* de *Haruspicum* responsis. S. Aug. de *Civit. Dei* eos, ut mimos, et parasitos sugillat.

E R

Eracleon, Valentinianus haereticus, 2. Eccl. Seculi, cujus nonnulla fragmenta ab eo scriptorum Operum supersunt.

Erinna, Lesbia Poetria, Graeca Ode Romanos laudavit. Justus Lipsius Graecos versus Latinos fecit, et legi merentur. Eos affert Menochius in *Storeis Cent.* 2. *c.* 51.

Erichto, celebris Maga, de qua Lucanus multa habet *lib.* 6. *Pharsaliae*.

Eriphilus, Rhodius orator, de quo narrat Cic. agendo causas ad verbum dixisse, quae antea cogitarat: quod item tanquam rem singularem narrat de Metrodoro, Ephesio, et

de

de Hortensio. Vide Quintil. *lib.* 10., ubi de *Cogitatione*. De *Eriphilo* Medico mox.

Erophilus, Vide *Herophilus* in *H.* Quemdam *Eriphilum*, vel *Herophilum*, Medicum, *Medicinae Vatem* appellat Plin. *lib.* 11. *c.* 37. *H. N.* Forsitan erat Anatomicus ille, *Herophilus*, de quo Tertullianus, mutata in nomine secunda vocali. De *Eriphilo*, ait Plin., miranda arte fuisse, sed desertum propter nimiam subtilitatem.

Eros, Ciceronis libertus, et Oeconomus, in subducendis rationibus valde peritus, teste Cicerone, qui ejus fidelitatem commendat in *Epistt. ad Att.* Eo etiam utebatur tabellario.

COROLLARIUM.

E T

Ethnici Romani vocari coeperunt *Pagani*, 4. Eccl. Seculo, cum ex urbibus Christianorum ejecti, in pagis, et agris Ethnicam superstitionem exercebant. Ita Baronius, et Gothofredus. Inter *Ethnicos*, tum Graecos, tum Romanos ante, et post Christi ortum multi acutissimo ingenio, multiplici docrina, et insigni eloquentia floruerunt: qui tamen, quia Sacrorum librorum lectione, seu divino magisterio fuerunt destituti, in crasissimos errores inciderunt. Vide postremam *Dissert. Q. Mod. Censorini in Parad. de Vita, et Morte Lat. linguae*. Ethnici Christianorum persecutores multa fingebant, et divulgabant contra Christianos, ut Populorum odium contra eos accenderent, et execrabiles redderent. Inter alia, eos, in clandestinis sacris infantes occidere, et eorum visceribus vesci, ac alia nefanda ab eis patrata publicabant. Eos imitabantur in calumniandis Catholicis Haeretici, maxime Ariani.

E V

Evagrius, Phil. (ad fidem Christ. conversus a Synesio, Syrenes Episcopo) mortuus jam et sepultus, *Epistolam* ad Synesium scripsit. Ita Sophronius, ex Leontio in *Prato Spirit. c.* 195. et Hugo Heterianus. Quid in ea Epist. continebatur, invenies apud Martinum del Rio *Disquis. Magic. l.* 2. *Sect.* 5.

Evagrius Orator, caussas sub Theodosio Imperatore in foro agens, foro vale dixit, et vitam quietam, litigantium molestias fugiens, elegit; quem imitatus est S. Joannes Chrysostomus. Ita Socrates *lib.* 10. *Historiae Tripartitae*.

Evagrius, vir eloquentissimus, et mitissimus, a Gregorio Nazianzeno eruditus, et ejus Archidiaconus. Erat facie pulcherrima, et ornate vestitus. De eo, mortem evasisse ipsi intentatam a zelotypo Senatore, deserendo Constantinopolim post visionem quamdam, narrat Sozomenus. Varia opera edidit memorata a Socrate, quae desiderantur.

Evangelistae. De his S. Greg. Nazianzenus.

Matthaeus Christi Hebraeis miracula scripsit:
Ausonibus Marcus: Lucas at doctus Achivis:
Cunctis Joannes penetrans coelestia mente.

Evax, Arabum rex, de *Medicina* ad Neronem scripsit.

Eucherius ad Valerianum Imperat. *Paraeneticum* misit, in quo contra Ethnicorum falsam Sapientiam disserebat.

Eudoxia (de qua dixi nonnulla in *Specimine*) maritum suum, Theodosium juniorem Imperat. Geometriam atque Astronomiam docuit. Christi, et Prophetarum sententias exposuit Homeri versibus, omissis fabulis, Epicó Carmine, et hoc opus *Homero-Centones* inscripsit. Poterat sine magno labore id praestare, cum Homerum memoriter teneret, cujus versus ad Christianorum sacra transtulit. De Scriptis suis Poeticis haec panxit.

Plene Deo Daniel, per me canis ore Pelasgo:
Historias per me texis, Homere, sacras.
Cui modo non vates? cui non Eudoxia dicar?
Quae consors vestrae sic quoque laudis ero.

Alia de ea vide in *Hist. Sacra* Nicephori *lib.* 14. *c.* 50. et in *Hist. Festi S. Petri ad Vincula.*

Eudoxus, licet Phil. Epicureus, valde modestus, temperans, et abstinens fuit a corporeis voluptatibus. Forsitan recedebat a communi inter Romanos Epicuri interpretatione, a qua recesserunt non pauci viri doctissimi etiam nostrae aetatis, ut, praeter Gassendum, DD. Franciscus de Quevedo, doctissimus Poeta Hispanus in altera ex suis lucubrationibus, quas soluto sermone edidit Hispana lingua.

Eunapius, Sophista Ethnicus, scripsit vitas Imperatorum Romanorum: quae Historiae interciderunt, vel latent. Vide alia de Eunapio in *Specimine*.

Evodius, S. Petri successor in Cathedra Antiochena, scripsit *Epist.* inscriptam *Lumen*, in qua ajebat, Christum e foeminis solam B. Virg. Matrem suam baptizasse, et e viris solum Petrum; hunc autem baptizasse Andream, Jacobum, et Joannem, et ab his caeteros Apostolos baptizatos. Eum laudat S. Ignatius M. in *Epist. ad Antiochenos.*

Eu-

Euphrates, Apollonii Thyanaei inimicus: forsitan, quia fraudes, et malas ejus artes agnoscebat: forsitan etiam, quia Philosophus, et ejusdem professionis cum esset, illius famae invidebat. Auctor erat Vespasiano, ut non alteri vacaret Philosophiae, quam, quae secreta naturae investigat. Haec ex Philostr. in *Vitis Sophist.*

Eusebia Augusta, Constantii Imperatoris uxor, foemina supra sexum docta, et prudens, ut de ea tradit Sozimus; Arianismo infecta fuit. Ea Constantium Maritum, et Magistratus sibi obnoxios contra Catholicos assidue instigabat; adeout nocentissima Catholicae Religioni fuerit. Constantius Arianus ejus, et Episcoporum Arianorum suggestionibus ac mendaciis nimium tribuens, Catholicos immaniter vexavit. Ex ea prolem non suscepit Constantius: curavitque Eusebia, ne Helena soror Constantii, Juliano Apostatae nupta, partus vitales haberet, potione venefica clam ei propinata: quod impetravit invidens Helenae felicitati. Hoc, Deo providente, contigisse crediderim, ne Julianus prolem relinqueret, quae post eum imperaret, et ejus impietatem imitaretur. Noluit Deus ex malo corvo malum ovum oriri, secundum Graecorum Paroemiam: Κακῦ Κόρακος Κακὸν ὠὸν.

Eusebius, Caesarien. Praesul (de quo in *Specimine*) cujus frater, teste Ammiano Marcellino, Julianum Apostatam genere contingebat, in Diocletiani persecutione videtur fidem Christi negasse, quod ei objecit Potamon, Heraclaeae in Aegypto Praesul, cum quo inclusus in carcerem pro Christo fuerat, quique pro Christi Confessione tortus, oculo amisso, et poplite succiso fuit, illaeso, et integro *Eusebio* manente. Praeter opera doctissima ab eo edita, quae exstant, scripsit librum de Basilica, seu templo magnificentissimo a Constantino Hierosolymis constructo, qui liber desideratur, ut etiam liber contra Marcellum Ancyranum Catholicum Praesulem. *Eusebius* hic parum veridicus putatur in narrandis, quae Arianae Sectae favere possunt, et tacendis, quae contra eam faciunt. Veritas enim, ut ait Ammianus Marcellinus; et mendacio, et silentio corrumpitur ab Historico. Acta in Concilio Nicaeno I. contra Arrium, et asseclas, inter quos, et quidem praecipui, erant ipse, et alter Eusebius Nicomed. Episcopus, silentio involvit tum in *Hist. Eccl.* tum etiam in *Vita Constantini* M. Baptismum Constantino Nicomediae administratum narrat, ut lectores credant, Constantinum a Nicomediensi *Eusebio*, Arianorum Coryphaeo, fuisse baptizatum: non Romae a S. Sylvestro Papa, et Constantinum

in

in vitae fine Arianis adhaesisse, vel ad eos propendisse, ut putavit S. Hieronymus ex scriptis ab *Eusebio*: nisi si ea S. Hieronymi Chronico a sciolo aliquo addita fuerint, ut nonnulli putant. Ammianus meminit Eusebiae, uxoris Constantii Imperat., et sororis *Eusebii*, viri Consularis, Arianae. Hinc intelligitur, quamobrem Constantius tam constanter adhaeserit Arianis, et eorum Sectam promoverit, delusus per uxorem, et Acacium Luscum ab Eusebiis Arianis. Obiit *Eusebius* an. Christi 344. Vide *Dissert.* meam *de Duplici Constantini M. Baptismate*. Nihilominus sunt, qui Arianum non fuisse hunc *Eusebium* contendant, et virum sanctum putent.

Eusebius, Nicomediensis Episcopus, Coryphaeus, seu Princeps Arianorum, qui ex eo *Eusebiani* fuerunt appellati, ne exularet, et Episcopalem sedem amitteret, Arianam damnavit haeresim, cum Episcopis Catholicis in Nicaena Synodo ficte consentiens. Ejus *Epistola*, qua Arianum dogma promoverat, in Concilio Nicaeno I. damnata fuit cum Arii Scriptis. Constantini M. et Constantii gratia abutens Catholicos calumniis vexavit.

Eusebius, Emessenus Episc. obiit an. Christi 360. Scripsit contra Judaeos, et Gentes. De his, et aliis hujus Operibus, quae olim studiosissime legebantur, meminit S. Hieron. de *Script. Eccl.* De aliis *Eusebiis*, Vide in *Specimine*.

S. Eustachius M. Vide *Placidus* in *P.*

S. Eustathius, Antiochenus Episc. qui Conc. Nicaeno I. interfuit, et in eo habuit *Orat.* gratiarum actionis ad Constantinum M. ab Arianis, quos damnaverat, multis calumniis, et mendaciis vexatus, in exsilio obiit sub Constantio. Multa scripsit laudata a S. Hier. Theodoreto, et aliis.

Eustathius, Manichaeorum deliria spargens, damnatus fuit in Conc. Gangrensi sub Constantino M.

Eustathius, sive *Eustachius*, vir disertissimus natione Afer, vertit in latinum *Homilias S. Basilii* in *Hexaemeron*. Hanc versionem dicavit sorori suae Smileticae Diaconissae. Ita Cassiod. in *Divinis Lectionibus*. Ejusdem meminit Sigebertus Gemblac. *c.* 21. *de Scriptt. Eccl.*

Eutichius, Patriarcha Alexand. scripsit *Annales*, in quibus multas populorum Orientis traditiones narrat.

Eutropius, Phil. Ethnicus, Judex delectus ab Origene, et Haereticis, cum quibus publice Origenes disputavit de Christiana Religione. *Eutropius*, et multi alii Ethnici Philoso-

phi,

phi, qui Disputationi aderant, auditis Origenis rationibus, Christianam Religionem amplexi sunt. Disputavit Origenes cum Mogethio, Marco, Droserio, Valente et Marino, viris haereticis, quorum unusquisque suae sectae Caput erat.

S. *Eutropius* Adrianopolitanus Episc. edidit librum de *Pythonissa*, dicatum S. Eustachio Antiocheno Praesuli, in quo eum vocat Praedicatorem verae fidei, et miratur ejus zelum, et pietatem. Laudatur a S. Athanasio ut in omni opere perfectus. Monebat transeuntes per Adrianopolim, qui Nicomediam itabant, ne seduci se sinerent ab Eusebio Nicomediensi. Exulavit, et sede sua privatus fuit in gratiam Basilinae secundae uxoris Constantii Constantini M. fratris, Juliani Apostatae matris, cui parum gratus erat.

Exules Christiani, sanctitate, et doctrina celebres, de quibus fere omnibus constat, Opera aliqua in exsilio ante Honorium scripsisse: menti occurrunt S. Joan. Evangelista, S. Clemens Papa, et M. S. Athanasius, S. Hilarius, S. Eusebius Vercellensis, S. Joan. Chrysostomus, et ante hunc S. Eustathius Antiochenus Patriarcha, de quo supra. Vide *Exules* in *Specimine*.

F.

FAberius Notarius, sive scriba per notas, teste Vitruvio, domum pulcherrimam in Aventino habuit.

S. *Fabianus*, R. Pontifex, electus an. Christi 239. sedit an. 13, et Martyr occubuit sub Decio. A S. Fabiano baptizati fuerunt Philippus Arabs Imperator Rom. et ejus filius S. Pontii suasionibus ad Christum conversi (*a*). Ita Eusebius, et Orosius. S. Fabianus multa statuit ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia.

Fabius, Astronomus, qui una cum Sosigene, jussu C. Jul. Caesaris, annum correxit. Vide Marianam Hist. *Hisp. l. 6. c. 26.*

Fabius, Eques Rom. Narbonensis, Pompeii partes secutus, edidit libros aliquot Stoicorum disciplinam illustrantes. Horatius *lib. 1. Sat. 1. loquacem* eum vocat.

Fa-

(a) In *Actis Ss. Bollandianis* leguntur S. Pontii Acta, in quibus S. Pontii Oratio ad Philippum Arabem, qua eum ad Christianam Religionem traxit.

Fabius Max. Dictator, militari arte insignis, qui cunctando Romanam restituit rem paene deploratam, cum Hannibal multis praeliis Romanos afflixerat, eorum exercitibus saepe deletis. Hannibali peritia *Fabii* pugnam detrectantis, admirationi fuit. *Fabius*, Populi Rom. detractiones contemnens, Reip. saluti fuit, ut canit Ennius in suis *Annalibus*, dicens, eum anteposuisse famae suae, et bono nomini Romanam salutem. Arbitror, eum fuisse ex gente Fabia, ex qua 300. illi circumventi a Vejentibus ad fluvium Cremeriam, vel Alliam pugnantes trucidati fuerunt, Menennio Agrippa, et M. Horatio Pulvillo Coss.

Fabricius (C.) Cos. Vide *Aemilius* in *A*. De eo magna cum laude Sen. *Ep*. 121. eum Aristidi Atheniensi parem faciens. Vide Gel. *l*. 1. *c*. 14. ubi ejus responsum ad Samnitum legatos magnam vim auri ei offerentes. Vide alia de eo in *Specimine*.

Corollarium.

Facetiae, saepe damnosae Auctoribus. Vide *Dicterium*, *Jocus*, *Sales*, *Scipio* in suis litteris. *Facetiae* urbanae, et sine morsu delectant, et risum excitant. Siculus quidam, cui Praetor Scipio Patronum in caussa quadam dederat nobilem hominem, sed ignarum: Quaeso, inquit, Praetor, da adversario meo hunc Patronum, et mihi deinde neminem. Cum Scipio Nasica ad Ennii domum ivisset, et Ennius domi esset; jussit is ancillae, diceret Scipioni, se domi non esse. Cum postea Ennius ad Scipionem Nasicam amicum ivisset, et illum e janua quaereret, exclamavit Nasica, se domi non esse: tum Ennius: *agnosco*, inquit, *vocem tuam*. Cui Nasica: *homo impudens es*. *Ego te cum quaererem*, *ancillae credidi*: *tu mihi non credis?* Crassus, cum caussam oraret, interpellatus ab Helvio Lamia Patrono contrariae partis, homine deformi, dixit: *Audiamus pulcellum puerum*. Cum arrisum esset; dixit Lamia: *Non potui formam mihi ipse fingere*: *ingenium potui*. Tunc Crassus: *Audiamus*, inquit, *disertum*: multo vehementius arrisum est. Cum malus Orator misericordiam se in epilogo movisse in favorem accusati putaret; rogavit Catulum, an ita esset, seu, an Judices ad misericordiam movisset? Et ad magnam quidem dixit Catulus: neminem enim ullum tam durum puto, cui tua *Oratio* miseranda visa non sit. Haec ex antiquis Romanis scriptoribus.

Falcula, Judex: Vide *Bulbus* in *B*.

Falsitas. Vide *Veritas* in *V*. et S. Chrysost. *Hom*. 3. de

S.

S. Paulli laudibus. Vide item Menoch. in *Storeis Cent.* 1. *c.* 89. *Falsitas non est toleranda sub velamine pietatis*. Ita Innoc. III. Papa *lib.* 15. *Ep.* 10. Apud Homerum *Iliad.* l. 9. Achilles ajebat: Illum odi aeque ac portas Plutonis, qui aliud recondit in mente, aliud vero dicit. Vide *Antoninus* in *A. Sicut veritas suis nixa radicibus vetustate convalescit, viresque adquirit eundo: ita falsa aetatem non ferunt: evanescunt enim ut fuco illita facies*. Ita Ant. Maria Gratianus, Amerinus Episc. in *Opere* inscripto*: De Scriptis invita Minerva*: quod edidit Cl. Lagomarsinius.

Corollarium.

Fama. Vide *Fabius Max.* supra. Improbos timor infamiae a facinoribus pravis deterret. Ita Diod. Siculus in *Praef.* Seneca de *Ira l.* 1. *c.* 8. agit de factis, et dictis Principum, quos rumor excipit, et ideo nullis magis cavendum est, inquit, qualem famam habeant, quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt. Tac. *l.* 4. *Ann.* ait: optimos mortalium altissima cupere: unum insatiabiliter parandum prosperam sui memoriam: nam contemptu famae contemni *virtutes*. Verum recte P. Syrus: multi famam curant: pauci conscientiam. De honesta famae, et fortunae petitione, vide *Prolusiones* nostras *Philosophicas* in *Candidato famae, et fortunae*, seu in *Philosophia Actuosa*, qui *libri* 2. titulus est in dictis *Prolusionibus* Barcinone editis an. 1756.

Fatalistae. Multi ex antiquis Phil. etiam Romanis fato omnia tribuebant, cui etiam Deum submittere ausi sunt, negantes arbitrii libertatem. Hac insania laborant Mahumedani: nec defuere Christiani, qui Fatalistis Ethnicis adhaeserunt, ut Priscillianistae, et alii haeretici, ab Ecclesia damnati, quorum deliria denuo promovent nonnulli ex Philosophis Antichristianis nostri seculi, qui Rationi naturali, et Revelationi adversantur. Cicero de *Fato* scripsit, et humani arbitrii libertatem asseruit, sed nesciens eam cum Dei praescientia conciliare negavit, Deum praescium futurorum contingentium nobis liberorum, deque eo dicitur, ut hominem faceret liberum, ignarum Deum fecisse. Modum, rationemque conciliandae humanae libertatis cum divina praescientia primus excogitavit Jesuita Lusitanus P. Petrus Fonseca: quem vide in doctissimis *Commentariis* ad *libros Metaphysic. Arist.* quos ex Graeco in Latinum vertit. In dictis *Comment.* elegantissima latinitate (parum inter Scholasticos, excepto celebri Melchiore Cano Dominicano, et paucis aliis, usitata) inventum

suum

suum commemorat, quod ejus discipulus Ludovicus de Molina in *libro* de *Concordia* postea illustravit cum plausu multorum, non sine multis itidem impugnatoribus. Vix dici potest quanta animorum contentione de hac *Concordia* actum in Scholis Catholicis sit per duo secula, tum voce, tum innumeris pro, et contra scriptis voluminibus: quo celeberrimum evasit Mólinae nomen, quin de Petro Fonseca hujus *Concordiae* inventore fiat mentio: forsitan, quia ejus *Commentarios* non legerant, qui de hac Concordia scripserunt.

Favonius, Orator, Molonis Rhodii discipulus, in *Oratoria* Ciceronis forsitan condiscipulus. De eo Cic. *ad Att. l.* 2. *Ep.* 1.

Favorinus, Phil. Hermaphroditus, si Philostrato credimus. Verum ipse non se talem, sed Eunuchum fatebatur. Fuit patria Arelat. in Gallia: Discipulus Dionis Prussaei, et Herodis Attici singularis amicus: adeout is moriens haeredem eum scripserit librorum suorum, aedium, quas Romae habebat, et pueri Indici natione, ac nigri colore, *Autolecyti* dicti, Favorino, et Herodi valde grati ob multos barbarismos, quos Latine loquendo miscebat cum verbis Indorum non sine magna oblectatione, et risu utriusque Philosophi. Ita Philostratus *in Vitis Sophistarum*. Dicere solebat *Favorinus*: turpius esse frigide laudari, quam graviter vituperari. Vide de eo alia in *Specimine*.

F E

Fecialis, vir litteratus, citatus a Plinio *l.* 16. *Hist. Nat.* et alibi.

Feciales Romani, qua formula uterentur cum bellum Pop. Rom. nomine hostibus indicebant, et quo ritu? vide Verbo *Feciales* in *Specimine*, et in hoc *Lexico* verbis *Bellum* in *B. Cincius in* C.

Felix I. Romanus Pont., et M. sub Aureliano, statuit, ut Missae celebrarentur super memorias, et sepulchra Martyrum. Sedit an. 2. M. 4. D. 29. De aliis multis hujus nominis vide in *Specimine*. De *Felice* Papa, in locum Liberii ab Arianis suffecto dicitur, haereticum declarasse Constantium Imperatorem, qui eum ut fautorem Arianorum Papam elegerat pro Liberio legitimo Pontifice Romano, quem in exsilium miserat. Liberio revocato ad suam Sedem, occisus fuit *Felix* a Liberii fautoribus. Ita Carrion in *Chronico*. Alii tradunt, in praedio suo vitam in pace finivisse. Alii tandem

(et

(et hoc certius) Martyrio laureatum fuisse. Ita Baronius ad an. 358.

Felix Manichaeus, Fortunato versutior, quo cum Hippone biduo disputavit S. Augustinus in Ecclesia, praesente Populo.

Felsina praecipua olim urbs Hetruriae, nunc *Bononia*, quae a Boiis Gallis *Bojonia* fuit olim appellata. Bononienses affirmant, S. Petronium suae urbis Episcopum, et Patronum, consanguineum Imperatricis Eudoxiae, olim Athenaidis, Gymnasium publicum sub auspiciis Theodosii junioris Imperatoris fundasse, et moenia diruta a Theodosio Magno reaedificasse. Utrum solida fundamenta ad haec asserendum habeant? ignoro. Forsitan ita sentiunt ex antiqua traditione.

Festus (Pescennius) Historicus citatus a Lactantio *libro* 1. *cap.* 21. *de Falsa Religione*. In sua Historia, quae desideratur, agebat de humanis hostiis, Saturno a Carthaginensibus barbare immolari solitis. De aliis Scriptoribus ejusdem nominis, vide in *Specimine*. Multa *Festi Pompeii* loca emendavit Fruterius longa *Epist.* sua ad Muretum.

F I

Firmilianus, vir doctus scripsit ad S. Cyprianum de *Angelorum potentia*. Hunc puto fuisse Firmilianum Cappadocem Metropolitam Caesareensem, qui cum S. Cypriano sentiebat, rebaptizandos Haereticos, quique a fidelium communione exclusus fuit a S. Stephano Papa post Concilium Iconii celebratum cum Asiae Episcopis in Phrygia, cui praesedit *Firmilianus*.

Flaccus. Vide *Horatius* in *Specimine*.

F L

Flaccus (L. Val.) Senatus princeps, Syllani belli tempore *Orationem* habuit in Senatu, qua per Concordiae studiosos impetravit, ut legati de pace acturi ad Corn. Syllam mitterentur. Id factum cum L. Cynna, et Papyrius Carbo a semetipsis facti Coss. bellum parabant contra Syllam. Ita, Florus in *Liviana Epitome lib.* 83. qui liber desid. Hic Flaccus diversus est a Poeta ejusdem nominis, et praenominis, et a *L. Flacco* (qui Asiae, post Tribunatum, Quaesturam, et Praeturam, praefuit) repetundarum reo a Cic. defenso. De aliis complurimis ejusdem nominis, vide in *Specimine*.

Flaminius (C.) Orator, teste Cicerone in *Bruto* valide orabat ad Populum. Is cum Trib. pl. esset legem tulit

de

de Agro Gallico viritim dividendo, ut etiam Piceno. Consul factus apud Trasimenum a Poenis interfectus fuit. Nonnulli fanatici putarunt, tunc punitum a Diis ob olim contempta Auguria. Vide *Attius* in *A*, et in *Specimine* verbo *Flaminius*.

Flavianus, vir sapientissimus, Antiochenus Praesul, Haereticos expugnabat sub Valentiniano Catholico Imperatore. Vixit usque ad tempora Honorii, et Arcadii non consentiens S. Joannis Chrysostomi damnationi. Multa pro grege suo perpessus fuit. Diversus hic est a *Flaviano* Constantinop. Episcopo, qui Eutychem damnavit.

Flavianus, urbis Praefectus Ethnicus, cujus magna erat in sapientia praerogativa, ut ait Ruffinus, Eugenium Tyrannum, victorem contra Theodosium futurum pro certo dabat Ethnicis, multa sacrificia pro Eugenio Romae facientibus. Victo Eugenio, vir eruditus vanum se Vatem non sine pudore agnovit.

Flavius (Subrius) Trib. Militum sub Nerone, et alter ex conjuratis in Neronem. Comprehensus, detecta conjuratione, et interrogatus a Nerone, quamobrem a sacramenti religione defecisset? intrepide respondit: *Oderam te: neque quisquam antea Militum tibi fidelior fuerat, dum amari meruisti: odisse coepi postquam parricida matris, et uxoris: postquam auriga, histrio, incendiarius extitisti*. Ita Tacitus.

Flavius (L.) Praetor designatus, Ciceronis familiaris. Ejus res commendat Cicero Quinto Fratri, Asiae Praesidi *Ep.* 2. *l.* 1. *ad Q. Fr.* Notum est ex dictis in *Specimine* Praetores peritos fuisse in Jure Civili. Horat. *Sat.* 6. *l.* 1. meminit cujusdam *Flavii*, Arithmeticae Romae magistri publici.

Florinus, S. Irenaei Condiscipulus sub S. Polycarpo, in Valentini errores lapsus fuit. Hac occasione S. Irenaeus *lib.* scripsit de *Ogdoade*, seu de *Octonario numero*. Scripsit etiam *Epist.* ad Florinum de *Monarchia*, ostendens, unicum esse Deum, et peccati Auctorem non esse, ut *Florinus* contendebat.

Florus (Jul.), Orator, cujus Orationes memorat Tacitus *lib.* 3. *Ann.* Vide *Sacrovir* in S, et in *Specimine* verbo *Florus*, ubi de multis viris litteratis hujus nominis fit mentio.

Foedus. Scriptura, seu formula foederis Romanorum cum Hebraeorum populo legitur *l.* 1. *Machab. c.* 8. Horatius *Epist.* 1. *l.* 2. indicat, Scripturas foederum a regibus Romanorum cum Gabiis, et Sabinis, ut etiam cum populis aliis vici-

vicinis, factorum desiderari. Verisimile est, eas valde similes fuisse scripturae foederis cum Hebraeis.

Foeminae doctae Romanae. In eas satyrice invehitur Juvenalis *Satyra 6.* ubi inter alia haec:

Non habeat Matrona, tibi quae juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Vide alia in *Specimine*. Inter Rom. foeminas, quae eleganti latino sermone loquebantur, praeter Gracchorum matrem Corneliam, memorat Cic. in *Bruto* Laeliam, Caii filiam, et ejus filias Mutias ambas, et neptes Licinias. De arte, qua foeminae Romanae utebantur ad sibi venustatem conciliandam in facie, et capillis, eos nativo colore pingendo, ac de damnis ex fuco isto ortis ob venenata adhibita medicamenta, vide Galenum *lib.* 1. *de Medicamentorum compositione secundum locos*: Plautum in *Mustel.* et Menochium in *Storeis Cent.* 1. *c.* 93. Galenus in *Exhortatione ad bonas artes* narrat, quo pacto Phryne, Athenien. Meretrix, fucatas foeminas, cum illis ludens, ludibrio dignas reddiderit. De foeminis Romanis in Spectaculis Ovid. *l.* 1. *De Arte* cecinit:

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae:
Iste locus casti damna pudoris habet.

Vide *Forma* infra: *Ornatus* in O: *Stola* in S: *Venustas* in V.

Fontejus (M.) primum Praetor, postea Praeses Galliarum. Pro eo repetundarum accusato Romae oravit Cicero, cujus *Orationis* multa desiderantur. Eum laudat a vitae integritate, a generis nobilitate, a militari virtute. Pro eo supplicabat mater, et soror Vestalis. Vide *Plaetorius* in P.

Fontianus, Poeta, Provincias Romani Imperii eleganti Carmine descripsit. Ejus exemplar expectabat Beatus Rhenanus a Bilibaldo Pilckharmero amico, ad quem Epistolam scripsit Rhenanus. Videtur tale opus periisse, vel latere. Cujus aetatis Poeta fuerit? ignoro.

COROLLARIUM.

Forma. Vide supra v. *Foeminae*, et v. *Pulchritudo* in P. Juvenalis *Sat.* 10.

Rara est concordia formae,
Atque Pudicitiae.

Ovid. *Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos*
Fit minor, et spatio carpitur illa suo.

Seneca in *Octavia*: *Florem decoris singuli carpunt dies.*

COROLLLARIUM.

Fortuna. Apud Romanos erant erecta multa *Fortunae* templa. In honore erant apud eosdem *Fortuna Aurea*, *Equestris*, *et Viscata*. *Fortunae Prosperae* templum dicavit Servius Tullus, qui ex matre serva Rex Romanorum evasit, *Fortuna*, ut putabat, eum prosperante. Celebre erat *Fortunae* fanum Antii. De ea Horat. *l.* 1. *Ode* illa:

O! Diva gratum, quae regis Antium, cet.

Erat item fanum *Fortunae* in Aemiliae Urbe, quae nunc *Fanum* appellatur a fano illo, quod nunc est scenicum Theatrum insigne. In cultu erat apud Ethnicos *Fortuna* sub variis nominibus. Erat *Fortuna Virilis*, seu *Mascula* dicta: Erat etiam *Primigenia*, *Fortis*, *Parva*, *Convertens*, *Benesperans*, *Videns*, *Adversa*. In *Fortunae* templis erant Sortes, quae inter superstitiosas Divinationes recensentur. Vide multa de superstitioso cultu *Fortunae* apud Rom. et alias nationes apud Messiam in *Sylva Variae lect. Parte* 2. *c.* 33. In praecedentibus Capitibus non pauca adducuntur de varia Virorum Illustrium fortuna, ut etiam apud Val. Max. *l.* 6. *c.* 9. et 10. Plut. Tractatum habet de *Fortuna Romanorum* unum, *de Fortuna*, *et virtute Alexandri Magni* alterum. Q. Curtius ait: *Fortuna famam pretiumque rebus constituit*. Seneca: *Servat multos Fortuna nocentes*. Tacitus: *Quibusdam Fortuna pro Virtutibus fuit*. Notum est adagium ex Appio: *Faber quisque fortunae suae*.
Seneca in *Hercule furente choro* 2. haec habet:

O, Fortuna viris invida fortibus!
Ut non aequa bonis praemia dividis.
Fortuna immeritos tollis honoribus:
Fortuna innocuos cladibus afficis:
Justos ipsa viros pauperie gravas:
Indignos eadem divitiis beas.

In *Candidato nostro Famae*, *et Fortunae*, seu *lib.* 2. *Prolusionum Philosophicarum*, alia dedimus de *Fortuna* ex Juvenale, Claudiano, et Horatio: ex quibus intelligitur, mediocrem *Fortunam* magnae praeferendam. Sunt illic etiam *Querelae in Fortunam* insignis Poetae Lusitani Francisci Macedo in carcerem trusi, lugubri Poemate legi digno expressae. Stoici Philosophi, ut etiam Christiani, licet, vulgi more, de *Fortuna* loquantur, Dei Providentiam, non caecam, et iniquam *Fortunam* agnoscunt.

For-

Fortunatus Manichaeorum Coryphaeus in Africa, a S. Augustino refutatus. Ejus Opera perierunt.

Corollarium.

Forum, praeter *Romanum* dictum, in quo Comitia, et Caussae agebantur ad Populum, erat Romae multiplex *Forum*. In his res victui necessariae vendi solebant. Erat *Forum Olitorium*, in quo olera: *Piscatorium*, in quo pisces: *Boarium*, *Suarium*, in quibus boves, et sues vendebantur. *Forum* quodlibet diversis ornatum erat porticibus, statuis, picturis, columnis, et *Forum* Romanum, quod spatiosissimum erat, etiam multis templis. *Forum* hoc, in quo pro Rostris orari solebat, *ingeniorum theatrum appellabatur*; illic enim Oratores, et Poetae Opera sua recitabant, et ingeniorum suorum spectaculum dabant, plausum, et acclamationes ambientes. Vide *Acclamationes* in *Specimine*.

F R

Fregellanus (L. Papirius) in Latio Orator disertissimus. Ejus *Orationem* pro Fregellanis, Colonisque latinis, in Senatu dictam, suo tempore legi ajebat Cicero in *Bruto*.

Fronto (Corn.) magnis ornatur laudibus a Gellio, qui eum convenire solebat, ut ejus dictis, et putis sermonibus frueretur. Vide Gel. *l.* 19. *c.* 18. ubi de vocabulis *Arena*, *Triticum*, *Caelum*, *Quadrigae*, et aliis ex C. Jul. Caesaris libris de *Analogia*, qui latent. De eodem podagra laborante agit Gel. *lib.* 19. *c.* 10. ubi de vocibus *Praeter*, *propter*. Vide de eo alia in *Specimine*.

Corollarium.

Frugalitas veterum Romanorum laudatur a Seneca, et a Val. Max. qui *lib.* 4. affert multa eorum frugalitatis exempla, quae posteri luxui dediti imitati non sunt: quod Romano Imperio ruinam attulit. Seneca de *Tranquil. Vitae c.* 9. ait: *Frugalitate pauperes divites fieri*.

F U

Fufidius, Orator, in aliquo Patronorum numero ponitur a Cic. in *Bruto*.

Fugatius, vir doctus, et pius, missus fuit a S. Eleutherio Papa in Britanniam, ut Lucium Regem, et subditos in Christiana Religione institueret.

Funambuli Elephantes: vide *Galba* in G, *Mansuetarii* in M.

Corollarium.

Funus nobilium Romanorum magna cum solemnitate fieri solebat. Vide *Apotheosis* in A. Non semel paria aliquot Gladiatorum circa rogum depugnabant. A Praeficis cantabantur Naeniae, seu Carmina lugubria in honorem defuncti. *Oratio* etiam *funebris* recitari solebat, et imagines virorum illustrium in defuncti, et propinquorum familiis, ex defuncti aedibus in locum, ubi cadaver urebatur, deferri mos erat. In funere Juniae, Bruti matris, 20 illustrium familiarum imagines antelatae sunt, teste Corn. Tacito *Ann. l.*3. in fine. Ante Syllae tempora mos Romae non erat urendi cadavera, sed sepeliebantur. Plinius *lib.* 10. *Hist. Nat. cap.* 43. narrat solemne funus serio factum Romae Corvo cujusdam Sutoris, *qui mature sermoni assuefactus omnibus horis matutinis evolans, in rostra, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum, et Drusum Caesares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat. Postea ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio meritus. Hunc sive aemulatione incitatus manceps proximae sutrinae, sive iracundia subita, ut voluit videri, excrementis ejus posita calceis macula exanimavit, tanta plebis consternatione, ut primo pulsus ex ea regione, mox et interemptus sit Corvi occisor,* Funus*que aliti innumeris sit celebratum exequiis. Constratum lectum super Aethiopum duorum humeros, praecedente tibicine, et coronis omnium generum ad rogum usque, qui constructus dextra viae Appiae, ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato fuit. Adeo satis justa caussa Pop. Romano visa est exequiarum ingenium avis, aut supplicii de Cive Romano in ea Urbe, qua multorum Principum nemo deduxerat* Funus. *Scipionis vero Aemiliani, post Numantiam Carthaginemque deletas, ab eo nemo vindicaverat mortem. Hoc gestum M. Servilio*, C. *Cestio Coss. ad* 5 *Kal. Aprilis*. Ita Plinius. Forsitan non defuere in hoc funere Praeficae, quae Naenias canerent in Corvi tam ingeniosi laudem. Forsitan etiam in tanta Oratorum copia non defuit, qui Corvi populo valde cari *Orationem funebrem* lucubraret, et recitaret; licet Plinius id non narret. Post Corvi hujus *Funus* campus ille, in quo ejus cadaver ustum fuit, non *Rediculi*, sed *Ridiculi* campus debuit appellari: nisi, si hac Populum Romanum appellatione donandum potius quispiam arbitretur. Plinius factum hoc narrans multa miratur. Sed mihi mirari subit, Plinium Sutoris, Corvi hujus Magistri, nomen litteris non con-

consignasse. Miror etiam, Populum Rom. tam officiosum in alitem, quique tantum honoris ei tribuit, ut ejus *Funus* celebraret, Sutorem, Corvi Patronum, et Institutorem nullo honore, nullo praemio affecisse, sed in sutrina cum suis calceis, vel sandalis reliquisse. Verum ad *Funera* Civium Romanorum redeamus. Horum supersunt adhuc multa sepulchra, multae cinerales urnae, in quibus ossa, et cineres combusti cadaveris asservabantur. Supersunt etiam multae in marmoribus Sepulchrales Inscriptiones, *Epitaphia* dictae, tum prosa tum etiam versu lucubratae in defuncti memoriam, vel ab amicis, vel a propinquis. Ethnicorum sunt, in quibus superius insculptae cernuntur litteris majusculis *D*, et *M* (idest *Diis Manibus*): Christianorum sunt, in quibus superius visuntur *A* et Ω, et in medio Christi nomen sic: ☧, et in parte inferiori Olivae ramus, Columba, Agnus, vel Pisces. In utrisque saepe leguntur anni, quos vixit defunctus, ut menses etiam, et dies, ac quisnam poni monumentum curaverit. In Ethnicorum sepulchris legi solet: *Sit tibi terra levis*: In Christianorum: *In pace*. Solebant Romani in funeribus thus adolere, quod ex Sabaeis habebant, ut ebur ex India: quod Virg. tradit *Georg. lib.* 1. Vide Plin. *l.* 12. *c.* 14. et Theophrastum *lib.* 9. *Hist. Plantarum*.

Fusius, Tragoedus. Is cum ebrius *Illionam* Tragoediam ageret, et *Illionam* dormientem simularet, ita obdormivit, ut aliorum Actorum clamoribus excitari nequiverit. Vide Hor. *Sat.* 3. *l.* 2.

G

G*Abinius* (Ciceronis inimicus, Asiae Procos. repetundarum reus peractus, eo quod 10 talentorum millia pro restituendo in regnum vi et armis Ptolomaeo acceperit) Cos. erat cum Pisone, quorum opera usus est Clodius ad ejiciendum Roma Ciceronem, superbe rejectis Senatu, et Populo, qui, mutata veste, pro Cic. deprecabantur. *Gabinius* seditiosam habuit *Orationem* contra Tullium, et L. Lamiam pro Cic. orantem relegavit. Ita Cic. in *Orat. pro P. Sextio*.

Galba (Sergius) postea Rom. Imp. cum Praetor esset, no-

vum spectaculi genus, Elephantos funambulos, dedit in commissione ludorum Floralium. Ita Suet. in *Galba c. 6.* Vide *Nummularius* in N. Vide item de eo, et aliis ejusdem nominis in *Specimine*.

Galenus (de quo in *Specimine*) *libb.* 17. edidit de *Usu partium Corporis* ad Boethum, Syriae Praesidem: quod Opus miris effertur encomiis. Hoc opere ostendit *Galenus* suam in Supremum Numen pietatem, ejus Providentiam stabiliens contra Epicureos, asserensque melius Mosem, quam Epicurum de Deo scripsisse. Ita *lib.* 11. Ex quo intelligere est, *Galenum* Sacros Codices legisse, et ex eis profecisse.

S. *Gallicanus*, Martyr sub Juliano Apostata, Constantini Magni exercitus Dux, qui, Ethnicus cum esset, optavit uxorem S. Constantiam, Constantini M. filiam (Vide *Artbemia* in A). Relationem scripsit ad Constantinum M. de victoria reportata sine caede, et sanguine contra Gentem Scythicam, ad quam debellandam missus fuerat a Constantino, quae Relatio desideratur. De ejus ad Christum conversione agitur in Sanctae Constantiae, vel SS. Joannis et Paulli Actis, a Terentiano editis. Fuit Constantino valde charus.

Gallicus (Rutilius) Domitiano Imperatori valde acceptus, Praefectus Urbis, et Judex ab eo Romae constitutus. De eo Juvenalis agit *Sat.* 13.

Gallienus Rom. Imp. De eo narratur factum quoddam, quod ostendit, ejus ingenium a facetiis non abhorruisse, et luxum uxoris parum ei placuisse. Mercatorem enim, qui uxorem luxui deditam deluserat, magno pretio ei vendens gemmas factitias, damnaverant, comperta fraude, Judices, ut cum leone pugnaret in Amphitheatro. Accurrerat infinita spectatorum multitudo. Tremens Mercator, et spectans leonis caveam, jamjam se putans, leonis escam futurum, vidit caponem ad se venientem, quocum manus conserere jubebatur. Quod cum spectatores mirarentur, non ignari sententiae contra Mercatorem latae, et fraudis, qua Imperatricem deluserat; quod gravissimum crimen videbatur; *Gallienus* per praeconem edixit: *Hic homo imposturam fecit, et imposturam est passus*, eumque dimisit post pugnam cum capone non sine risu, et plausu spectatorum, nec tamen sine ira delusae Imperatricis, cujus luxum forsitan hoc facto emendare voluit prudens maritus, qui licet alias crudelis, parcendo Mercatori eo die humanum se praestitit. De eo in *Specimine*.

Gallio, L. An. Senecae frater, a Jun. Gallione adoptatus, lau-

laudatur a Sen. in *Prooemio l.* 4. *QQ. NN.* eo quod adulatores odio haberet, et adulationes audire neutiquam pateretur. Multa alia in fratris laudem illic Sen. tradit. Vide de eo in *Specimine*.

Gallus (Annius) Orator, cujus *Orationis* ad Otthonianos sententias affert Tac. *l.* 2. *Annalium*.

Gallus (Asinius) Asinii Pollionis filius, oravit in Senatu coram Tiberio pro Romanorum luxu contra Haterium, et Frontonem, qui modum statui postulabant in usu argenti, et reliquae supellectilis domesticae. Tiberius, auditis pro utraque parte Oratoribus, non putavit oportere legem contra luxum ferri, veritus, ne inobservata, et contemta maneret. Idem *Gallus* ad Senatum retulit, expedire Magistratibus in Provinciis ad quinquennium prorogari imperium, et regionum legatos ante Praeturam factos, Praetores designari. Contra quae Tiberius disseruit. Occisus fuit jussu Tiberii. Ita Diò Cassius. Vide *Syriacus* in S, et Tacitum *l.* 2. *Ann.* Vide item de eo in *Specimine*, ubi de aliis ejusdem nominis.

S. *Gaudentius*, Ariminensis Episcopus, decreto suo damnavit Arimin. Arianorum Conciliabuli decreta, ob quod in tumultu, ab Arianis concitato, fustibus, et lapidibus interemtus, Martyr in Coelum migravit.

Gaudentius quidam videtur scripsisse pro rebaptizandis haereticis. Eum refellit S. Augustinus.

Gaurus, Poeta, Martialis aemulus. Ejus vitia describit Mart. faceto hoc, et acuto *Epigr.*

Quod nimio gaudes noctes producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina, quod scribis, Musis et Apolline nullo;
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quod vomis, Antoni: quod luxuriaris, Apici.
Quod fur es: vitium dic mihi cujus habes?

G E

Gellius (A.) plura scripsit, quae desiderantur. Inter alia citat ipse *libro* 14. *NN. Opus de Senatus Consultis*, quod non exstat, vel latet. Medicinae etiam dedit operam Medicorum libros consulens. Vide ipsum *l.* 18. *c.* 10. ubi de vena, et arteria, quo differant? Vide alia in *Specimine*. Gellius citatus saepe a Plinio in *H. Nat.* diversus est ab A. Gellio. De aliis hujusce nominis in *Specimine*.

Genitor (Jul.) Rhetor, ut bonus morum, et eloquentiae magister, laudatur a Plinio Caecil. in *Epist. ad Hisptillam*.

Geographia. Vide *Geographi* in *Specimine*. Romanis antiquis immensa maris, et terrarum spatia, quae, novo orbe detecto, nobis innotescunt, ignota fuere. Sunt adhuc in Affica multae regiones ignotae. Nondum exploratum est post multam Geographorum inquisitionem, cujus figurae Orbis terraqueus sit. Jesuitis Missionariis *Geographia* multa debet incrementa. De *Geographia* insigne Opus edidit nuper Ferrariae Abbas Ignatius Campserver Hispano-Catalanus, olim Bilbili, et Barcinone Matheseos Professor. In dicto Opere mentionem facit *Lexici Mathematici* a se lucubrati.

Geometria primum in Graecia a Thalete, altero ex 7 Sapientibus, inventa dicitur. Ast verisimile est, eam ex Aegyptiis, vel Hebraeis hausisse. A Pythagora, qui eas regiones peragravit, variis demonstrationibus illustrata fuit, et aucta. *Geometria* Romana has mensuras pro solidis habebat Granum, Digitum, Palmum, Pedem, Passum, Stadium, Milliare, quibus addita fuit Leuca ad itinera metienda. En trita de his mensuris Carmina:

Quatuor ex Granis Digitus *componitur Unus*:
Est quater in Palmo Digitus: *quater in* Pede Palmus.
Quinque Pedes *faciunt* Passum: Passus *quoque centum*
Cum viginti, et quinque dabunt Stadium: Stadia *octo*
Mille *dabunt*: *et* Mille *tria faciunt tibi leucam*.

Praeter has mensuras erat etiam *Cubitus*, quo Hebraei ante Graecos, et Romanos utebantur, a flexu brachii ad digiti longioris extremum, *Pedem*, et alterius dimidium continens. Erat itidem *Ulna*, quae extensorum brachiorum continet longitudinem: vide *Mensura* in M. De *Geometria* Optice, et Canonice. Vide Gell. *l.* 1. *cap.* 20. et *lib.* 16. *c.* 18. Vide *Geometrae* in *Specimine*.

Gestus: vide *Histriones* in H, *Mimi* in M. Ars exprimendi ad vivum res per *Gestus* exculta fuit a Graecis, et Romanis cum exterorum admiratione. Inservit haec Ars (quae fere omnino est deperdita, et cujus solum vestigia restant in actione Oratorum, et Scenicorum) ad loquendum cum surdis, et barbaris ignotae linguae. Rex Ponti, qui Romam venerat sub Nerone, ab eo Mimum petiit, ut posset, eo interlocutore, per *gestus* loqui cum accolis barbaris, qui linguam Ponti non intelligebant. Haec Ars Syracusis in Sicilia orta dicitur ex Hieronis Tyranni saevitie, qua vetuit Syracusanis, mutuis colloquiis uti, jubens, quae necessaria essent, *gestu* petere, et exponere. Franciscus Baco a Verulamio vocat *Gestus* Hieroglyphica transeuntia. De in-

insigni *Mimo* sub Nerone, vide *Demetrius* in D in *Specimine*.

G L

Glabrio (M.) Jurisconsultus, et Praetor in Verris Caussa Judex. Ei Cic. *Verrina* 2. enixe commendat, ut tollat praecedentium judiciorum infamiam, in quibus multum valebat pecunia, in qua Verres, repetundarum reus, spem posuerat. Vide *Judices*, *Judicia* in *Specimine*,

Gladiatores. Vide *Funus* in F. In conviviis ad oblectandos convivas duo, aut tria paria *Gladiatorum* exhiberi solebant, ut etiam ante profectionem exercitus ad bellum, ut milites sine horrore vulnera, et caedes inspectare assueti essent. Varia erant *Gladiatorum* genera ex diversa pugnandi ratione, et ex diversis, quibus pugnabant armis, quae ornamenta dicebantur. Alii Mirmillones: alii Retiarii, Andabatae, Essedarii, Dimachaeri, Laquearii, de quibus J. Lipsius. Seneca reprehendit Populi Rom. insaniam in harum pugnarum barbaris, et crudelibus spectaculis sese oblectantis, quae spectacula a Viris primariis aeque barbaris, ad populi benevolentiam captandam, ipsi dabantur non sine magnis expensis. Constantinus M. lege lata conatus est Gladiatorum Spectacula tollere. Verum effectu Romae caruit Constantini conatus, licet in aliis Imperii Urbibus sublata fuissent ea spectacula, ut Constantinus jusserat.. Vide alia in *Specimine*.

Gloria. Romani Ethnici inanis gloriae cupientissimi fuerunt. Ejus gratia opera insignia in pace, et bello gesserunt, nulli labori, nullis expensis parcentes. Cicero librum de *Gloria* edidit, qui inventus a Petrarcha dicitur, et postea disparuit. Sallustius in *Catilinae Conjuratione* ajebat: *Gloriam, honorem, imperium bonus, et ignavus aeque sibi exoptant. Sed ille vera via nititur: hic, quia bonae artes desunt, dolis, atque fallaciis contendit*. Ovid. *l.* 4. *Trist.* uxorem solatur dicens:

Materiemque tuis tristem virtutibus imple:
Ardua per praeceps Gloria vadit iter.

Pub. Syrus ajebat, valde difficilem esse *Gloriae* custodiam. Romani Christi Religionem amplexati solidiorem *Gloriam*, primis praesertim Ecclesiae saeculis, quaesivere, inanissimam mundanam reputantes. Vide *Christiani* in C.

Glyco, Medicus custoditus, quasi venenum Pansae Consulis vulneri indidisset suasu Augusti, cujus opera, rumor incre-

crebuit, ambos Consules Hirtium, et Pansam apud Mutinam periisse. Vide Suet. in *Augusto c.* 11.

G O

Gorgassus, Pictor, et Plastes Romae celebris. De eo Plinius in *H. N.*

G R

Gracchanus (Jun.) *librum* edidit de *Potestate*, qui desideratur, et citatur ab Ulpiano *l.* 1. *Digest.* In eo tradebat, Quaestores binos sub Romulo, et Numa Romae fuisse. Vide de *Gracchano* alia in *Specimine*.

Gracchus (C. Sempr.) Trib. pl. legem tulit de annua tantum Provinciarum Consularium administratione, quae lex postea fuit antiquata. De alio Sempronio Gracccho solertis ingenii, et facundiae, Juliae Augusti filiae Adultero, vide Tac. *l.* 1. *Ann.*

Gracchus (C.) Ejus *Orat.* qua dissuasit legem Aufesiam, memorat Gel. *lib.* 11. *c.* 10. Hunc Cic. Augurem vocat in *Epist. ad Q. Fr. lib.*2. licet praenominis non meminerit: loquitur namque illic de Sardinia, cui non Tiberius, sed Cajus Gracchus praefuit. Dubitari illud potest, an C. *Gracchus*, de quo Gell. fuerit pater infelicium Corneliae filiorum, de quibus in *Specimine*, verbo *Gracchus*.

Gracchus, Orator, Archiae Poetae a Cic. defensi Accusator, qui Archiae jus Rom. Civitatis auferre nitebatur.

Grammatica. Tullius in *Epist.* ad Att. non semel de rebus Grammaticis disserit. Vide *Epist.* 16. *l.* 7. et *Ep.* 3. ejusdem libri, ubi de *Piraeo* Athenarum portu. Alibi *inhibere remos* male emendatum ab Attico dicit in quodam Ciceronis Opere, et reponendum ait in editis exemplaribus, postquam vocum illarum sensum a nautis didicit. Gel. *l.* 13. *c.* 19. citato Val. Probo, statuit, majorem habendam rationem Euphoniae, quam Grammatices canonum. Quintil. etiam ait: aliud esse Grammatice, aliud ornate loqui, ac saepe in compositione rationem habendam non esse Grammaticae Canonum. Vide alia in nostris Paradoxis Philologicis de *Vita et Morte lat. linguae*, et in *Specimine*, verbis *Grammatica*: *Grammatici*.

Graeci. Cicero in suis scriptis, nunc bene, nunc male de *Graecis* loquitur. In *Ep.* 1. *ad Q. Fr.* qui Asiae praeerat, et parti Graeciae, ait, eos assentatores esse, et parum fideles in Romanos, eoquod aegre ferrent, quod Romani eis domi-

minarentur, et ut servos haberent. In eadem tamen *Epist.* fatetur, ab eis humanitatem, et disciplinas ingenuas Romanos accepisse. Verum studia sua, et doctrinam commendans, affirmare non dubitat, se in quibusdam palmam Graecis omnibus praeripuisse. In *Orat. pro Archia* Graecam linguam Latinae praefert, licet alibi latinam Graecae parem faciat, alibi praeferat. L. Posthumius, Romanorum Legatus ad Tarentinos, irrisus fuit, et vexatus, quia male Graece loquebatur in *Oratione* ad eos. De Graecis Philos. qui Romae degebant Plauti aevo, vide quid dicat Parasitus Curcullio in Plauti *Comoedia* sub hoc titulo *Actu* 2. *Scena* 3. *Tum isti Graeci palliati*, cet. Ubi multa in *Graecos* convicia. Vide de *Graecis* multa in *Specimine* verbo *Graeci*.

Granius (Serenus) Dux Rom. illustris, scripsit ad Adrianum Imper. nefas esse Christianos cujusvis sceleris obtentu, indicta caussa, occidi. Ita Eusebius in *Chron.* et ex eo Syncellus. Forsitan occultus Christianus iste *Granius* erat. Vide *Adrianus* in A.

Gratidianus (Martius) Praetor reprehensus a Cic. *lib.* 3. de *Off.* eo quod Populi Romani gratiam captaverit Edicto quodam illud sibi proprium faciens, cum commune esset inter Praetores alios, et Tribb. pl. Boni viri officio eum functum non fuisse ait Cicero, licet magnum honorem fuerit apud populum adeptus, adeo, ut nemo unquam multitudini carior fuerit. Illi enim omnibus vicis erectae fuerunt Statuae, et ad eas thus, et cerei incensi. Praeripuit ille gloriam Collegis suis, et Tribunis plebis, qui unanimes legem tulerant populo gratissimam.

Gratidius (M.) Ciceronis propinquus, doctus Graecis litteris, factus ad discendum, et probabilis Accusator, M. Antonio perquam familiaris fuit. Is Praefectus cum esset in Cilicia, interfectus est. Ita Cic. in *Bruto*: quo in *libro* adnotare solet, quinam ex Rom. Oratoribus Graecis litteris essent instructi, et animadverti, non adeo multos ab eo numerari.

Gratus, Judaeae Praeses, cui successit Pontius Pilatus an. 12. Tiberii Caesaris.

Gregorius, Presbyter, quem S. Athanasius inter ejus temporis Ecclesiae columnas recenset *Oratione* 1. contra Arianos, contra Gentiles sub Licinio, et contra Arianos sub Constantino plurimum decertavit. Ita in Rom. Martyrologio die 13. Jan.

Grunnius, Declamator, de quo nonnulla satis ridicula narrat S. Hieron. in *Epist. ad Rusticum* Monachum. In ea di-

dicit, eum Virum litteratum fuisse, praesertim posita mensa ad prandium, et coenam, ad quae sodales, et discipulos convocabat, ut coram illis garriret, seque ostenderet eruditum.

GU

Gutta, Judex: vide *Bulbus* in B.

GY

Gymnastica Ars magno fuit in pretio apud Graecos, et Romanos antiquos, et a Medicis multum commendabatur, quia per eam corpus exercetur, et praeludium est ad veras pugnas cum hostibus. Plato in sua Repub. de ea agit, quem imitatus est Aristot. in suis Politicorum libris. Vide de ea in *Specimine* verbo *Ludi* in L.

H

HAeretici. Vide de his in *Specimine*. Horum *libri* sunt saepe (ut etiam libri novorum Philosophorum, et impudicorum Poetarum) calices aurei, sed pleni veneno. Praefati *libri* legendi non sunt, nisi ab iis, qui licet mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Idcirco facultatem legendi *libros* pravae doctrinae ii qui Theologi non sunt, petere non debent ne pervertantur. Antiqui Christiani adeo Haereticos, maxime Arianos, aversabantur, ut pueri pila ludentes, pilam attrectare noluerint, quae casu ceciderat super equum, quo Arianus illac transiens vehebatur, a ludo cessantes. Haeretici, et Epicurei odio habent Dialecticos, et Scholasticos. Quam ob rem vide in *Dissert. de Discrimine inter Dialecticam, et Rhetoricam*.

Haterius. Vide *Gallus* in G.

HE

Hebraei. Vide *Judaei* in I, et in *Specimine* V. *Hebraei*.

Hegesias, Orator, qui volebat esse Atticus in dicendo, et Cherili similis, notatur a Cicerone in *Bruto*.

Hegesippus, Christianus Historicus, scripsit contra Idola. Ita Eusebius, et S. Hieron.

Heliodorus, Episcopus, avunculus Nepotiani, S. Hieron. amici, scripsit *libellum* ad instituendum in monastica disciplina sororis filium. Ita S. Hieron. in *Epist. ad Nepotianum*.

Mo-

Monachum. Diversus est hic *Heliodorus* ab altero ejusdem nominis, Tricae in Thessalia Praesule, qui vixit multo post Honorium, et scripsisse dicitur *Fabulam Milesiam Theagenis, et Caricleae*, teste Socrate, licet aliis videatur, falso tribui *Heliodoro* hanc *Fabulam*.

Heliogabalus (*a*), Imp. Rom. (cujus vitia nefanda collegit, et narrat ex variis antiquis Historicis Petrus Messia Hispanus in *Silvae variae lectionis Parte* 2. *c.* 26.) in animo habuit decernere, ut solus Deus Elagabalus Romae coleretur in templo, quod suo Deo fabricavit. Ita Lampridius. Idem colligi jussit ex Romanis aedibus, et ex locis aliis Aranearum telas, quae collectae, et appensae ad 10 millia pondo ascenderunt, quod fecit, ut inde intelligi posset, quam magna Roma esset. Alia de eo vide in *Specimine*, verbo *Mulieres*, et verbo *Luxus* in hoc Lexico.

Hellius (Sejus) Jurisconsultus, citatur a Gellio *l.* 4. *c.* 1. ubi disserit quid sit *Penus*?

Heraclitus, Tyrius, Antiochi Philosophi familiaris, discipulus Clitomachi, et Philonis, fuit Philosophus probatus, et nobilis. Ita Cic. in *Lucullo*.

Herennius (M.) Orator. De eo Cic. in *Bruto* ait, fuisse in numero mediocrum Oratorum, latine, et diligenter loquentium, ac L. Philippum virtutibus, et eloquentia sua in Consulatus petitione superasse.

Herennius alter, Orator, accusavit P. Sextium a Cic. defensum. De ejus *Orat.* ait Cic. esse asperam, et ex hoc non probandam, quod ea in genere vitia adolescentiae Sextii accusentur, et in specie ejus luxuria.

Herillus videtur de *Off.* scripsisse. Statuebat finem ultimum in Scientia. Eum refutat Cicero, licet minus errarit, quam Epicurei Philos. nostri saeculi. Fuit patria Chalcedonensis.

Hermes, Philos. Aegyptius, sub Adriano Imper. Proculi condiscipulus, et Syriani auditor, vir doctus, et justus: forsitan Christianus. Morti proximus jurejurando affirmabat, se immortalem, et incorruptibilem animum habere. Parum pla-

(*a*) Cellarius in sua *Orthographia* tradit, perperam a Lampridio hunc Imperatorem Heliogabalum appellari, quasi ab ἥλιος cognomen traxerit, quia Solis Sacerdos. Ejus namque cognomen est originis Syriacae, et in numismatibus Deus, cujus erat Sacerdos, et a quo cognomen hausit, *Elagabalus* legitur, non *Heliogabalus*. Decreverat Deum suum tantum a Romanis coli. Ejus praenomen erat Aurelius, ejus nomen Antoninus.

placuisset jusjurandum istud Pyrrhonico Bailio, et Epicureis nostrae aetatis. Ignoro an Bailius in pestifero suo *Dictionario* locum dederit huic *Hermeti*, quem non negavit impiis, et ineptis multis Philosophis antiquis, ut eorum insana placita cavillationibus suis probabilia si fieri posset, redderet: ea praesertim, quae favent Animorum mortalitati, et quibus nonnulli pessime de fine hominis, deque divina Providentia opinabantur. Nihilominus Bailius, ut incautos lectores seducat, et ad Scepticismum suum, vel Pyrrhonismum trahat, Christianum se profitetur, et talis videri optat, licet nunc probet, nunc refellat dogmata contra Christianam Religionem: vir nempe *duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. Ita S. Jacobus in sua *Epist. Catholica*, in qua item ait: *Qui haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur*. An non id cernimus in Bailio, et Philosophis nostri aevi, qui ex Bailii *Dictionario* dubia sua hauserunt, et ut propria venditare solent? circumferuntur nempe *omni vento doctrinae in nequitiam hominum*.

Hermias. Primis Eccl. saeculis multi hujus nominis fuerunt, doctrina celebres. Alter Ethnicus Philos. Platonicus, Syriani discipulus. Duo alii Christiani. Ex his alter contra Philosophos Ethnicos scripsit. Forsitan hic est Hermias, cum quo S. Cyrillus Alexandrinus colloquitur in *Dialogorum libris septem de Consubstantiali Trinitate*. Alius Auctor *libri Pastoris*, nisi si hic fuerit, qui contra Ethnicos scripsit. Libri *Pastoris* Auctor a nonnullis *Hermes* appellatur, non *Hermias*.

Hermippus citatur a Gel. *l*. 3. *c*. 13. ubi de *Demosthene*: citatur etiam a Plutarcho in vita *Demosthenis*.

Hermodorus. Cic. ad Att. *Ep*. 2. *l*. 13. queritur, eo quod, se inscio, divulgata fuerint nonnulla sua opera, quod *Hermodorum* non fecisse ait, divulgando Platonis libros. Vide alia de eo in *Specimine*.

Hermogenes, Tarsensis, anno 15 aetatis valde eloquens fuit, adeout M. Aurelius Imperator eum declamantem ex tempore audire voluerit, eumque auditum multis, et magnis donis munerarit. Ad virilem aetatem perveniens, sine ullo morbo, dicendi facultate privatus est. Obiit senex unus e multis in contemtum veniens, quia desertus ab arte sua. De eo per jocum Antiochus Sophista dicebat: *Hermogenes in pueritia senex, in senectute puer*. Ita Philostr. De multis aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Her-

Hermolaus, Presbyter, S. Pantaleonem Medicum ad Christum monitis, et consiliis suis traxit.

Herodes Atticus, cum articulorum morbo laboraret, dicere solebat, teste Philostrato: *vesci oportet, manus non habeo: eundum est, pedibus, quibus incedam careo: dolendum est, tunc manus, et pedes adsunt*. Filium habuit adeo stupidum, ut ne litterarum quidem nomina addiscere potuerit. Ea ut disceret, et tantillum, si fieri posset, erudiretur, 24 pueros apud se habebat, quibus litterarum nomina singulatim imposuerat, ut filius, cum eis ludens, et agens, tandem sodales suos nominibus impositis a patre appellans, nomina litterarum addisceret. Cassio Orientis Praefecto, rebellionem contra M. Aurel. meditanti brevem hanc scripsit Epist. *Herodes Cassio: Insanis*. Haec ex Philostr. in *Vitis Sophist*. De eo in *Specimine*.

Herodes, politicis suis artibus, Augustum, et M. Ant. sibi devinxit, hocque Judaeae regnum ab illis obtinuit. Rex factus, innocentium infantum, etiam proprii filii, caedem patravit. De eo Aug. dixit: Praestare in domo *Herodis* porcum esse, quam filium. Vermibus corrosus, et magnis doloribus tortus, crudelem animam exhalavit. Reliquit 3 filios superstites, Archelaum in crudelitate patris similem, Philippum, et Herodem Antipam, quorum omnium in Evangelio fit mentio.

Herodotus, *Historiae Pater* a Cic. appellatus *l.* 1. de *Legibus*. Forsitan id ironice dixit; nam ibidem ait, innumerabiles fabulas in eo esse. Eum imitati Historici Graeci mendaces a Juvenale appellantur. Filii nempe similes patri fuerunt.

Herophilus, Medicus, et Anatomicus, qui 500 humana cadavera dissecuit, *Lanio*, et *inhumanus* a Tertulliano appellatur in *lib. de Anima*, quamvis addat, id fecisse, ut hominem agnosceret: illud etiam inquiens: *Nescio, an omnia interna ejus liquido exploraverit, ipsa morte mutante, quae vixerant, et morte non simplici*. Anatomici microscopii ope multa in Corpore humano observarunt antiquis Medicis ignota: et perperam inhumani appellantur a rigido Tertulliano, cum consulant viventium saluti suis speculationibus. A Tertulliano valde diversus fuit mitissimus S. Franciscus Salesius, qui jussit, cadaver suum Medicis tradi, ut illud dissecarent, dicens, optare se mortuum prodesse, quoniam vivus (ut ipse de se humillime sentiebat) parum proximorum bono profuerat. De Romanis Anatomicis, vide M. Sen.

Controv. 5. *lib.* mihi 10. ubi de Gallionis colore pro Parrhasio Pictore. De *Herophilo* quodam Medico Equario, seu Veterinario, qui C. Marium septies Consulem sibi avum vindicabat, vide Val. Max. *l.* 9. *c.* 16. ubi non pauca de eo.

H I

Hierocles, scripsit de *Fato*, Alexandrum Aphrodisaeum impugnans. Non liquet, an is fuerit *Hierocles*, quem Eusebius refellit, quique conatus est *binis libris* contra Christianos ostendere, miracula majora fecisse Thianaeum Apollonium, quam Christum. Vide de eo in *Specimine*. Lactantius de *Mortibus Persecutorum* testatur, hunc *Hieroclem*, cum Bithyniae praesset, instigasse Diocletianum ad insectandos, et necandos Christianos. De eodem agit Lact. *l.* 5. *c.* 2. *Divin. Instit.* Vide de *Hierocle* in *Specimine* dicta.

Hieronymus, Philosophus citatus a Clem. Alex. in *Protreptico* tradit, Herculem magnum nasum habuisse. De quo *Hercule* loquatur, non exponit. Multi enim celebres Hercules nomine fuerunt, de quibus fabulosa narrantur. De Hieronymo vide in *Specimine*.

Hilarius, libertus, Ratiocinator, et Cliens Attici, nequam homo appellatur a Cic. *l.* 1. *Epist.* 9. *ad Att.*

Himerius, Rhetor (qui sub Juliano Imperatore Athenis docebat) contra Epicurum scripsit. Ejus *Operis* fragmentum affert Photius in *Bibliot. sua*.

Hippocrates, Cous, Medicorum facile princeps a Romanis antiquis in latinum versus proculdubio fuit: quae Versio desideratur. Confundendus non est cum 6 aliis ejusdem familiae Medicis Clariss. a Capnione recensitis in *Praef.* ad Hippocratem de *Praeparat. hominis ad Ptolom. regem*. A rege Persarum per Legatos rogatus, ut ad eum iret, respondit, nolle se tam longo, et periculoso itineri committere, ut servitutem emeret. Cum Legati eum urgerent dicentes, habiturum magnum, et bonum Dominum, reposuit: *Domino, ne bono quidem, mihi est opus*. Praevidit futuram pestilentiam teste Plinio, qui non silet honores in Graecia eidem habitos. Vixit annos 104. Miror, eum in *Aphorismis* vix quidquam de Pulsu tradidisse, tanquam de indice variarum febrium, plusque urinae videtur rationem habendam docuisse.

Hiralus (forsitan *Hilarus*) librarius, de quo Cic. ad Att. *l.* 13. *Ep.* 19. et alibi.

Hirtius, quem amicissimum appellat Cic. in *lib.* de *Fato*, et

et deditum iis Studiis, quibus a pueritia ipse vixit, videtur contra Catonem scripsisse: quod colligitur ex variis Cicer. *Epist. lib.* 12. *ad Att.* De eo in *Specimine*.

Historia: quam utilis ejus lectio? Vide Menoch. *Cent.* 1. *c.* 65. Vide etiam Diod. Siculum, et Agathiam in *Prooemio* suarum *Histt.* Multa etiam de ea Max. Tyrius. Josephus Hebraeus, Histor. dicebat, *Historicum*, ut vera scribat, oportere sine rege, sine secta, et sine patria esse, ac nulli passioni obnoxium. *Historia* Vates, seu Divinos facit. Vide *Annales*: *Divini*: *Veritas* in suis litt. Chronologia est fax *Historiae*, quae saepe falsa per Chronologiam ostenditur. Chronologia Roman. post ejectos reges per Consules valde incerta est, quia saepe eodem anno plures, quam duo Consules fuerunt, et sub Commodo Imperat. Cleandri liberti potentis opera, 50 Coss. eodem anno creati traduntur. De hoc Cleandro Herodianus. Nonnulli ob mortem priorum Coss. suffecti paucis mensibus Consulatum gesserunt. Nonnulli, ut Caninius Rebulus, uno die fuerunt Consules. Vide *Caninius* in C. Nero Coss. designabat ad 6 menses. Alii Impp. ad duos menses, ut aliquem Consulatu honorarent. Vide Suet. in *Nerone c.*15. Securior erat Roman. Chronologia per Lustra, ut Graecorum per Olympiadas. De *Historiae* laudib. vide Justini *Hist. Prologum*. Vide *Historici* in *Specimine*.

Histriones (de quibus in *Specimine*) dicti tales putantur ab Histero quodam Etrusco, qui primus Romae exercuit Histrionicam. Vide *Mimi*: *Panurgus* in suis litt. Augustus *Histrionum* licentiam compescuit, Stephanionem Togatarium, Hylam, et Pyladem severe puniens. De Polo Athen. *Histrione* vide Gel. *lib.* 7. *c.* 5. C. J. Caesar post triumphos suos, ludos regionatim Urbe tota populo dedit: inter alia, dedit spectacula per omnium linguarum *Histriones*.

Corollarium.

HO

Homo. Selecta, et gloriosa de *Homine* vide multa apud Coel. Rhodig. ex Ethnicis Philos. qui melius, et dignius de *Homine* senserunt, quam nostri seculi Antichristiani Philos. quos non pudet, se in machinarum, et pecudum classem demittere servata humana figura. Sint illi, ut lubet, pecudes, modo nos sinant esse ad Dei imaginem, et similitudinem factos, et Angelis paullo minores.

Corollarium.

Honestum. Philosophi Antichristiani nostri saeculi non pauci Honesto Utile praeferendum docent: quod fons est fraudum, maleficiorum, et scelerum omnium, a quibus non abstinebunt, si commodum aliquod videant, et legum metus absit. Contra ita opinantes multa Cic. in *libris* de *Off.* et alibi: ubi statuit, contra rationem esse, utile contra honestatem quaerere, et utilitatem ab honestate divellere.

Corollarium.

Horologium, sive *Solarium*, Thaletis inventum inter Graecos putatur, sed forsitan Thales ex Aegyptiis, vel Hebraeis ad Graecos transtulit. Constat enim, inter Hebraeos *Horologia Solaria* antiquissima fuisse, quod ex Sacris Litteris novimus. Inter Romanos parum ante Plautum *Solaria* in usu fuerunt, cum antiqui Romani ante Plauti aevum more Rusticorum diem partirentur in Antemeridiem, Meridiem, Postmeridiem, et Solem occasum, ut ex XII. Tabul. legibus colligitur. Quod autem parum ante Plautum Romae *Horologia* in usu publico fuerint, indicatur in *Fabula Boeotia*, vere Plautina, quamvis nonnulli eam Aquilio tribuant. Sic enim esuriens Parasitus loquitur:

Ut illum dii perdant, primus qui horas reperit.
Quique adeo primus statuit hoc Solarium,
Qui mihi misero comminuit articulatim diem.
Nam me puero, uterus hic erat mihi Solarium,
Multo omnium istorum optimum, et verissimum.
Ubi iste monebat esse, nisi cum nihil erat,
Nunc etiam, quod est, non estur, nisi Soli lubet.
Itaque adeo tam oppletum est oppidum Solariis,
Major pars populi aridi, ut reptent fame.

Primus, qui Romae *Solarium* publice statuit, dicitur fuisse L. Papyrius Cursor, qui illud posuit ad aedem Quirini 12 annis ante bellum cum Pyrrho. Post 30 annos, Urbis conditae an. 477. M. Val. Messalla, bello Punico primo, Catane capta, *Horologium* ex Sicilia Romam adsportavit, quod locavit in Columna secundum Rostra. Vide Plin. *l.7. c.ult.* De Boetii *Horologiis* ad Burgundionum regem a Theodorico, Gothorum in Italia rege, missis, vide Cassiod. *lib.* I. *Variarum Epist.* 45. et 46.

Horrea publica prope montem Testaceum erant 140 Romae, *Galbiana* dicta, quorum cura ad Praefectum annonae spe-

spectabat. Illic erant Columnae, et Statuae erectae Annonae Praefectis de Repub. benemeritis.

Hortensius (de quo in *Specimine*) an. 18 aetatis erat Orator in foro, et probatus fuit judicio L. Crassi, et Q. Scaevolae Coss. aliorumque intelligentium. Ita Cic. in *Bruto*.

COROLLARIUM.

HU

Humanitas. Insigne humanitatis exemplum Dionis in hostes suos Heraclidem, et Theodotem, vide apud Plut. in *Dionis vita*. *Humanitas*, quae indivisam habet sociam Rationem naturalem, valde commendatur, verbo tenus, ab Antichristianis Philosophis nostri seculi. Verum qui eorum *Opera* legerit, nullo negotio intelliget, eos non *humanitatem*, sed *brutalitatem*, si ita loqui licet, promovere: cum nihil magis satagant, quam homines similes brutis animantibus reddere in sectandis sensilibus corporis voluptatibus, nulla habita ratione pudoris, et virtutum (quarum nomina inania putant) quae probum hominem faciunt. Hanc ob rem clamat contra eos *Humanitas*: clamat naturalis ratio, quas ficte laudant: nec clamare desinent, donec ipsi ad se redeant, et homines se, non machinas, et pecudes esse fateantur, et ad aeternam natos felicitatem.

HY

Hyginus, citatur a Gel. ejus *liber de Viris Illustribus l.* 1. *NN. c.* 14. Ab eodem Gel. *lib.* 16. *c.* 6. citatur tanquam Juris Pont. non ignarus. Vide alia in *Specimine*.

I

IAcchus, citatur a Plin. *l.* 37. *H. N.*

Jacobus, Nisibenus, in Mesopotamia Episcopus, innumerorum patrator miraculorum, et insignis Scriptor, laudatus a Gennadio de *Viris Illust.* et praetermissus a S. Hieronymo, quia ejus Scripta ignoravit, vel quia ejus Opera nondum erant Graece, vel Latine reddita. Edidit de variis argumentis *libros* 26. Ejus discipulus fuit S. Ephrem Syrus, Edessae Diaconus, cujus Opera ex Syro in Latinum sermonem versa leguntur. Desiderantur autem Jacobi Opera.

Jamblichus, Philosophus, de quo in *Specimine*: fuit patria Chalcidensis.

I C

Iccius, ad quem est Horatii *Epist.* 12. *lib.* 1. erat Agrippae in Sicilia Procurator avarus. De eo ait Horatius, avaritiam cum Philosophia conjunxisse. Tanquam Phil. quaerebat,

Quae mare compescant caussae, quid temperet annum?
Stellae, sponte sua jussaene vagentur, et errent?
Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem?

Ictus (C.) laudatur a Plinio *lib.* 36. *H. N.*

I D

Idioma latinum vulgi Romani valde corruptum fuit, etiam Ciceronis aetate, ob affluxum peregrinorum ex barbaris nationibus, qui Romae versabantur. De hoc egi in *Paradoxis Philol. de Vita et Morte Lat. Linguae*. De innumeris cultarum, et barbararum nationum *Idiomatibus*, vide insigne *Opus* Cl. Laurentii Hervaz Hispani, inscriptum: *Idea universi, et Hominis Historia*, *tomis* 17. Italo sermone editum. In eo late disserit Auctor de universi Orbis *Idiomatibus*, non praetermissis Americanis, minus notis, quorum notitia Jesuitis debetur, qui Evangelium barbaris illis nationibus enuntiarunt, et complures ad civilem vitam traduxerunt immensis exantlatis laboribus. Multa etiam illarum Nationum *Idiomata* difficillima *Grammaticis Praeceptis*, et *Dictionariis* iidem illustrarunt. Vide *Interpretes* in *Specimine* lit. I.

Corollarium.

Idololatrae Romani usque ad an. U. C. 170 nullum Deorum simulacrum habuerunt, existimantes, impium esse, Deum corporeum, ut homines, arbitrari: nec hostias, et victimas immolabant, sed farinam, ac liba resque alias viles ex Romuli, et Numae praescripto Diis offerebant. Postea mille portenta simulacrorum in Templis coluerunt, adeo ut merito Lactantius scripserit *l.* 1. *de Falsa Religione*, eos vaniores fuisse, quam Aegyptios, qui monstrosa, et ridicula quaedam simulacra venerabantur, et colebant. Vide *Aegyptii* in A. Antiqui Ethnici, teste Porphyrio, Diis caelestibus aras, et templa excitabant: terrestribus focos: subterraneis autem fossas deprimebant. Tradit. insuper, templorum ingressum, et statuas Solem versus orientem spectasse; ut adeuntes, ad Occasum con-

conversi, preces funderent, ac Sacra obirent. In montibus Jovi, ut Numini eminentissimo, fabricabant templa. Superstitionis hujus vestigium in Monte Barcinoni, et mari proximo (in quo nunc arx munitissima est constructa) superest. Mons quippe ille *Mons Jovis* Latine; Catalano autem sermone *Monjuic* appellatur. De hoc Monte singularia quaedam narrabam in *Historia Naturali*, et *Oeconomica Cataloniae*, praelo parata, et Matriti relicta. *Idololatriam* post Constantinum M. Christ.. Imperat. in Romano Imperio vacillantem, ac pene extinctam, excitare denuo, et firmare conatus est Apostata Julianus. Vide *Julianus* in *Specimine*. De *Idololatriae* origine, initiis, et progressu, vide Lactant. *l.* 1. *De falsa Relig.* in *libris de Divinis Institut.* Vide etiam *Athei* in A.

J E

Jeraclas, sive *Hieraclas*, scripsit ante S. Basilium in *Hexaemeron*; verum ejus *Scripta*, et Latina *Versio* desid. De eo meminit Anastasius Sinaita. Hunc alium arbitror ab *Heracla* Episcopo Alexand. laudato ab Origene, qui de eo tradit, Studiis Philosophicis impense navasse operam, et deposita communi veste, qua utebatur, philosophica indumenta assumpsisse, quibus adhuc uti suo tempore Origenes ait. Ita Eusebius *Hist. Eccl. l. 6. c.* 15.

COROLLARIUM.

I M

Imagines. Celebriorum Pictorum *Imagines* ingenti pretio a Romanis ditioribus emebantur: vide *Luxus* in L. Vide etiam Plin. *l.* 35. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, qui ex quacunque conditione licet surgere.* Ita Seneca. Quam sint bonis moribus noxiae impudicae *Imagines*, et picturae factorum impudicorum, ostendit Terentianus ille adolescens, qui visa tabula picta Jovis, in aureum imbrem conversi, et ad Danaem descendentis, simile facinus patrare apud se cogitabat. Vide Terentium in *Eunucho*, *Scena* 5. *Actu* 3. In nonnullis antiquis Conciliis fidelium communione privantur impudicarum *Imaginum* Pictores. Vide *Theodosius* in T, ubi de Rhutenorum religione in depingendis Imaginibus.

Corollarium.

Imperatores Rom. usque ad Domitianum noluerunt *Domini* appellari. Galilaei, qui se in Aegyptum contulere, rebellionem in Romanos excitarunt. Victi a Romanis nec precibus, nec minis, nec tormentis adduci potuerunt, ut Rom. Imperatorem *Dominum* appellarent. Ita Josephus *l.7. de Bello Judaico c.* 29. Vide in *Specimine* V. *Imperatores*.

Corollarium.

Imperium Rom. De ejus incremento, et amplitudine dici potest illud Velleii Paterc. *l.* 1. *Quod summo studio petitum est, ascendit ad summum*. De ejus ruina illud ejusdem Paterculi: *Naturaliter quod procedere non potest, recedit*. Imperium Rom. a Gothis, et Vandalis discerptum, et subactum fuit, si Salviano de *Providentia* credimus, quia Romani vitiosiores, et nequiores barbaris erant (vide in *Specimine* V. *Imperium*). Unde habemus Imperium Romanum non tam a barbaris, quam a vitiis deletum fuisse.

I N

Increduli. Vide *Deistae*, *Epicurei*, *Philosophi*, *Sceptici*, *Dubitantes* in suis litt. Multi ex his, qui res certissimas Christianae Religionis vel non credunt, vel de illis dubitant, fidem adhibent fabellis, et variis rumoribus, qui a maledicis, et satyricis Scriptoribus sparguntur contra sacros Ministros, et maxime contra haereticae pravitatis Quaesitores Hispanos, in quos debacchandi nullum finem faciunt *Increduli* Phil. nostri saeculi, optantes, e medio tolli Tribunal istud, a Catholicis regibus stabilitum, ut sit propugnaculum pacis, et tranquillitatis in regnis suis, ac munimen Catholicae Religionis. Id si assequerentur Ingenia ista fortia, quae ad nomen Inquisitionis Hispanae contremiscunt; spargere venenata sua dogmata possent per Hispanias, et Americam. Sed Deus hanc pestem ab Hispaniis, ut spero, avertet, stante hoc mitissimo Tribunali, quod crudelissimum appellant Increduli, ut illi invidiam, et odium conflent. Testis sum ejus benignitatis, audita per trium horarum spatium in Actu Semipublico intra aedes Inquisitionis Barcinonensis *Actione* cum probationibus minime dubiis contra adstantem reum impium quemdam *Incredulum* Philosophum, aeque blasphemum, atque impudicum, quem mitissima poena post deje-

ra-

ratos errores suos affectum omnes, qui aderant, mirati sunt, cum multo majore dignus videretur. Ad hoc judicium convocati fuerunt multi ex insignioribus, et gravioribus utriusque Ordinis Sacerdotibus, quos inter, auditorum numerum me augere Judices benignissimi voluerunt. Desinant igitur *Increduli* nostri seculi in hoc Tribunal insanire, et canino dente illud rodere. Sed surdis cano. Isti, qui se *Ingenia forma* appellant, cum subest periculum vel vitae, vel famae, vel fortunae, ignaviam, et imbecillitatem suam palam faciunt: tunc scilicet nihil illis meticulosius, nihil vilius, *Incredulitatis* vera origo in Religionis dogmatibus, est morum corruptio, et ad voluptuosam vitam propensio. Vide *Veritas*: *Voluptas in V.*

Corollarium.

Industria. Hac, seu cura, et diligenti conatu vincitur natura, ut in Demosthene, qui natura ad Oratoriam minime factus, *Industria* sua Oratorum Princeps evasit. Vide Plut. in *ejus vita*. Val. Max. *l.* 8. *c.* 7. ajebat: *Alterum Demosthenem mater: alterum Industria enixa est*. Simile evenit in Socrate, natura ad vitia propenso, quae cura sua devitavit, Vide *Labor* in *L.* Romae, et in Provinciis Romani vel mechanicis, vel ingenuis artibus, et disciplinis, praesertim Oratoriae, et Jurisprudentiae, quibus via ad Magistratus muniebatur, incumbebant. Illi nempe, qui eloquentes erant, vel Causas agebant, vel Magistratus obibant, cum Politicos, tum Militares, non nobiles solum, et patricii, sed multi etiam ex plebe, postquam Plebs Magistratuum communionem, ut etiam conjugiorum cum nobilibus impetravit. Multi ex ditioribus filios mittebant Athenas, Massiliam, et ad alias urbes, in quibus litterarum studia florebant, ut in illis eruditi ad patriam redirent. Tenuiores vero ad patriae scholas filios mittebant, donec vel militiae, vel agriculturae, quae in honore erant, vel manuariis artibus per aetatem essent idonei. Nonnulli ex eloquentioribus Romae privatas Academias domi habebant, in quibus declamabant etiam viri maturae aetatis, Alii Philosophos domi alebant, a quibus docerentur. Alii Lectores seu Anagnostas, qui eis in mensa, et nocte somno excitatis libros legerent.

Ingentius Notarius, Accusator Caeciliani in gratiam Donatistarum in Concilio Arelatensi, confessus est, se subornatum Caecilianum accusasse, hocque denuo Donatus damnatus fuit.

COROLLARIUM.

Inventa nova: vide Bartolum in *Symb. l.* 1. §. 15. Cic. in *Oratore* ait: *Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus, glande vescantur? Idem in Bruto* ait: *Nihil est simul inventum, et perfectum*: quod ostendit in Pictura, et Sculptura inter Graecos, idemque accidisse probat in *Oratoria*. De *Inventis*, et *Inventoribus*, deque honore eis debito: Vide Senecam *Epist.* 65. Plinium *lib.* 7. *c.* 56. per totum.

J O

Joannes, Aegyptius, luminibus orbatus, et Martyr in Maximiani persecutione, tam insigni memoria praeditus, et tanta in sacris litteris eruditione, ut universam sacram Scripturam, non sine stupore omnium velut ex Codice recitaret. Ita Eusebius, qui eum cum stupore recitantem audivit.

Jovianus Romanus Imperator, electus post Julianum Apostatam, Epistolam scripsit ad S. Athanasium eum interrogans de vera fide, quam inter tot controversias sequi deberet, verum se Catholicum professus, et optans, ut omnes veram Fidem amplecterentur, noluitque audire Arianorum accusationes contra S. Athanasium. Vix annum integrum imperavit, quo tempore Catholicae Religioni multum favit. Obiit an. Christi 364. vel initio 365. Filium reliquit magnae spei juvenem Varronianum, qui Consul cum patre fuit.

I R

S. *Irenaeus*, de quo in *Specimine*, scripsit breve *volumen contra Gentes*, et *librum de Monarchia*: quae Opera memorata a S. Hieronymo non comparent. Videtur contra Haereses scripsisse, ex quo varia fragmenta affert Eusebius *Hist. Eccl. l.* 5. in quibus de successione Romanorum Pontificum usque ad Soterem, qui sedebat suo tempore. Affert item Eusebius Judicium S. Irenaei de *Sacris libris Novi Testamenti*. Vide *Blastus* in *B. Florinus* in *F.*

I S

Isaeus, Orator. De eo Plin. junior *l.* 2. *Ep.* 3. *Magna Isaeum fama praecesserat: major inventus est. Summa ei facultas, copia, ubertas. Dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit. Prooemiatur apte: narrat aperte: pugnat acriter: colligit fortiter: ornat excelse. Postremo docet, delectat, afficit. Nam diebus, et noctibus nihil aliud agit, nihil*

hil audit, *nihil loquitur*. Vide de eodem alia in *Specimine*.

Isigonus, Nicaeensis Hist. citatus a Plin. in *Hist. N.* et a Gel. *l.* 9. *c.* 4. in *NN. Att.* Citatur etiam ab Aeliano in *Hist. Animalium*. Videtur *Nat. Hist.* scripsisse. *Isaei librum* emit Gellius in portu Brundusii, e Graecia redux, eumque non parvae auctoritatis scriptorem vocat, ut item Aristaeam aliosque, quorum *Opera* illic vili pretio emit.

J U

Judas, Ecclesiasticus scriptor, edidit *Commentarios de* 70. *Hebdomadibus Danielis*, temporum ordinem usque ad 10. Imperii Severi annum tradens, Antichristi proximum adventum ob persecutionem crudelem in Christianos motam arbitratus. Ita Eusebius.

Judaei. Judaicos, et Aegyptios ritus, ut externos alios Romam invectos Tiberius compescuit, coactis, qui ea superstitione tenebantur, religiosas vestes cum omni instrumento sacro comburere. Cur Deus eis praeceperit a carne suilla abstinere? vide Menochium *Cent.* 2, *c.* 93. Juvenalis ob hunc ritum eos ridet *Sat.* 6. canens de illis:

Nil distare putant humana carne suillam.

Mahumedani hunc ritum Judaicum observant. Lact. *lib.* 4. *Instit. Div. c.* 17. hujus ritus *Judaici* rationem tradit singulari eloquentia. De eodem *Judaico* ritu, loquuntur Tacitus, Plut. et Macrobius. Vide Hebraei in A, et in *Specimine*.

Judices Romani parum aequi Ciceronis aevo erant. Ita Cic. *ad Att. l.* 4. *Ep.* 16. et *ad Q. Fr. Ep.* 4. *libri* 3. ubi de Gabinio absoluto in gratiam Pompeii, qui ei favebat. Cicero accusare Gabinium noluit, ut optabant Sallustius, et alii, ne Pomp. offenderet, et quia noluit parum integris Judicibus se committere. Vide *Glabrio* in G. In judicando criminosa est celeritas. Ita P. Syrus, cujus est etiam illud: difficilem oportet aurem habere ad crimina. Vide Boccalinum in *Epist.* 40. ubi eruditissime de *Judicibus*, et Justitia ab eis servanda agit: vide alia in *Specimine*.

Judicia Praetoria. Vide *Praetores* in *P.* Plutarchus in *Praeceptis* Polit. tradit de duobus Judicibus, sese mutuo ad auream messem invitare solitos. Sic enim per jocum Tribunal Praetorium, et Curiam appellabant. Sculptores seu Statuarii Thebis sine manibus fabricabant Judicum statuas.

Julia, C. J. Caes. filia, nupta Pompejo. Post ejus mortem Caesar, et Pomp. discordes esse coeperunt. In Caesaris, et Pomp. gratiam, et quia foemina singularibus dotibus

prae-

praedita, magni honores ei defunctae a populo sunt habiti.

Julianus Apostata. Eo die quo obiit Julianus ex vulnere in bello contra Persas ei divinitus inflicto, Judex quidam Antiochenus, cum pro munere suo ad Palatium accederet, vidit stellas ita dispositas, ut haec verba efficerent: *Hodie Julianus in Perside occiditur*. Ita Zonaras. Vide alia de eo in *Specimine*.

Julianus, Medicus, Hippocratis Commentator 2. Eccl. Sec.

Julianus, Chaldaeus, Magus insignis, teste Suida, qui mira ejus Opera narrat. De eo Anastasius tradit, coram Domitiano Imp. superasse Apollonium in Arte Magica, et in subito sedanda urbis peste. De eo etiam meminit Arnobius *l. 1. contra Gentes*.

Julianus, Orator, de *Cosmographia* scripsit, teste Cassiodoro: quo tempore floruerit, non dicit. De aliis hujusce nominis vide in *Specimine*.

Julius Rom. Pontifex electus post Marcum, proximum S. Sylvestri successorem, qui paucos menses vixit, Arianis restitit: S. Athanasium exsulem calumniis Arianorum suae Sedi restituit, ut etiam Marcellum Ancyranum. Multas scripsit Epistolas ad varias Orientis Ecclesias, quarum nonnullae supersunt. Sub Julio celebratum fuit Sardicense Concilium, quo Nicaena fides roborata fuit, et Athanasius Sedi suae redditus. Sedit Julius annos 15: obiit anno 352.

Junius (M.), Orator, et Patronus P. Quintii, ad quem defendendum paratus erat. Propter ejus absentiam Cicero imparatus Quintium defendit an. aetatis 26. contra Hortensium, Patronum Naevii Actoris. De aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Jus. De Jure Naturali, Gentium, et Civili vide Ictos. C. J. Caesar teste Cicerone in ore semper habebat Graeci Poetae versus: *Si violandum est jus* cet. Vide *Caesar* in *Specimine*. Philosophi nonnulli, nostri seculi (per antiphrasim) *Illuminatores* vel *Jus* nullum legitimum agnoscunt, nisi fortioris vel violari posse putant, cum commodum aliquod in violatorem sine periculo provenire potest. Stultus fuerit, qui eis vel juratis, credat, cum aequum, et iniquum ex aequo habeant, et Jurisjurandi religionem puerile praejudicium, fanatismum, et superstitionem arbitrentur. Ex quibus palam est, quam noxii sint civili societati Philosophi isti, osores divinae revelationis. Romanus Populus dum victis populis *Jus* Romanae civitatis offert, et tribuit, Orbem Romam facit: ita Rutilius in *Itinerario*.

Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, qui prius orbis erat.

Sum-

Summum Jus summa injuria Proverbium antiquum, quod consonat illi Ecclesiastis: *Noli esse justus multum*. Vide de hoc Menochium *Cent.* 2. *c.* 30, et *Cent.* 3. *c.* 7, ubi de legibus, et Praeceptis Epicheja temperandis. *Jusjurandum* Militum Roman. Ethnicorum: Vide *Cincius* in C. *Jusjurandum* Militum Rom. sub Christ. Imperat. affert Vegetius, qui sub Valentiniano de *Re Militari* scripsit jussu Imperatoris. *Jura* inventa metu injusti, ait Horatius *Sat.* 3. *libri* 1. In legibus salus civitatis sita, ait Aristot. *Rhet.* 11.

Jurisprudentia. Eam Cic. in *Orat.* pro *Muraena* infra Oratoriam, et Artem Militarem ponit, dicens, Consulatum non *Jurisprudentia*, sed Oratoria, et Militari Arte promereri, et obtineri. Proinde merito praelatum in Consulatus petitione Muraenam, Oratoria, et militari arte insignem, Servio Sulpicio *Icto*. Alibi Cic. Jurisprudentiam multum commendat. Vide in *Specimine* dicta de ea cum laude.

Corollarium.

Juvenilia, Festum solemnissimum a Nerone institutum, cum primum sibi barbam rasit. Barbae suae pilos theca aurea inclusos Nero Diis obtulit. Vide Suet. in *Nerone c.* 12. C. Caligula Saturnalibus diem unum addidit, quem *Juvenilem* appellavit in Juventutis gratiam.

L

LAbeo, Juris praediatorii peritus, datus fuit Arbiter Nolanis, et Neapolitanis, de finibus agrorum litigantibus. Non liquet, fueritne hic *Antistius Labeo* celebris *Jurisconsultus*, an *Q. Labeo*, qui *librum* edidit *in leges XII. Tabul.* De hoc Gellius agit *lib.* 20. *c.* 1, ubi narrat L. Neratii factum perridiculum, quod caussam dedit abrogandi alteram ex legibus XII. Tabul. quae statuebat, a percussore 5, et 20. asses solvendos ei; qui depalmatus esset. *Neratius*, inquit Gellius ex Q. Labeone, *fuit egregie homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat os hominis liberi, manus suae palma verberare. Servus eum sequebatur, crumenam plenam assibus portans, et quemcumque depalmaverat, numerari statim praefatos asses jubebat*. De aliis hujus nominis. Vide in *Specimine*.

Co-

Corollarium.

Labor. De *Laboris* laudibus, et otii vituperio: vide Messiam Hisp. in *Sylva variae lect. Parte* 1. *c.* 29. ubi erudite de his agit. Virgil. ajebat omnia *labore* vinci. De Herculis laboribus, vide Mythologos. *Ovidius* canebat:

Otia si tollas, periere cupidinis arces.

Quam superstitiosi Hebraei in abstinendo a *Labore* in Sabbatho, vide Menoch. *Cent.* 2. *c.* 24, ubi ridicula multa de hoc narrantur. Vide *Desidia* in *D. Industria* in *I. Otium* in *O. Vacia* in *V.*

Lactantius promisit opus contra Judaeos *lib.* 7. *c.* 1. *Instit. Divin.* An illud ediderit? ignoro. Si editum fuit, vel intercidit, vel latet. Vide V. *Lactantius* in *Specimine*. A *Lactantio Firmiano* diversum arbitror *Lactantium* Grammaticum, qui Statium illustravit, et citatur a Coelio Rhodig. *Lect. Antiq. lib.* 18. *c.* 1.

Laelius (C.), sapiens in omni sermone appellabatur a Scaevola Augure. Ita Cic. de *Amicitia*. Vide de eo in *Specimine*.

Laelius (C. et P.) docti homines Luculli familiares, et Philonis Phil. Auditores, Magistri sui binos libros Romae descripserunt. Ita Cic. in *Lucullo*.

Laelius (Decimus) Orator, cujus *Orationes* memorat Quintil. lib. 10. *c.* 1. sed quae desid. De aliis hujus nominis in *Specimine*.

Lamia (L.) Senator, et *Orator:* vide *Gabinius* in G. De Aelio *Lamia*, Poeta Comico in *Specimine*.

Lampadio. De eo Gel. *l.* 18. *c.* 5, ubi citat *librum Annalium Ennii* a *Lampadione* emendatum, summae, atque reverendae antiquitatis, a se magno studio, et pretio conductum, ut inspiceret, utrum *eques*, non *equus* in illo scriptum esset? quaemadmodum Julianus affirmabat, in antiquis Manuscriptis legi. Vide *Anagnostae* in *A.* Ignoro, an hic fuerit C. Octavius *Lampadio*, de quo in *Specimine*.

Lamprias, Plutarchi filius, vir doctus, edidit librum, *Pinaca* inscriptum, seu *Index* eorum, quae Pater scripserat, et ediderat de Graeca, et Romana Historia. Vide Coel. Rhodig. *lib.* 11. *c.* 27. *Lectionum Antiquarum*.

Lanista erat Magister, qui Tirones docebat artem cominus cum hoste, vel hasta, vel gladio, seu ense pugnandi. Hanc artem, ut *Lanista*, non dedignabatur docere Milites suos C. J. Caesar. Ita Hirtius. Gladiatoriae artis Magistri

stri *Lanistae* etiam dicebantur. In *Orationibus*, nisi si fallor, Dominici Baudii, Batavi, in quibus multa maledicta contra Comitem Albanum, insignem Hispanum Ducem, evomuntur, pro magno convicio Albanus Comes *Lanista* appellatur. Quam temperans esset Baudius, indicat scriptum appensum, vel affixum ejus Scholae foribus in publica Batavorum Academia: *Baudius non legit hodie propter hesternam crapulam*. Quid mirum igitur, quod sibi temperare nescierit loquens de Duce Hispano, qui Batavos, Hispaniarum regi Philippo II. obedire detrectantes, tot praeliis fatigaverat, et eorum legitimo Principi subjicere pro virili procuraverat, licet nimia usus severitate, et fastu in devictos hostes nonnullis videatur.

Latinus sermo. De eo multa sunt a Criticis sine crisi dicta, ut ostendit Q. Moder. Censorinus in *Parad. Philol. de Vita, et Morte latinae linguae*. In isto Opere, *Latinum* sermonem in Grammaticae Scholis Romanos didicisse, ut recte, et sine barbarismis, et Solaecis eo loquerentur, palam facit, multisque argumentis probat, vulgi sermonem latinum Romae valde corruptum, etiam in Augusti, et Ciceronis seculo fuisse. Probat insuper, Christum, Apostolos etjam post acceptum linguarum donum cum Romanis latine loquutos. Vide in *Specimine* verbo *Aetas*: *Lingua*: *Latinus sermo* in suis litteris. Muretus in altera ex *Epistolis* ad Cardanetum sugillat eos, qui contemnunt latinitatem Apuleii, Sidonii, et inferiorum temporum latinos scriptores, contendens ex illis petenda nonnulla ad usum latini sermonis. Addit horum pistores, et coquos melius latine locutos, quam ii, qui ad eos nauseant, quique Cicerones se putant.

Lavinius. De eo tanquam de scriptore loquitur S. Hieron. in *Epist. ad Eustochium*. De quibus scripserit? non dicit.

Laureolus, Mimus. De eo Suet. in Caligula *c*. 57.

Corollarium.

Laus non quaerenda a factis alienis, sed a propriis. Ovid. *Metam*. 13. *de* Ulysse in Certamine cum Ajace haec canit:

Et genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Qui indigno laudes tribuit, Virgines Gratias, ut scorta prostituit: Ita Democritus, citatus ab Stobaeo. Dio Chrys. ajebat, Adulatorem falsis laudibus, quod justissimum, et aequissimum est in vita, corrumpere, adeout jam amplius non videatur credibilis vera laus; aut quod pessimum est,

vir-

virtutis praemia vitio tribui ab Adulatore. De Trajano praedicat Plin. in *Paneg.*, quod non parcus, sed nimius ei videbitur futurus in ejus laudibus. Plistarcus Spartanus, audiens, se a quodam laudatum, dixit: Fortasse illi dictum, me mortuum esse: nam ille viventem nullum laudat: Ita Plut. in *Apophthegmatibus Laconicis*. Assurgit Spiritus si laudatur, et in spem bonam adducitur: Ita Sen. de *Ira cap.* 21. Laudes Helenae meretricis persequitur Gorgias Leontinus: Busiridis Tyranni Isocrates: Glaucus apud Platonem de *Repub.* Injustitiam laudat: Sinesius Calvitium: Picus Mirandul. Barbariem: Favorinus Febrem quartanam, et Thersitem: Decanus Martinus ventris crepitum: alii Umbram, Asinum *cetera*. Laudes immodicae saepe pro convicio habentur. Vide *Adulatores in A.* *In funebribus* Romanorum *Orationibus* saepe falsae laudes defuncti narrantur: vide *Oratores* in *Specimine*.

COROLLARIUM.

LE

Leges. Seneca Ep. 95. *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet: Nihil videtur mihi frigidius* cet. Athenienses a Solone leges acceperunt, et ante eum a Dracone, qui leges tulit non atramento, sed sanguine scriptas, ut nonnullis videbatur, quia nimis rigidae erant. Capitali poena secundum eas plectebatur, qui desidiae convictus esset. A Lycurgo leges Lacaedemonibus latae fuerunt. Romani multas leges ab utrisque populis haustas in XII Tabulas retulerunt. Vide *Leges* in *Specimine*. Sub Tiberio, ut olim flagitiis, ita tunc legibus laborabatur ob earum multitudinem, et variam earum interpretationem, Delatorum occasione. Ita Tac. *lib.* 3. *Ann.* ubi agit de Principiis Juris, et qua ratione ad multitudinem, et varietatem legum deventum sit.

Lentulus (L.) cum C. Figulo Cos. Orator eloquens. Ita Cic. in *Bruto*.

Lentulus (L.) L. Lentuli flaminis filius, Orator infans. In caussa Gabinii Accusator, et Praevaricator. In hac caussa Gabinius absolutus evasit. Ita Cic. ad Att. *l.* 4. *Ep.* 16. et ad *Q. Fr. lib.* 3. *Ep.* 1. *et* 4.

Lentulus (CN.). De eo ait Sallust. in 4. *Hist. CN. Lentulus patriciae gentis, collega ejus, cui cognomentum Clodiano (perincertum stolidior, an vanior) legem de pecunia,*

quam

quam Sylla bonorum emptoribus remiserat, exigenda promulgavit. Vide Gel. *l.* 18. *c.* 4. Non liquet, an. 3. *Lentuli* memorati cognati fuerint. His posterior fuit

Lentulus (CN.) Augur valde dives, quem Tiberius metu, et angore ad vitae fastidium adegit, ut ejus divitiis potiretur. Vide Suet. in *Tiberio c.* 49.

Lepida generosissima foemina damnata a Tiberio Caes. in gratiam Quirini viri Consularis, et orbi praedivitis, qui post 20. annos Matrimonii eam dimisit, eo quod putaverit, eam in se venenum comparasse. Ita Suet. in *Tiberio c.* 49. De eo in *Specimine*.

Lepidus (Manius) de quo in *Specimine*, dignus judicatus ab Augusto, et capax Imperii; sed illud aspernabatur. Ita Tac. *lib.* 1. *Annalium* initio.

L I

Libanius, celebris sophista Ethnicus sub Juliano Apostata, interrogavit Christianum, quid faceret Fabri filius? de Christo loquens. Christianus ei respondit: *fabricat feretrum pro Juliano Imperatore*. Paullo post obiit Julianus. Vide alia, in *Specimine*. In *Epistt.* suis, recitatis ab Isidoro Pelusiota *lib.* 2. *Epist.* 42. summe extollit eloquentiam S. Joan. Chrysostomi in Oratione quadam, quae desiderátur, dicta anno aetatis 21.

Libelli non pauci famosi contra Augustum, Tiberium, et Imperatores alios Romanos desiderantur. De illis meminit Suetonius in *Vitis Caesarum*.

Liberi: Vide *Filii* in *F*. De cura vet. Romanorum in *Liberis* educandis, et formandis, deque posteriorum incuria, et prava educatione Taciti, et Quintiliani aetate: vide *Dial. de Antiquis, et Recentibus Oratoribus c.* 18.

Corollarium.

Liberius, Rom. Pontifex post Julium, Arianorum Ariminense Concilium damnavit, et consentire noluit, etiam urgente Constantio, Athanasii damnationi, ob quod vexatus fuit ab Arianis, et in exsilium Beroeam Thraciae missus. Theodoretus *cap.* 17. *Hist. Tripartitae* affert Dialogum inter Liberium, et Constantium, eum urgentem, ut Athanasium damnaret. *Liberius* vehementer restitit Constantio. Missus in exsilium accipere noluit pecuniae summam sibi oblatam a Constantio, ab Augusta, et ab Eunucho Eusebio, Ariano, qui Ecclesias Catholicorum diripuerat, ob quod eum gravissime

repre-

reprehendit, ejus donum repudians. Constantio, et ejus uxori solum dixit, ea pecunia eos indigere pro militum stipendiis, et se ea posse carere. In *Actis Liberii* legitur, ei valde iratum Constantium, eo quod narrasset Constantini M. Baptisma Romae susceptum, et miraculosam a lepra curationem. Revocatus ab exsilio fuit, et Romanae Ecclesiae restitutus ad preces Matronarum Romanarum; sed diffamatus ab Arianis insigni calumnia tanquam Ariani dogmatis adprobator. Solum taedio exsilii damnasse dicitur Athanasium, sed non Athanasii fidem: cujus postea injustae damnationis eum poenituit. Ei subrogatus fuerat Felix, dum esset in exsilio. Vide *Acacius* in A. Sedit an. 14.

Libertas, cujus tenacissimi Romani usque ad Caesares fuerunt, metallis potior ab Horatio dicitur *Ep.* 10. *l.* 1, additque, eum aeternum serviturum, seu libertate cariturum qui pauperiem veritus, parvo uti nesciat. Vide *Liberti*, *Plebs*, *Servus* in *Specimine*. Vulgatum illud est:

Non bene pro toto Libertas venditur auro.

Romani bellis civilibus fessi omnia unius arbitrio permiserunt, et servitutis jugum subierunt sub Caesaribus, et subsecutis Imperatoribus, contenti imagine libertatis.

Libo Annalium Scriptor, quorum *liber* 14. citatur a Tullio *lib.* 13. *Epist.* 30. ad Atticum. Exploratum non habeo, an fuerit hic *Libo*, Praetor, cujus Puteal memoratur ab Horatio. Vide *Puteal* in P. De *Libone* vide in *Specimine* nostro alia, ubi de duobus hujus nominis fit mentio.

Librarii, qui Opera Ciceronis descripsere, parum fuerunt accurati, et multis mendis ea foedarunt. Ita Cic. ad Att. *l.* 13. *Epist.* 23. De *Librariorum* oscitantia, vide *Libraria* in *Specimine*. *Librariorum* officinae Romae erant in Sandalario, seu in vico, in quo vendebantur Sandalia, foeminarum calceamenta. Vide Gel. *l.* 18. *c.* 4. Vide alia Verbo *Libri*.

Libri. Archilochi Poetae *Libri* damnati fuerunt a *Laconibus* Ethnicis, eoquod eorum lectio parum verecunda; et pudica esset. Vide Val. Max. *l.* 6. *c.* 3. Cic. *Epist.* 13. *l.* 4. *ad Att.* loquitur de *Libris* Varronis, et Attici, quibus uti sibi oportebat. De latinis libris colligendis emendisque, quibus augenda fratris bibliotheca, ait Cic. *Ep.* 5. *l.* 3. *ad Q. Fr. De latinis vero, quo me vertam nescio. Ita mendose scribuntur, et veneunt: caeterum quod fieri poterit, non negligam*: Vide *Cicero* in C. *ubi de Q. Cicerone*. Sen. de *Tranquil. Vitae* ait *cap.* 9. *Librorum* turbam onerare, non instruere discentem: satiusque esse sese paucis tradere, quam errare per multos.

Vide

Vide *Bibliotheca* in B, et Senecam *Epist.* mihi 84. ubi de ratione *Libros* legendi cum profectu in disciplinis. *Liber* nullus tam malus, ut non possit aliqua parte prodesse: ita Plinius. *Libri* Hebraeorum deperditi recensentur verbo *Bibliotheca*. Vide *Haeretici* in H.

Liberti fortunati: vide *Servus* in S.

Licentius videtur de *Musica* scripsisse *Poema*. Ejus sunt versus de Deo, quos affert Sixtus Senen. doctus Dominicanus in *Bibliotheca* sua:

Aptavit numeros coelo, jussitque sonoros
Exercere modos, parilesque agitare choreas.

Vide *Licentius* in *Specimine*.

Licinius (Largius) scripsit *lib.* infando titulo inscriptum *Cicero-Mastix*. Ita Gel. *l.* 17. *c.* 1. *NN.* Forsitan idem est cum *Largio Licinio*, de quo in *Specimine Littera* L.

Lingua: vide *Idioma* in I. De *linguae* vitiis multa Rhodig. *Lect. Antiq. l.* 13. *c.* 1. *et* 2. ex Cic. Seneca, Quintil. Martiano, et aliis. Multa item de malis *linguae* S. Jacobus in sua *Epist. Cathol.*, et ante eum Ecclesiasticus: vide *Silentium* in S. Vide etiam in volumine 2. *Progymnasmatum* Jacobi Pontani *Progymnasma* 23. ubi *Dial.* inter *Laliam*, et *Sigen*, seu inter *loquacitatem*, *et taciturnitatem*. Multum laudatur a Politicis saepe repetitum dictum illud Metelli Senis curiosis quaesitoribus: *Si tunica mea secreta mea scirret, ea exuerer, et cremarem*; vide *Secretum* in S. *De linguarum* dono, divinitus primis Christianis concesso, et de linguae latinae variis aetatibus vide *Aetas* in A. in *Specimine*, et Q. Moder. Censorinum de *Vita*, *et Morte latinae linguae*. De *Lingua* brutorum loquacium, praesertim avium, vide Menochium in *Storeis* Cent. 2. *c.* 16. ubi de Corvo salutante Augustum: de alio salutante Tiberium, Germanicum, Drusum, et Pop. Romanum. Item de Philomela, Domitiani aetate, loquente Graece, et latine. Apollonius jactabat, se intelligere avium loquelam inter se. De nimium loquacibus, et *Lingua* multa sunt apud Gellium *l.* 1. *c.* 15. *NN.* ubi reprehensiones nimis loquacium ex Homero, Catone, Cic. Sallustio aliisque. Zeno adolescenti nimium loquaci, et inepta multa garrienti, dixit: *Idcircò aures duas, et os unum habemus, ut audiamus multa, et loquamur pauca*. M. Aur. ajebat: *Quid est, in quo maxime elaborare debemus? ut mens sit justa, et lingua mendacii expers*. De Xenocrate narratur dixisse: *se locutum nonnumquam poenituisse: tacuisse nunquam*: at saepe expedit, non tacere, cum palam veritas, et virtus traducitur.

Est nempe tempus tacendi, et tempus loquendi. Vide *Lingua* in *Specimine*.

S. *Linus* Papa, de quo in *Specimine*, constituit, ne mulieres Ecclesiam ingrederentur sine capitis velamine. Sedit an. 10. obtruncatus fuit jussu Saturnii Cos. cujus filiam a Daemone liberarat.

Litterae: vide *Epistolae* in E. vide etiam Verbo *Notae* in *Specimine*. De litterarum inventoribus vide Plin. *lib.* 7. *c.* 56. Vide in *Specimine Nicostrata* in N. et *Litterae* in L.

Lituus: vide *Augures* in A.

Livia, Drusi filia, uxor Augusti, cui valde cara fuit ob suam prudentiam, et dotes alias.. Nupta fuerat cum Tiberio Nerone, qui eam praegnantem Augusto cessit. Et ipsa, et ejus maritus invisi olim Augusto fuerant. Appellata fuit *Ulysses Stolata*, quia valde sagax, et astuta, et quia matronali stola utebatur. Sunt qui dicant, eam Augusto jam seni toxicum propinasse, ut Tiberius, quem ex primo conjuge habuit, citius imperaret: quod vix crediderim. Eam Tiberius, Imperator creatus, parum dilexit, vetuitque, *patriae Matrem* appellari: item noluit, eam publicis negotiis sese immiscere: aegrotanti adesse neglexit, et mortuam non modo consecrari vetuit, sed nec honore funeris decorari permisit. Ita Suet. in *Tiberio c.* 51. Caussas odii in matrem vide ibidem, et verbo *Augustus* in A, ubi de *Codicillis* Augusti ad *Liviam*.

Locusta, insignis venefica, cujus arte usa dicitur Agrippina ad tollendum e medio Claudium maritum, ut item Nero, Agrippinae filius, ad necem Britannici. De ea Juven. *Sat.* 1. et Suet. in *Nerone*.

Lollianus, Philos. magister Philagri Cilicis. Vide *Philager* in P.

Longinus (Cassius) luminibus orbatus., celebris Jurisconsultus, a Nerone occisus. Vide Suet. in *Nerone c.* 37. Vide alia de eo in *Specimine*, verbo *Cassius*.

Longulanus, Vir doctus, citatus a Plin. *l.* 35.

Longus (Velius) scripsit de *Orthogr.* et citatur a Cassiodoro de *Orthographia* scribente.

S. *Lucas*. Vide *Aristo* in A. S. Greg. Magnus in *Praef. ad lib.* Jobi putat, S. *Lucam* fuisse alterum ex duobus Discipulis, quibus apparuit Christus post Resurrectionem, in via prope Castellum Emmaus.

Luceia, Mima, 100 annis in Scena pronunciavit. Ita Plin. *l.* 7. *c.* 48.

S. Lu-

S. *Lucianus*, Martyrio coronatus Nicomediae sub Maximino Imper. Scripserat *Apologiam pro Christianis*, memoratam ab Eusebio. Martyr occubuit an. Christi 311. De aliis hujus nominis, vide in *Specimine*.

Lucilius, L. An. Senecae intimus amicus. Ejus cognomen erat *Junior*, ut colligitur ex Prooemio *lib*. 4. *QQ. NN.* Senecae, qui ad eum scripsit *Epist.* et *libros QQ. NN. Lucilii* versum de *Aquis* affert Sen. *l.* 3. *c.* 1. dictarum *QQ.* ubi carissimum eum vocat. Ejusdem stylum laudat *Ep. 66.* Idem Sen. *Ep.* 24. eum laudat, et citat ejus *Opus Poeticum de Morte*, affertque ex eo Versum illum:

Mors non una venit; sed quae rapit ultima mors est.

Ignoro, an Seneca ex Epicureis ad Stoicos *Lucilium* traxerit Stoicis scriptis suis. Vide de *Lucilio* alia in *Specimine*. Ubi etiam de C. *Lucilio Poeta Satyrico*, Pompeii M. avo. De hoc ait Porphyrio Horatii Interpres, plura Punica lingua edidisse satis spurca. Ita ad *Epist.* 20. Horatii *lib.* 1.

Lucius, Cyrenensis Propheta, et Doctor inter Christianos Antiochenos. Vide *Acta Apost. cap.* 13.

Lucius, vir sapiens, Herodis Attici familiaris satis mordacis linguae: vide nonnulla ejus dicta libera apud Coel. Rhod. *l.* 20. *c.* 26. *LL. AA.*

Lucretius (T. Carus) Poeta, de quo non pauca in *Specimine* diximus, primus latinorum fuit, qui Physiologiam versibus tradiderit. Ita ipse de se canens,

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita pede .... Ob hoc capiti suo coronam postulat
Unde prius nulli velarunt tempora Musae.

COROLLARIUM.

Lucrum. De injusto Lucro Juven. *Sat.* 14.

Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Diis, atque ipso Jove digna Poeta.
Unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere.

Haec Juvenalis ridens, et mordens injusti *Lucri* Romae sectatores. Vell. Paterc. *lib.* 2. de Cinnae, et C. Marii temporibus, et eorum crudelitate, atque avaritia loquens ait: *Postea id quoque accessit, ut saevitiae caussam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret nocens: sui quisque periculi merces foret: nec quicquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.* Hoc postremum adoptant, et docent nonnulli ex no-

stri seculi illuminati Antichristianis Philosophis. Nimis verum illud,

Multi lucrum curant: pauci conscientiam.

Multi etiam non sine famae damno Lucro student, quin illud sibi persuadeant: quod

Damnum appellandum est cum mala fama Lucrum,

neque illud Terentii in Adelphis *Actu* 2. *Scena* 3.

Pecuniam in loco negligere, magnum interdum est Lucrum.

Lucullus (L.) Historiam Graece scripsit, consulto in ea soloecos, et barbara verba miscens, ut homo Romanus facilius crederetur. Vide Cic. *l.*2. *Ep.* 1. *ad Att.* De eo dixit Cic. in *Lucullo*, divinam quamdam habuisse rerum memoriam: Hortensium majorem verborum. De eodem ait Plut. duos maximos reges diversissimis artibus bellando vicisse: celeritate Tygranem aggrediendo: tarditate Mithridatem cunctando. Cicerone Cos. triumphavit, cum per 3 annos, invidorum opera, ei triumphus dilatus fuisset. Ita Cic. in *Lucullo*. Vide multa alia de eo in *Specimine*.

Ludius (M. Elota) antiquus Pictor Rom. memoratus a Plinio, Ardeae templum depinxit. Ejus erant Imagines Lanuvii expositae, Helenae, et Atalantae. Vixit sub Augusto, et primus fuit, qui regiones depinxit, in quibus villae, nemora, prata, et in his pascentes greges cum pastoribus, et canibus: flumina, et in his piscatores, et natatores: montes, et in his aucupes, et venatores, flores, fontes, arbores, cet.

Ludus: vide Phaedrum *Fab.* 15. *l.* 3. et verbo *Animus*, et in *Specimine*, verbo *Ludi*.

Luscus (T. Annius) Collega Q. Fulvii, non indisertus. Ita Cic. in *Bruto*.

COROLLARIUM.

Lustrum. Spatium temporis apud Romanos Graecis Olympiadibus respondens. Varro de *Lingua Latina* agens, ait, *Lustrum* dictum a luendo, vel solvendo; eo quod, quinto quoque anno, per Censores Populus secundum uniuscujusque facultates tributa, et vectigalia Reipub. solvebat. Porro Populus lustrabatur singulis quinquenniis mense Februario, qui ultimus Anni mensis erat. *Februare* erat *Purgare*: quae purgatio adhibito sacrificio fiebat, et tunc puto, Censores *Orationes* habuisse ad Populum, quem hortabantur, ut Majorum disciplinam observaret, et luxum devitaret. Vide supra in C, verbo *Censores*, et in *Specimine*.

Co-

Corollarium.

Luxus. Multa de eo vide in *Specimine*, quibus haec addo: Vespasianus Imp. sine edictis exemplo suo luxum in victu, vestitu, et supellectile Romae coercuit. Ita Tac. *l.* 3. *Ann. Luxus* Romam invectus fuit ex Asia, et Graecia, quas armis Romani subegerunt. Verum, ut recte Horatius, Victores a Victis fuerunt superati allatis Romam ludicris artibus, et *luxu* in statuis, signis, pictis tabulis, pretiosis vestibus, conviviis, sumptuosis aedificiis, auri, et argenti usu immodico, et non necessaria supellectile ad exemplum Asiaticorum, *luxui* indulgentium: quae Historici, et Satyrici Poetae merito sugillant; cum *luxus* vitia omnia secum ferat, fraudes, furta, injustitias, adulteria, perjuria, homicidia, sacrilegia, ruinam demum Imperiorum, et Rerumpublicarum. Titus *Livius l.* 1. *Hist.* ait: *Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum, ac libidinem pereundi, perdendique omnia invexere*. De M. Antonio Triumviro, Livii aetate, narratur, excrementa corporis in aurea vasa egessisse. Neronis uxor Poppaea equis suis soleas aureas fecisse dicitur. Bruti temporibus foeminae Rom. pedes suos auro ornabant. Lollia Paullina in margaritis eam ornantibus gestabat 100 scutorum millia. De luxu Matronarum vide *Valerius* in V. Augustus, ab omni luxu abhorrens, modicam domum habitabat, et modice ornatam. Solo aequavit Palatium magnificum, quod filia Julia sibi aedificari jusserat, et illic Porticum Liviae construxit. *Veri* Imperatoris Convivium constitit 15 centenis millibus scutorum. Heliogabalus Imp. rerum pretium orexim conviviorum esse dicebat. Non natabat, nisi in piscinis, nobili unguento, aut croco infectis, voluitque depingi, ut Cupediarius, Seplasarius, Popinarius. Vide Coel. Rhod. *l.* 9. *c.* 15. Viri alias satis moderati luxui indulgebant aliorum exemplo. Cicero emisse dicitur citream mensam *scutorum* 25 *mil.* et domum a Crasso 87 *mil. et* 500. *scutis*. C. J. Caesar emit binas tabulas, seu imagines 120 *mil. florenorum*. Crassus habebat quinquagies centena millia *Philippaeorum*, seu *scutorum*, praeter servos, villas, praedia, et supellectilem. De Luculli chlamydibus ad 5 millia meminit Horatius *Epist.* 7. *libri* 1. De ejus aedificiis, quibus terras, et maria occupabat, vide in *Specimine*. De Romanis, Ciceronis aevo, dici poterat, quod de Agrigentinis olim Plato: sic aedificasse ac si perpetuo victuri forent: sic convivatos, ac si postridie essent morituri. Multa contra *Luxum* vide

de in Cic. *de Off. lib.* 2. in *Hist. Nat.* Plinii, in Senecae *Epist.* et aliis ejus Operibus. De Sallustio Crispo ait *Lactantius*: *Sallustius homo nequam, sed gravissimus alienae luxuriae objurgator.* Vide Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. ubi de *Luxuria*, et *Libidine*.

L Y

Lysimachus, tanquam Romanus Auctor, citatur a Plinio *lib.* 15. *Hist. Nat.*

Lycus, Medicus sub Adriano Imperatore.

M

S. MAcrina, Abbatissa, in *Dialogo* cum fratre S. Gregorio Nysseno propugnavit Animorum *immortalitatem*.

Macrinus, Rom. Imper. in *Jure* peritus, tollere decreverat *Rescripta* omnia veterum Imperatorum, quae non a Repub. sed ab unius voluntate manassent; volebat enim *Jure*, non *Rescriptis* agi; nefas esse dicens, *leges* videri Commodi, Caracallae, et similium Imperatorum voluntates. Ita Capitolinus in *Macrino*. Vide alia in *Specimine*.

Macrocola (cui vocabulo nunc respondet Chartae Imperialis nomen) emit Cicero ad *describendos libros Academ. QQ.* quos mittere decreverat ad Varronem. Vide *Ep.* 25. *l.* 13. ad Att. Illic dicit se vereri, ne Varroni displiceat, quod in *Dial.* partes suas magis defensas tradat, quam Varronis Interlocutoris. Ibidem loquitur de *Epist.* ad Varronem diligentissime scripta, et videtur valde sollicitus de judicio Varronis circa *Academ. QQ.* illudque pertimescere.

COROLLARIUM.

Machina. Machinas, et variarum machinarum inventores, et constructores multis effert laudibus Theodoricus Rex Gothus Italiae scribens ad Boethium, et ab eo petens horologia, mittenda Burgundionum regi, qui ea habere optabat. Vide Cassiod. *Variarum l.* 1. *Epist.* 45. Illic indicat, Boethium in latinum sermonem vertisse Graecos Scriptores celebriores, ob quod industriam, atque ingenium Boethii multis mactat encomiis, licet postea eum et in carcerem truserit, et crude-

deliter occiderit una cum Symmacho, Boethii amico, et in Patriciatu, ac Senatorio gradu collega. De Archimedis machinis, quibus naves Romanorum Syracusas obsidentium destruebat, vide Plutarchum in *Marcelli Vita*. De *Machina Volatili*, seu Aerostatica, nuper aut inventa, aut fabricata, diximus in *Specimine*, verbo *Artes*, quibus addo: Nisi directio, ut in navibus, inveniatur, parum eam utilem, et gloriosam Inventoribus, et constructoribus esse. *Nisi* enim *utile est, quod facimus, stulta est gloria*, ut recte Phaedrus in *Fabulis*. Quid? quod non modo utilis ea non est, sed damnosa, ut experientia jam est compertum; multis enim periculis sese committunt novi Icari, quorum nonnulli suis casibus infelicibus, praeter incendiorum imminentia discrimina, infamem eam Machinam reddiderunt. Janellus Turrianus in Justensi Monasterio ad oblectamentum Caroli V, illic, post relictum Imperium, commorantis, machinatus est ligneos passerculos, qui volando exibant, et redibant per fenestram ad Caroli conclave, ut etiam armatas statuarum acies supra mensam inter se pugnantes. Vide Famianum Stradam de *Bello Belgico* initio *lib.* 1. Eidem Carolo oblata olim fuerat aenea Aquila volans, et Parisiis Triremis argentea, quam ejusdem metalli remiges et impellebant, et sistebant, et retroagebant. Vide Martinum del Rio *Disquis. Magicarum l.* 2. *Sect.* 1. *Quaest.* 27. Vide *Metalla* in M. Ex Machinis istis nullum spectatoribus, nec artificibus imminebat discrimen: vide *Artifices* in *Specimine*.

Maecius (P.) filius P. Maecii Proculi ex tribu Pollia, militis cohortis III Praetoriae, Architectus Augusti. Ita ex antiqua Inscriptione marmori incisa, posita a fratre Q. Maecio, qui P. Maecium *fratrem pientissimum* appellat. Haec *Inscriptio* legitur in atrio Studii publici Ferrariensis, quam Faventiae illustravit Hieronymus Ferrius, humaniorum litterarum Ferrariae Publ. Professor, nuper fatis functus.

Magi. Praeter dicta in *Specimine*, haec occurrunt addenda. Qui Magiam, et artes divinatorias exercebant, quique Mathematici appellabantur, jussu Valentis Imperatoris edito Rescripto interfecti fuerunt, inter quos fuit Marcus Ephesius, qui Juliano Apostatae Imperium praenunciaverat, et a Christiana religione averterat. Sunt qui *Magiam Naturalem*; sunt, qui *Artificialem*; sunt demum, qui *Daemoniacam* exercent. De his vide Martinum del Rio in *Disquis. Magicis* late disserentem: vide *Simon* in S. Marsi, et Psylli *Magicis artibus* dediti erant, ut etiam *Ophiogenes* dicti in Cy-

pro Insula, vide Gel. *l.* 16. *c.* 11.: Plinium item, qui mentionem facit cujusdam *Hexagoni*, a Cypro Romam legati, in Serpentum dolium jussu Consulum conjecti. De Marsis Italiae ait Gellius, a Marso quodam, Circes, Magae insignis, filio originem traxisse. De Circe post Homerum Ovidius, et Horatius, ubi de Ulyssis sociis ab ea in bruta animalia conversis. De eadem Plut. in *Grillo* agit, seu in *Dial. de Brutorum ratione:* vide *Daemones*. Cassiodorus affert edicta Theodorici Italiae regis contra Magos. De Abari Scytha narratur, volasse, ut postea Simon Magus; sed forsitan uterque machinae aerostaticae subsidio id praestabant, ut nunc levissima quaedam ingenia. De *Magiae variis speciebus* vide Plin. *l.* 30. *cap.* 1. et 2. ubi vanas *Magicas artes* dicit. Eas etiam ridet *lib.* 26. *cap.* 4. *H. N.* In Oriente Sapientes *Magi* appellabantur, et hi regnare consuevere.

Corollarium.

Magistratus Rom. quinam Majores, quinam Minores essent? vide Gell. *lib.* 13. *c.* 14. Nullum vitium ab iis, qui praesunt Reip. magis devitandum, quam avaritia. Abstinentiae, et continentiae in Magistratibus opinio multitudinis benevolentiam conciliat. Vide Cic. de *Off. l.* 1. *et* 2. et in *Ep. ad Q. Fr. l.* 1. Vide in *Specimine* verbo *Magistratus*, et verbo *Eloquentia*, ubi de doctrina ad Magistratus Romae olim impetrandos necessaria, vel multum conducenti. Scottus invenit, et edidit librum de *Insignibus Magistratuum* ad Theodosium Augustum, notisque illustravit.

Magistri, Juventutis Institutores, laudantur a Seneca de *Tranquill. Vitae c.* 3., et a Cic. *lib.* 2. *de Divin.* Magistri ferarum: vide *Mansuetarii* infra: vide etiam supra v. *Doctrina* in D.

Magister Officiorum in Rom. Imperat. Palatio. Ei concredita erat morum disciplina, qua Principis domus regebatur: de Scholis etiam curabat. Unde non nisi Jurisconsultus, aut Philosophus ad hoc munus eligebatur.

Magnes (Demetrius) Philosophus, scripsit *lib. de Concordia*, qui desideratur. De *libro*, et Auctore agit Cic. *Epist.* 11. et 16. ad Att. *lib.* 8. In prima affert Cic. fragmentum *libri sui* 5. *de Repub.*

Magnes (Dionysius) Orator, qui assiduissime versabatur cum Cicerone in Asia.

Magnes (Macarius) Episcopus, 3. Eccl. seculo, scripsit contra Ethnicos, qui Evangelium calumniabantur. Francis-

cus

tus Turrianus, Jesuita Hispanus celebris, ex Bibliotheca Veneta S. Marci edidit Magnetis hujus *libros* 5. *contra Theostenem Peripateticum*.

Magnus, Medicus Antiochenus, Zenonis Cyprii discipulus, 4. Eccl. seculo.

Maluginensis (Servius) Jovis Dialis Sacerdos. Tacitus memorat ejus *Orat.* qua orat Senatum, ut possit eligi Procos. Asiae, falso vulgatum ostendens, Diali Flamini non licere ex Italia excedere.

Mamercus, Orator, sub Tiberio Oratorum ea aetate uberrimus. Ita Tacitus *lib.* 3. *Ann.*

Mamertinus, Orator, fuit a Juliano Apostata creatus Aerarii Praefectus. Ita ipse in *Paneg.* Juliano dicto.

Mamurra, insignis aeris operum artifex, qui jussu Numae Scuta ex aere, *Ancilia* dicta, quae Salii ferebant, fabricavit. Ei erecta fuit statua ex plumbo. Ita Pub. Victor.

Manes (de quo in *Specimine*) multa scripsit, quae perierunt, quod aegre fert Bailius Scepticus nostrae aetatis, et Antichristianus Philosophus. Is in suo pestifero *Dictionario* (ex quo multi nostri aevi Philosophi venenum hauserunt, quod lectoribus, cum nostri seculi infamia, libellis suis propinant) conatus est e cineribus excitare Manichaeorum somnia sophismatibus ei familiaribus, contra hominis libertatem, Dei bonitatem, et providentiam. Multa etiam tradit de binis Principiis a se existentibus, quorum alterum sit boni, alterum vero mali Auctor, deque pugna in mundi primordiis inter haec Principia commissa. His, et aliis deliriis refertum est Bailii *Dictionarium*, quod hominis, ratione furentis, et chimaeris pasti *Opus* dici potest. Vide Apologistas pro Christiana Religione, praesertim Goujatium, qui multis doctissimis *Epistolis* solide refellit hoc *Dictionarium*, quod Armamentarium est Impugnatorum divinae Revelationis, et idcirco merito Ecclesiae anathemate percussum.

Manahem, Herodis Tetrarchae collactaneus, Doctor, et Propheta inter Christianos Antiochenos. Vide *Acta Apost.* *c.* 13.

Manetho, qui scripsit de *Astrologia*, refutatur a Josepho Hebraeo, et aliis. Anastasius, et ex eo Cedrenus tradit, *Manethonem* adeo in Magicis Artibus peritum fuisse, ut Apollonium Thyanaeum palam prae se contemneret. Ex quo intelligitur, eum aequalem Apollonii fuisse.

Manilius, vir apprime doctus, a Q. Scaevola interrogatus

tus fuit de verbis legis Atiniae: *De eo quod surreptum est*. Vide Gel. *l.* 17. *cap.* 7. Hunc diversum arbitror ab Astronomo Poeta cognomine, de quo in *Specimine*, ubi de aliis ejusdem nominis fit mentio.

Manlius (Cn.) Trib. pl. in Concione maledice insectatus fuit Q. Metellum, Numidicum, verbis petulantibus. Legi meretur Responsio Metelli allata a Gel. *l.* 6. *c.* 11. Inter alia ait in ea Metellus, *Manlium* esse indignissimum, cui a viris bonis benedicatur: tum, ne idoneum quidem, cui a probis maledicatur, quia ipsum nominando (cum punire homunculum istum non possis) majori honore, quam contumelia afficies. Ait etiam, se eum nec ut amicum recipere, nec ut inimicum respicere. De aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Mansuetarii. Erant Romae periti in Arte reddendi mansuetas, et mites feroces belluas, ut Leones, Pantheras, Tygrides, Ursos, cet. Ita Lampridius in *Heliogabali Vita*. Hujus Artis meminit Martialis *l.* 1. *Epigr.* ubi Domitiano adulatur, dicens, feras, non arte, sed Domitiani clementiae exemplo cicures factas. Postremi *Epigr. versus* sunt:

Haec clementia non paratur Arte:
Sed norunt, cui serviunt leones.

Iidem eas docebant multa spectaculis digna agere, quae oblectationem, et admirationem Spectatorum excitabant, ut Elephantos ad numerum saltare, et per funem ambulare.

Marathus, Augusti libertus, de *Augusti statura* scribens tradidit, fuisse 5 ped. et dodrantis altum: quae brevitas commoditate, et aequitate membrorum occulebatur, ut, non nisi ex comparatione adstantis alicujus procerioris intelligi posset. Citatur a Suetonio in *Augusto cap.* 79. Marathi scripta desiderantur. De eo in *Specimine*.

Marcellinus, Vir clarissimus, Notarius, et Tribunus sub Honorio, a quo missus fuit Carthaginem, ut Arbiter esset in Disputatione inter Catholicos, et Donatistas, ut dictum est in *Specimine*. Occisus fuit a Marino Duce Honorii, post victum Heraclianum, fraude, et calumnia Donatistarum, qui Marcellinum accusarunt, ut fautorem Heracliani Tyranni, et perduellium. Inter Martyres numeratur in *Romano Martyrologio* 8. Idus Aprilis.

Marcellinus, homo facetus, et magni ingenii, qui raro ibat ad Senecam amicum, quia audire verum timebat. Ita Sen. *Ep.* 29. in qua *de utili, et inutili admonitione*.

Marcellinus, Senator, rogatus in Senatu sententiam a Raci-

cilio, *Orationem* habuit, in qua graviter de Clodianis incendiis, lapidationibus, trucidationibus questus est. Ita Cic. ad Q. Fratrem *Ep.* 1. *libri* 2. ei narrans Acta in Senatu. De aliis *Marcellinis*, vide in *Specimine*.

Marcellus (M. Claudius) una cum CN. Corn. Scipione Cos. dissuasit pacem cum Gallis *Orat.* sua in Senatu, et vicit Gallos, inita singulari pugna cum Viridomaro Gessatorum rege, cujus spolia Romae triumphans Jovi Feretrio dicavit. Vide Plut. in *Vita Marcelli*. De eo Virg. *Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis*, cet.

Marcellus, Augusti ex sorore Octavia nepos, magnae spei juvenis immatura morte praeventus sine liberis decedens, laudatur a Virg. in *Aeneide*. Variis erat artibus instructus sub avunculi, et matris disciplina, imperioque destinatus.

Marcellus, cui suas *Instit. Oratorias* dicavit Quintil. Idem est cum *Marcello*, cujus eloquentiam laudat Statius *lib.* 4. *Sylva* 5.

Marcellus (Vectius) Eques Rom. Neronis Procurator, de cujus praedii pratis, oleisque in agro Marrucino rem singularem narrat Plinius *lib.* 2. *c.* 85. *H. N.* De aliis *Marcellis*, vide in *Specimine*.

Marcellus, Ancyranus, Praesul doctissimus (Vide *Asterius* in A) vexatus ab Arianis, quia eorum scripta acriter refutabat.

Marcianus Medicus citatur a Scribonio Largo *cap.* 46. de *Compositione Medicamentorum*.

Marcinus, Medicus sub Trajano.

Mardonius, Ethnicus Philosophus. Huic post annum septimum aetatis traditus fuit erudiendus Julianus Apostata, ut tradit ipse Julianus in *Misopogone*. Verisimile est, a *Mardonio* haurire coepisse Julianum odium illud Vatinianum, et viperinum in Christianam Religionem, quod veritus Constantius ei custodes adhibuit, ne a Christianismo puer ad Idololatriam deflecteret. Postea traditus fuit curae Eusebii Nicomediensis, a quo forsitan odio in defunctum patruum Constantinum imbutus fuit. Eum quippe oderat occulte Eusebius, quia relegatus a Constantino fuerat ob Arianismum, et quia Constantinus semper infensus Arianis fuit. Erat namque Eusebius Arianorum antesignanus. Vide Dissert. de *Duplici Constantini Baptismate* in fine Operis.

Mares, Philosophus justissimus. Vide *Asclepiodotus* in A.

S. *Maria*, Virgo, Dei Mater. An aliqua scripserit, et quaenam? vide *Epistolae* in E.

Ma-

Marianus, Notarius, et a Secretis Constantini M. eidem valde acceptus ob suam doctrinam, et pietatem. Missus fuit a Constantino Hierosolymam, ut in solemni dedicatione templi illic magnifice constructi ad preces S. Helenae matris, Episcopos innumeros ad dedicationem convocatos laute exciperet, et templum donariis ab Imperatore missis ornaret, ingentemque pecuniae summam pauperibus largiretur: quae omnia diligenter est executus, ut Constantinus optabat.

Marius, sive *Matius*, *Calventius* praenomine, in quo ludit Cicero facetiis indulgens, eo quod calvus esset. Ita in *Epist.* ad Att. In *Ep.* 1. *l.* 3. *ad Q. Fr.* de eodem loquitur, ac de ejus *Oratione* dicit, a nemine legendam: quo indicat eum male orasse.

Marius (C.) in invidiam falso crimine induxit Q. Metellum, cujus Legatus in Africa erat, eum accusando apud Populum, ut sibi Africae Praefectura, et munus Ducis Africani exercitus contra Jugurtham, una cum Consulatu decerneretur. Ita Sallustius in *Bello Jugurthino*. De eo alia in *Specimine*.

Marsus (Domitius) diligentissime de *Urbanitate* scripsit. Ita Quintilianus, qui ejus dicta citat, et hominem eruditissimum eum appellat *lib.* 6. *Institutionum*.

Martialis (M. Valerius) in juventa scripsit Poematia, quae lib. 1. Epigrammatum petenda dicit a Q. Pollio Valeriano. Licet liberos non haberet, jus 3. liberorum, quo superior locus in Spectaculis ei dabatur, praeter praemia alia impetravit ab Imperatoribus Tito, et Domitiano, quibus charus erat. Id saepe testatur in suis Epigrammatibus. Vide alia de eo in *Specimine*.

Martianus, Presbyter, Novatianus secta, antea miles, Magister fuit filiarum Imperatoris Anastasii, et Carosiae. Laudatur tanquam vita, et scientia mirabilis a Sozomeno, Novatiano lib. 7. Hist. Tripartitae cap. 20.

Martinianus (Marcus) Magister Officiorum, et alter ex praecipuis Licinii ducibus ob suam virtutem, et militarem peritiam Caesar a Licinio creatus. Ejus militari peritiae multum tribuens Licinius, contra Constantinum ad se venientem pugnam conserere non dubitavit; sed victus fuit cum ingenti sui exercitus strage, et fugere coactus. Veniam impetravit Licinius a Constantino victore ad preces uxoris Constantiae, quae soror erat Constantini, qua venia male usus tandem occisus fuit jussu Constantini, ut etiam novus Caesar Martinianus, qui furori militum fuit traditus.

Ma-

Materialistae, ut Epicurei, omnia, etiam Deum, corpus esse docent. Vix dici potest, quot quantaque absurda devorare cogantur, ut dogma suum tueantur. Vide Benedictum Hieron. Feijoo Hisp. Criticum *tom. 4. Epistt. eruditarum Epist. 15.* Vide *Animus* in A: *Deistae* in D: *Epicurei* in E: *Philosophi* in P: *Voluptas* in V in hoc Opere, et in *Specimine*. Legi in Hispania, ut de eo ferrem judicium, Opus Gallicum Marchionis d'Argens, in quo Materialismus propugnabatur: quod *Opus* ab Inquisitoribus Hispanis postea damnatum fuit cum multis aliis Operibus novorum Philosophorum.

Mathematici. Vide de his dicta in *Specimine*.

Mathesis, quae nunc in pretio est, parum exculta fuit ab antiquis Romanis, quia Mathematicorum nomen erat illis invisum, putantibus, Astrologiae Judiciariae, et Magicis solum artibus Mathematicos studere.

Corollarium.

Matrimonium: vide *Coelibatus* in C: *Divortium* in D. Inter Collegas in Magistratu aliquo apud antiquos Romanos, qui uxorem duxerat, praeponebatur Coelibi, et qui 3 habebat liberos, variis privilegiis gaudebat. Antiquis Romanorum legibus jus habebat Maritus ad occidendam Uxorem in adulterio deprehensam, et quam vinum bibisse compererat: quae barbarae leges abrogatae postea fuerunt, et *Lege Julia* Maritis concessum, adulteram uxorem accusare, et de adulterio suspectam repudiare: quod cum prima uxore praestitit C. Jul. Caesar. Plato *lib. 5. de Repub.* ex mente Socratis haec habet, parum digna et Socrate, et Platone. *Uxorem propriam nullus habeat; matrimonia enim cunctis debent esse communia: sic enim major erit concordia Civitatum. Omnes viri sine discretione omnibus misceantur, et omnes foeminae se omnibus viris sine distinctione substernant, ac sic fiant omnes viri omnium mulierum mariti: omnes foeminae virorum omnium uxores*. Hanc uxorum communitatem, quae inter Lacones viguit, instaurare conati sunt inter Christianos Nicolaitae haeretici, et nonnulli ex Antichristianis nostri aevi Philosophis, qui putant, se mundum illuminare insana doctrina sua.

Maximinus, contra quem S. August. scripsit, videtur Donatista fuisse. Ejus scripta de *Baptismo* latent.

Maximinus, una cum Constantino M. Imperator, metuens Constantinum Christianum, multa edidit Rescripta in favorem

rem Christianorum, quae videri possunt in Eusebii *Eccles. Hist.* Verum non idcirco destitit, per suos Praefectos, Christianos insectari, et necare: quod Constantinum M. movit ad ei bellum indicendum per Licinium, a quo in fugam actus, et Tarsi in Cilicia obsessus, diro morbo interiit. Vide alia in *Specimine*. Licinius postea etiam Christianos insectatus, et frustra de hoc a Constantino correptus, Constantinum coegit ad ei bellum inferendum: eundemque compulit ad se abdicandum Imperio, licet uxorem haberet Constantini sororem. Tandem hic Christianae Religionis, et litterarum hostis a militibus suis interfectus fuit.

Maximus, Hieropolitanus Episc. scripsit sub Severo Imperatore insigne *Volumen* contra Valentinianos, et Marcionistas haereticos. Ita Euseb. et S. Hieronymus. Praefati *Operis* fragmentum affert Origenes, contra Marcionistas scribens. De multis ejusdem nominis, Vide in *Specimine*.

M E

Medici: Vide *Anatome* in A, et Verbo *Medici* in *Specimine*. Aristoteles, aegrotans, dicebat Medico suo: *Ne me, ut bubulcum, cures: caussas edissere*. Ita Aelianus in *Variae Hist. lib. 9.* Apud Assyrios, et Babylonios, aegrotantes in viis publicis exponi solebant, et a praetereuntibus exquirebatur, an remedium aliquod nossent pro morbo, quo aeger laborabat: De *Medicinae* excellentia, Vide Cassiod. *Variarum Epist. l. 6. c. 19.* Quantum debeamus *Medicis* et Praeceptoribus, vide Sen. *l. 6. de Benef.* Quam lucrosa sit *Medica* Ars? ostendit versus ille notissimus,

Dat Galenus opes: dat Justinianus honores.

Vide *Cornutus* in C: *Venerea lues* in V. Vetus Proverbium est: *Medicorum tituli remedia habent: pyxides venena*. Item illud: *Medica Verba non sanant, sed medicamina*. Bruta Animalia Medicinam docuerunt. Vide *Sylvam variae lect. P. 2. c. 35.*

Melanthius Rhodius, Carneadis discipulus. Ejus eloquentia, et suavitas laudatur a Cicerone in *Lucullo*.

Meletius, Jatro-Sophista, scripsit post Galenum de *Usu partium Corporis humani*: quod opus desideratur.

Meletius, Antiochenus Praesul insignis, cujus doctrinam, et virtutes commendat S. Greg. Nyssenus *Oratione* in ejus funere dicta.

Melissus (Aelius), summus Gramm. sed summae jactantiae, Romae docuit, et scripsit de *loquendi proprietate*. Vide

de Gel. *l.* 18. *c.* 6. ubi, quae Matrona: quae Mater familias dicenda sit? *Melissi* sententiam de hac re Gellius parum probat. Vide alia de eo in *Specimine*, ubi per errorem citatur Gellius *l.* 18. *c.* 19, cum Gellius de eo egerit *lib.* 18. *c.* 6.

Melissus (M. Cilnius), ob suum ingenium, et doctrinam libertate donatus a Moecenate, cujus servus erat. Vide alia de eo in *Specimine*. Diversus hic fuit a C. *Melisso*, Viro etiam docto, Augusti liberto: sed forsitan fratres erant.

Meliton, Sardensis Episcopus, de quo in *Specimine*, fuit Vir doctissimus. Inter innumera Opera, quae edidit, quorum catalogum texit Eusebius *Hist. Eccl. l.* 4. *c.* 26. recensetur Apologia pro Christiana Religione ad Antoninum Verum, Caesarem, cujus fragmenta affert Eusebius.

Memmius Trib. pl., praenomine *Cajus*, accusavit Gabinium, subscribente L. Capitone. Ita Cic. ad Q. Fr. *Ep.* 1. *l.* 3, ubi ait: *Memmius oravit, et calefecit Gabinium, quem Calidius eripere non potuit*. Idem *Memmius* postulavit Domitium de ambitu. Ita Cic. ibidem. Accusavit demum Rabirium Posthumum, defensum a Cicerone. In petitione Consulatus suffragatorem habuit C. J. Caesarem licet asperrimae fuerint contra eum dictae a *Memmio Orationes*. Vide de eo alia in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Memoria. Metellus, una cum Scipione Magistratum petens, gloriabatur de sua felici memoria, qua poterat suis nominibus salutare Cives Romanos, a quibus suffragia petebat. Quid ei responderit Scipio? vide *Scipio* in *S*. Cic. in *Oratore* memoria lapsus, pro *Aristophanes*, *Eupolim* posuit, de quo monet Atticum *Epist.* 7. *lib.* 12. Hortensius, in auctione quadam totum diem sedens, vespere recensuit res omnes, pretia et emptores; ita ut in nullo falleretur. Portii Latronis memoriam laudat Seneca Pater in *libris Controversiarum*. Vide *Lucullus* in *L*. et alia Verbo *Memoria* in *Specimine*. P. Syrus ajebat: *Etiam oblivisci, quod scis, interdum expedit*. De C. Curionis Oratoris infelici *Memoria*, vide in *Specimine* V. *Curio*. Vide alia in Petri Messiae *Sylva variae lectionis Parte* 3. *c.* 7, *et* 8.

COROLLARIUM.

Mendicus. Plato de *Legibus l.* 1. haec habet: *Nullus in Civitate nostra mendicus sit. Quicunque vero id tentaverit, victumque inexplebilibus precibus colligere coeperit, a rerum*

venalium curatoribus e foro pellatur: ab Aedili Magistratu ex Urbe ejiciatur: ex tota denique regione ab agri Magistratu exterminetur, ut ab ejusmodi animali omnino universa regio munda sit (a). Parum humana lex ista mihi videtur, si pauperes sine culpa indigentes sint, et eis ex publico non succurratur, vel labore sibi providere nequeant. Romani hanc legem neutiquam adoptarunt. Apostolorum aevo inter Christianos Hierosolymis, et Alexandriae mendici non erant, quia bona omnia inter eos erant communia.

Menecrates, Neronis Citharoedus, donatus triumphalium virorum patrimoniis, aedibusque a Nerone. Ita Suet. in *Nerone c.* 30. Diversus hic est a Syracusano Medico, de quo Aelianus, et, ut puto, a Poeta Comico ejusdem nominis, de quo Suidas.

Menedemus Phil. in habitu Furiae ibat per domos Eretriae enuncians, se ex Inferno missum a 3 Judicibus, ut admoneret male agentes, et non emendatos accusaret. Ita Laertius in *Menedemo*. Miror, Laertium hunc inter Philosophos numerasse; cum inter insanos, et furiosos potius eum numerare deberet. Hic erat patria Lampsacenus, et diversus ab alio Philosopho ejusdem nominis ex Eretria, Sectae Auctore.

Menippus, Stratonicensis, summus Orator, quo cum Cicero in Oratoria exercebatur, et cum quo Asiam peragravit. Ita Cic.

Menogenes, Histrio, valde similis M. Messallae, Consulari, et Censorio. Vide Val. Max. *l.* 9. *c.* 15.

Menophilus, alter ex servis litteratis Attici, de quo fit mentio in Epistolis Ciceronis ad Atticum.

COROLLARIUM.

Mensurae Romanorum. Vide *Geometrae* in G, ubi de solidorum *Mensuris*. Liquidorum, et frugum *Mensurae* apud Rom. erant varia vasa: *Cadus*, de quo Mart. *l.* 13. *Epigr. Amphora*, *Urna*, *Modius*, *Congius*, *Sextarius*, *Cyathus*, *Cochlear*, seu quarta pars *Cyathi*, de qua *Mensura* Mart. *l.* 14. In Conviviis utebantur *Cyathis* Romani ad hauriendum, et metiendum vinum, eratque calicis genus: *Urna* utebantur ad hauriendam aquam ex puteis. In linguarum magnis *Dictionariis* invenies expressam capacitatem, seu quantitatem respondentem his *Mensuris* in suis vocabulis. Novellius Mediolanensis

(a) Mendicantes validos Edicto exagitavit Theodosius Imperator. Habetur Edictum in *Cod. Theodosiano*.

nensis *Tricongius* appellabatur, quia coram Tiberio in convivio, uno haustu, 3 vini Congios siccavit, Rustici Alpini invenerunt rationem arctandi, et cingendi *Cados* ligneis circulis. Plin. *l. 7. c.* 56. tradit, *Mensuras* et Pondera invenisse vel Phidonem Argium, vel Palamedem. De Medicamentariorum *Mensuris* ex Graecis agit *l.* 21. *c. ult.* idem Plinius in *H. N.*

Corollarium.

Meritum. Claudianus, Stiliconem laudans, cecinit *lib.* 2:

Lectos ex omnibus oris
Evehis et meritum: nunquam cunabula quaeris,
Et qualis, non unde satus ::. Vide *Fortuna* in F.

Juvenalis de Democrito Abderitano dixit:

Cujus prudentia monstrat,
Summos posse viros, et magna exempla daturos
Vervecum in patria, crassoque sub äere nasci.

Meropius, Tyrius Philosophus institutor Edesii, et Frumentii propinquorum, occisus a barbaris Indis, ad quos perrexerat exemplo Metrodori, qui ad eas regiones agnoscendas tempore Constantini Imperatoris ivit. Videtur Christianus fuisse. Tales utique fuerunt Edesius et Frumentius ejus alumni, qui in India christianam Religionem invexerunt.

Messalla Cos. laudatur a Cic. in quadam ad Att. *Epist.* Hic videtur fuisse *Messalla Corvinus*, Orator insignis. In eadem *Epist.* Cic. multa contra Pisonem, ejus Collegam dicit. Tacitus de *Valerio Messalla* (quem Pronepotem existimo *Messallae*, de quo Cic.) tradit *lib.* 13. *Ann.* in egestatem prolapso, Neronem assignasse Ducatus annuos 1500. De aliis ejusdem nominis, et de *Messalla Corvino* vide in *Specimine*. De sene *Messalla* ait Plinius libro 35. H. N. scripsisse lib. de *Familiis*.

Mestrianus, Vir eloquens, et magnus Politicus, missus fuit a Licinio Imperatore, variis praeliis superato, ad Constantinum, ut pacem ab eo impetraret.

Metalla, De *Metallica Disciplina*, vide *Appion* in A. De auri, et argenti fodinis in Hispania Romanorum antiquorum aevo, vide *lib. Machab.*, Plinium et alios Rom. Histor. Vide etiam Pinedam, Jesuitam Hispanum de *Rebus Salomonis*. De Metallicis Cataloniae fodinis, ex quibus et Romani et Phocenses, praesertim post Pyrenaeorum montium incendium, vel terraemotum, magnas divitias eruerunt, ingenti auri, et argenti copia in valles confluente, multa dixi

in *Hist. Naturali Cataloniae*. Lacones, Clazomenii, Britones, et Byzantini ferrea moneta utebantur. Tiberii temporibus Romae fuit Artifex, qui vitrum, instar *Metalli*, ductile, et malleabile fabricabat, cujus officina abolita fuit, teste Plinio. S. autem Isidorus Hispal. Praesul narrat, occidi jussum a Tiberio Artificem, ne arte sua viliora redderentur aurum, et argentum vitro. Multa de *Metallis* et de operibus ex *Metallo*, Plin. *lib.* 33. *et* 34. Qua ratione Archimedes agnoverit fraudem artificis coronae aureae, factae jussu Hieronis, Siciliae regis, in qua argentum erat auro mistum, vide Messiam *Parte* 2. *c.* 37. *Sylvae Variae lect.*

Metaphysici, sive Naturalis Theologiae Tractatores. Ad eos spectat agere de Deo, de Angelis, seu Geniis bonis, et malis, de humano Animo a corpore sejuncto, de Manibus et Lemuribus. Ex antiquis Romanis fuerunt qui Metaphysicos *Tractatus* suos multis fabulis resperserunt. Nonnulli tamen ex Ethnicis, tum Romanis, tum Graecis minus delirarunt, quam non pauci ex nostri aevi Philosophis, qui *Ingenia fortia* videri volunt. *Metaphysicas* subtilitates, more Aristotelico, pauci ex Romanis sunt persecuti. Scholastici hisce subtilitatibus nimium indulserunt, de multis inutilibus disputantes, et utilia praetermittentes: quo factum est, ut multi de Scholasticis, ac *Metaphysicis* male sentirent, eisdemque dicam scriberent. Nos in *Philosophicis Prolusionibus*, Barcinone editis, tribus *Orationibus Metaphysicas Disciplinas* a Criticorum sugillationibus vindicavimus, veras *Metaphysicae* dotes exponentes, ut item vitia Scholasticorum, perperam eam tradentium, ingenii nimium acumen affectando in *Tractatibus* suis, et inania quaerendo.

Metellus: vide *Celer* in C. De *Metellis*, vide in *Specimine*.

Methodius, teste S. Hieron., contra Porphyrium edidit *Opus* ad 10. millia usque versuum, cujus *Operis* nonnulla tantum supersunt. De eo in *Specimine*.

Metrodorus Phil. ad Indiam perrexit Orbis perscrutandi gratia parum ante Constantini Imperium.

Metrodorus, Stratoniceus, Phil. auditor Carneadis, de quo Cic. in *Lucullo*. Forsitan hic fuit

Metrodorus, saepe ab An. Seneca citatus, qui videtur *Ethica* lucubrasse: quod colligitur ex *Ep.* 100. Senecae, dicentis, eum de *tristitia cum voluptate conjungenda* scripsisse. Hujusce nominis fuerunt non pauci, doctrina insignes, quorum fit mentio ab Strabone, Cicerone, et Laertio. De *Metrodoro*, Ma-

Magistro filiorum Pauli Aemilii tradit Plin. *l.* 35. fuisse et insignem Phil. et insignem Pictorem. De *Metrodoro* quodam narrat item Plin. Artem Memoriae a Simonide inventam perfecisse.

Metronactes, Phil. scholam Romae habebat non procul a Theatro Neapolitanorum. Ad eam scholam ibat Seneca, jam Senex, discendi gratia, et dolet *Epist.* mihi 77, paucos ad eam scholam ivisse; cum ab iis, qui *Metronactis* domum ibant, in theatro sedentes viderentur innumeri spectatores otiosi. Vide de eo in *Specimine*.

M I

Milciades Rhetor, cujus meminit M. Seneca in *Controv.*

Milciades, Christ. Scriptor (cujus mentionem faciunt Eusebius, et S. Hieron.) *Volumen* edidit doctissimum contra Gentes. Scripsit etiam contra Judaeos, et Montanistas. De eo in *Specimine*.

Militaris Ars. Vide de ea in *Specimine*. A militia immunes olim Romae erant Capitecensi et Proletarii, seu cives Romani inopes, qui prolem Romae dabant. Nonnunquam tamen militiae adscripti fuerunt difficilibus Reip. temporibus, ut accidit sub C. Mario: vide Gel. *l.* 16. *c.* 10. Vide *Juramentum*: *Jurisprudentia* in J. *Militari* arte excellere nemo potest, nisi qui fuerit imbutus Historia, Geographia, Geometria, et Oratoria. Ita Boccalinus in *Epist.* quadam ad Caracciolum. Praefatis Artibus instructos fuisse celebres Militiae Romanae Duces nullus dubito. De *Militari* obedientia, vide *Tiburtius* in T. Inter Romanos cum multitudo in Exercitu graviter delinquebat, decimusquisque occidebatur, jacta sorte, ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniret.

Mimi: vide *Gestus* in G: *Demetrius* in D: *Histrio* in H. Vide item dicta de *Mimis* in *Specimine*. Cassiodori aetate adhuc Romae *Mimi* erant, ut ex ejus *Epistt.* constat. Vide *Pantomimi* in P.

Mimnermus, de quo Horat. *Epist.* 7. *l.* 1. Elegans Scriptor fuit, Hieronymi Phil. sectam, quae summum bonum in indolentia statuebat, commendans. Ita Porphyrio.

Minutius (Spurius) Pont. Max. quid dixerit Postumiae, Vestali, incestus accusatae, et absolutae? tradit Plut. *de Utilitate ex inimicis capienda* agens. Eam admonuit, ut loqueretur, quemadmodum vivebat, honeste scilicet, et pudice,

Corollarium.

Missilia, seu Dona Imperatorum ad Pop. in theatro missa. Vide de his Senecae *Epist.* 74. Ubi de damnis accipientium: et Suet. *in Vitis Imperatt.* Vide *Globuli* in G.

M N

Mnesarchus Phil. vide *Dardanus* in D.

Mnester, Histrio, cui, ejus forma capta Messallina Claudii Caesaris uxor, statuas erexit, et ad adulterandum cum ea invitum coegit, impetrata a marito nondum impudicae uxoris vitae gnaro, jussione, ut ei Mnester obediret.

M O

Modestia conjuncta cum Eloquentia in Adolescente studioso nihil admirabilius. Ita Cic. *de Off. l.* 2.

Modestus, vir doctissimus omnes Marcionis haeretici fallacias detexit contra eum scribens. Ita Eusebius.

Moneta vide *Metalla* supra, et *Nummus* in N.

Moralis, seu Ethica Disciplina, complectens Monasticam, Oeconomicam, et Politicam, a multis antiquis Romanis fuit illustrata, quorum non pauca *Opera* desiderantur.

Corollarium.

Mors voluntaria: vide *Suicidium* in S. Seneca *Ep.* 78, multa viro sapiente parum digna de ea dicit loquens de quodam Tullio Marcellino aegrotante. Plato voluntariam mortem probat; sed sensu alio, atque Stoici. Dicebat Plato, hominem debere sibi mortem procurare; non, qua Animus a corpore sejungitur, sed qua a corporeis voluptatibus Animus separatur. Idem, sed sublimiori sensu docet S. Paullus *cap.* 8. *Epist. ad Romanos*. Haec mortem enim refert ad aeternam felicem vitam, si, Dei gratia adjuti, spiritu facta carnis mortificaverimus. Stoici, dum se occidendo fortes videri volunt, imbecillitatem suam palam faciunt, sese superatos, et devictos fatendo a vitae infortuniis: quod Seneca sibi contradicens videtur agnovisse de Fannio Caepione loquens. Quid senserit Martialis de iis, qui se occidunt? alibi diximus: vide *Artabanus* in A, et *Latro* in *Specimine*, ibidemque *Suicidium* in *S*. Ausonius *Epig.* 34.

Miramur periisse homines? Monumenta fatiscunt
Mors etiam saxis, Nominibusque venit.

M U

Mucianus, Orator. De ejus *Oratione* ad Vespasianum dubitantem, an admitteret Imperium ei oblatum ? vide Tac. *l.* 2. *Hist.* De eodem tradit Tac. fuisse eorum, quae agebat, et dicebat, arte quadam ostentatorem. Reconciliatus non bona fide cum aemulo suo *Ant. Primo*, amicos ejus sibi devinxit, et ei eripuit, procurando eisdem Praefecturas, et Magistratus, simulans, se id facere in *Ant. Primi* gratiam. Ast forsitan haec fuit Taciti sinistra interpretatio. Solet enim Tac., ut magnus Politicus videatur, omnia in deterius vertere. Vide de eo in *Specimine*, ubi de *Mucianis* aliis.

Mucius (C.) Augur, multa Ciceroni narrabat de C. Laelio, socero suo. Vide Cic. de *Amicitia*. Me latet, sitne hic *Mucius*, seu *Musius* citatus a Gellio *l.* 14. *c.* 8. NN, ut Jurisconsultus, et Scriptor.

Mummius (L. et Sp. Fratres). Horum *Orationes* exstabant Ciceronis aevo. Ambo in numero mediocrium Oratorum a Cic. recensentur in *Bruto*. De *Lucio* ait, simplicem fuisse et antiquum. De Spurio autem non ornatiorem, sed tamen adstrictiorem fuisse, ac doctum ex disciplina Stoicorum.

Mummius (L.) *Achaicus* dictus ex devicta Achaia: vide *Statuae* in S.

Munatius, Trib. pl. Miloni, qui Clodium occidit, contrarius, Ciceronis auctoritatem in caussa Milonis criminatus est. Vide Cic. in *Orat. pro Milone*. Hujus filius forsitan fuit Munatius, de quo in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Mundus. Ethnicorum Philos. de *Mundo* errores innumeri legi possunt apud Plut. de *Placitis Philos.* quos errores devitassent, si libros Mosis legissent. Mundi et humani generis mala, et errores ridebat Democritus, quae continuis lacrymis deplorabat Heraclitus. Quid de his Philos. senserit Seneca? vide *lib.* 2. *de Ira*, et Menochium *Cent.* 2. *c.* 84, ubi multa, legi digna de hoc risu, et de lacrymis. Vide etiam Vieirae, et Catanaei Jesuitarum *Dissertationes* contrarias, coram Christina, Regina Sueciae doctissima, Romae recitatas. Vide demum Juven. *Sat.* 10. Homo *Mundus parvus* merito dicitur, et secundum S. Gregorium M., omnis creaturae nomine intelligi potest. Ethnici Romani sapientiores demonstrabant Supremi Numinis existentiam, et providentiam contra Epicureos ex Mundi fabrica, et ornatu, et haec demon-

stratio ad captum omnium, etiam rudiorum, est imprimis accommodata.

Muraena (L.) accusatus se defendit. Ita Cic. in *Orat. pro Flacco*. Pro eo oravit Cic. qui militari arte clarum fuisse ostendit, et consulatu dignum. Videtur absolutus evasisse: nam an. sequenti Consulatum gessit. Jam Cos. accusatus fuit a Catone, et a Cic. defensus. Ignoro fuerit ne hic *Licinius Muraena*, uxoris Mecaenatis frater? quem solatur Hor. *Ode* 7. *lib.* 2. sub *Licinii* nomine: vide *Proculejus* in P: *Saltatio* in *S*. De eo in *Specimine*.

Mus (P. Decius), Orator, suasit *Legem Obgulinam de Sacerdotiis*.

Musa (de quo in *Specimine*) *Antonius* dictus, Augusti Medicus, Aug. sanavit balneis aquae frigidae, sciens, aquam calidam ei non profuisse. Augustus praeter ingentem pecuniae summam, jus ei largitus fuit aureorum annulorum, et in ejus gratiam Medicis omnibus immunitatem, et vacationem a publicis muniis concessit.

Musa (Apollonius) citatus a Plin. floruit sub Augusto. Forsitan hic erat Augusti Medicus, patria, non nomine, *Apollonius* dictus.

Musanus Episcopus elegantem librum scripsit contra Encratitas. Ita Eusebius.

Musica, a Musis dicta, (de qua, ut et de Musicis instrumentis agit Arist. *l.* 8. *Politic.*) apud veteres magno fuit in pretio, adeo ut indocti haberentur, seu Amusi, qui Musicae erant imperiti. Verisimile arbitror, Romanos ex Graecis, hos ex Hebraeis Artem hanc, et musica instrumenta accepisse. In sacris litteris multa, et varia musica instrumenta recensentur, et ante diluvium Jubal Pater canentium cithara, et organo, seu horum instrumentorum inventor, dicitur *Genesis c.* 4. De *notis Musicis*, quibus utebantur Hebraei, Graeci, et Romani antiqui, nihil comperi: nec ante Aretinum, quibus notis in templis ad cantum uterentur Christiani, exploratum habeo, licet notum sit, S. *Greg. M.* cantum Ecclesiasticum pueros docuisse, et *Vitalianum* Papam, Musicum insignem, electum an. Christi 657. cantum instrumentalem, figuratum, et organa in templa induxisse, si vera narrant Platina, et Volaterranus. De *Musicae* Artis excellentia vide Feyjoonium, alibi citatum, *tom.* 4. *Epistt. erudit. Ep.* 1. Cassiodorus post S. Aug., Censorinum Licentium, et Albinum, de Musica scripsit, de qua etiam Plut., et Macrob. Vide *Apulejus* in A. Qualis *Musica* sit laude di-

gna,

gna, quaenam respuenda? vide Quint. *l.* 1. *c.* 17, et Sen. de *Brevitate vitae c.* 12. Veterum Roman. epulis fides, et tibias adhibere moris erat. Plato ajebat: mutatis *Musicae* modis immutari statum Civitatis, ac multas Graeciae urbes in mores molles, et effoeminatos prolapsas ex cantu parum virili, et valde effoeminato.. Vide *Aegyptii* in A. *Musica* in *Specimine*. De ea insigne Opus edidit Romae Hispanus N. Eximeno, olim in Hispania Regius Matheseos Professor, ut etiam de ea multa N. Arteaga, Hispanus in Opere laudatissimo, sermone Italo inscripto: *Revoluzione del Teatro Musicale Italiano*.

Musonius, gravis Phil. Ejus dictum de Pseudophilosophis, quod nostri aevi Antichristianis Philos. quadrat: vide *Voluptas* in V. Dicere quidem solebat: ferae, non hominis esse quaerere, quomodo morsus pro morsu, malum pro malo reddatur. Vide de eo dicta in *Specimine*.

Musonius Episc. Vide *Synodus* in S.

Mutianus citatur a Plin. *l.* 11. *c.* 37, ut tradens, a se visum hominem, *Zanclem* dictum, cui renati fuerunt dentes an. aetatis 104.

Muti. Ars, qua Muti loquaces fiunt, ignota Romanis antiquis fuit. Eam novit, et exercuit Petrus Pontius Benedictinus Hispanus, vir pius, et humilis, qui obiit an. 1584: nec scimus, ante eum alteri notam: vide Feyjonum *t.* 4. *Epistt. Eruditarum*. Post eum eam docuit Vvallius Anglus Phil., et Matem., et Ammanus Medicus Helveticus. Eandem exercuit hoc Saeculo Parisiis Pereira Lusitanus. Craessi Lydorum regis filius mutus, vocalis factus dicitur, cum miles Persa in Patrem gladio irruebat ad eum ignotum occidendum, dicens *ne occidas Craessum*. Ita Val. Max. *l.* 1.

COROLLARIUM.

MY

Mysteria. Sunt multa talia in natura, quae nondum docti homines post magnum studium comprehendere, et exponere potuerunt. Vani igitur sunt conatus nonnullorum, volentium supernaturalia scrutari, et comprehendere. Vide Sen. *Ep.* 94. Multa Naturae *Mysteria* ex antiquis Scriptoribus collecta de aqua maris, fluminum, fontium, lacuum, puteorum tradit Messia *parte* 2. *cap.* 28. in *Sylva variae lectionis*. Vide *Sapientiae lib. cap.* 9.

N

S. *N**Arcissus* (cujus sacrae exuviae asservantur Gerundae in argenteo sepulchro) Gerundensis Episcopus, et urbis Patronus, Christi fidem invexit Augustam Vindelicorum in Rhetia. Afrae (in cujus aedibus demoratus fuit, et quam ad Christum traxit) avunculum illic Episcopum ordinavit: Gerundam reversus, sub Diocletiano Martyrio laureatus fuit. Me puero adhuc integrum ejus corpus perstabat post mille, et 400 annos, ex quo ejus Martyrium consummatum fuit. Saepe ejus sacrum cadaver vidi, et veneratus sum in templo S. Felicis M., Seminario Episcopali proximo, in quo educatus fui ab an. 9. aetatis ad 15.

Narcissus: vide *Pallas in* P, et in *Specimine*, verbo *Narcissus*.

Naevius (M.) Trib. pl. accusavit Scipionem Africanum antiquiorem ad Pop. Scipio pro se pauca locutus, memoravit, eo die se Hannibalem, et Poenos vicisse: proinde oportere, gratias Diis agere pro ea victoria in Capitolio: quo se conferentem, relicto Trib. pl., tota concio comitata est, et ad Capitolium deduxit, non sine contemtu Naevii Accusatoris. Ita Livius *lib.* 37. De *Naevio* Poeta, Metellorum inimico, vide in *Specimine*.

Naso (Q. Vocenius, forsitan *Vocienus*), Praetor de veneficiis Quaesitor in Caussa Cluentii, defensi a Cic. Vide *Orat.* Cic. *pro Cluentio*.

Corollarium.

Natura: Vide *Industria* in I. *Mysteria* in M. Natura ferarum ferocium arte domita vide *Ars*: *Docti*: *Magistri* in suis litt. Mart. *lib.* 9. *Epigr.* tradit Leones, et oves una pastos proprio cibo, quin leones ovibus nocerent: adeo mansueti arte Magistrorum facti. Idem Mart. *l.* 1. meminit Aquilae portantis per aera infantem, et postea eum illaesum in terra relinquentis. Statius *lib.* 2. *Sylv.* memorat, leonem instar canis servientem venatori, capiendo, et ad eum afferendo lepores, et alias praedas. Quantum *Historia Naturalis Americae* Hispanis Jesuitis debeat? notum est viris eruditis.

Naufragia. In magno mari Antiquitatis naufragium fecere mul-

multa monumenta, quae aeterna futura videbantur. Libros deperditos, vel latentes, ab Antiquis editos, naufragium fecisse in Oceano praefato dici possunt per analogiam. Veri Naufragii descriptionem, qua monentur homines, ne mari navigando se committant, vide apud Lucretium *lib.* 2, et Bartolum, celebrem Jesuitam Ferrariensem in *Symbolis l.* 1. §. 4.

Navius: Vide *Attius*, sive *Accius* in *Specimine*, et Verbo *Attius* in hoc *Lexico*.

Nautica Ars, valde utilis humano commercio, quaeque, varia navigiorum genera fabricare, et modum eadem regendi docuit, antiquis Romanis ignota non fuit. Gellius *l.* 10. *c.* 25. numerat ad 27. formae diversae navigia, quibus Graeci, et Romani, ac, ut arbitror, Poeni utebantur, propria eorum nomina non silens. Majora navigia multos remorum ordines habebant. Horat. *Ode* quadam audaciam primorum nautarum nimiam fuisse dicit: *Audax, nimium qui freta primus*: cet. Antediluvianos homines navigasse verisimile est. Ante Diluvium fabricata fuit, Dei instinctu, Noetica Navis, quae omnium navigiorum maximum, et melius architectatum dici potest. Vide *Geneseos cap.* 6. Fragmenta hujus navis, ex Armenia transportata, Constantinopoli sub Imperatoribus Rom. olim asservabantur, si vera narrant Graeci Historici. De hac Arte in *Specimine*.

NE

Necessarii nostri quinam dicantur, et quo ordine juvandi, secundum antiquos Romanos? Vide *Officia* in O.

Nemesius Emesenus Episc. in Phoenicia, S. Gregorio Nysseno coaevus, tradidisse dicitur sanguinis circuitum in *lib.* de *Natura hominis*. Videtur Medicus fuisse ante Episcopatum.

Nemesius, Presbyter Alexand. Arii damnationi, et depositioni subscripsit.

Nemesius, Cappadociae pro Romanis Praefectus Ethnicus, ut magnus Jurisperitus celebratur a S. Greg. Nazianz. qui ad eum scripsit, suadens, ut Idola colere desineret, et Christi Religionem amplecteretur.

Nepos, Aegypti Episcopus, vir eruditus, edidit librum, quo propugnabat Chiliastarum errorem. Refutatus fuit a Dionysio Alexandrino ejus amico, et laudatore. Vide *Dionysius* in D. *Liber* Nepotis vel periit, vel latet.

Neratius, Jurisconsultus scripsit *lib.* de *Nuptiis*: vide Gel. *l.* 4. *c.* 4.

Ne-

Nerius (CN.) Caestium postulavit *de ambitu*, ac eodem die ipse postulatus fuit *de vi* a quodam M. Tullio, diverso a M. Tullio Cicerone. Vide Cic. *l.* 2. *Ep.* 3. ad *Q. Fr.*

Nero (Tib.), Orator, postulavit Gabinium, et reum fecit cum bonis subscriptoribus. Ita Cic. ad Q. Fr. *Epist.* 1. *lib.* 3. Hic primus Liviae maritus fuisse mihi videtur.

Nero (Domitius) Caesar. De eo Sen. *QQ. NN. l.* 6. *c.* 8. ait, *fuisse, ut aliarum virtutum, ita veritatis amantissimum*: quod verum puto primis Imperii annis, cum Senecam docilis audiebat. Ibidem ait Seneca, misisse binos Centuriones in Aethiopiam, ut Nili originem investigarent. Praefata origo post 1500 an. ignota, tandem a Jesuitis investigata, et inventa fuit, ut in Chartis Geographicis legitur. Idem *Nero* Ludos quinquennales instituit, in quibus Oratores, et Poetae Opera sua recitabant in theatro, propositis praemiis, quae victoribus in hisce litterariis commissionibus conferebantur. Ita Tac. *l.* 14. *Ann.* Haec proculdubio decreta fuerunt suasu Senecae 7 primis Imperii annis, post quos omnibus vitiis contaminatus fuit. De eo narrat Plinius, Artem Magicam contemsisse, quia licet Magorum doctrina instructus, Deus non permisit, quidquam ea arte eum ad exitum perducere. Vide Plin. *l.* 30. *c.* 2. Paullo ante mortem *Orationem* in Senatu habuit, qua in *Vindicem*, rebellantem, invectus fuit. In ea dicebat, brevi poenas daturos sceleratos, et dignum exitum habituros: jam enim tunc multi in Galliis, et Hispaniis contra eum conspiraverant; sed videtur de se nesciens prophetasse. Nemo enim tunc ipso sceleratior, nec ultimo dignior supplicio. Vide de eo in *Specimine*.

Nerveus succus, antiquis Romanis Medicis ignotus, ut item posterioribus, ostensus fuit recentioribus a celebri foemina Hispana doctissima, *Oliva Sambuco*, cujus *nova Philosophia* edita fuit Matriti an. 1588.

Nestor, Alexandr. Gramm. Magister Marcelli, Augusti ex sorore Nepotis, de quo in M.

Nestor (M.) Mimus, et Tragoedus, quem Caligula Caesar in publico osculabatur. De eo Suet. in *Caligula c.* 55, et 57.

N I

Nicias, Libertus, ut arbitror, Ciceronis, qui de eo ut de viro docto non semel loquitur in *Epist.* ad Atticum. Vide

Ep.

Ep. 3. *l.* 7. in fine, ubi de *Piraeo*, Athenarum porto, disserit, Accersitus a Dolabella, ad eum profectus fuit, invito Cicerone, vide *Epist.* 28. *lib.* 13. *ad Att.* De eodem agit Cic. *Epist.* 29. indicans se eum de Philologis interrogasse.

Nicocles Lacon, Magister in Grammaticis Juliani Apostatae. Ita Socrates.

Nicodemus, vir nobilis inter Judaeos, et Magister in Israel, occultus Christi discipulus, scripsisse dicitur *Evangelium*, quod apocryphum habetur, seu non authenticum, et ab Ecclesia non admissum. Citatur tamen a nonnullis Historicis Catholicis. Ex eo habetur, Pilati uxorem appellatam *Proculam*. De ejus cum Christo colloquio fit mentio in Evangelio S. Joannis *cap.* 3. De *Nicodemo* constat, Pharisaeum fuisse, et Principem virum inter Judaeos. De eo fit mentio etiam *cap.* 7, et 19. *Evang.* S. Joannis.

Nicolaus, Damascenus patria, egregius Scriptor, de quo dixi in *Specimine* nonnulla. Illis addo, eum magnam curam in erudiendis famulis habuisse, optans, eos similes in moribus sibi esse quotidiana consuetudine: quo tandem impetravit, ut eos haberet non deteriores suis amicis. Vide alia in *Specimine*.

S. *Nicolaus*, Theol. citatur a Coelio Rhodig. *lib.* 15. *c.* 15. *ll. AA.* ut Auctor antiquus, qui in *Genesim* scripsit: cujus fuerit aetatis, non dicit.

Nicolaus, Myrensis in Lycia Praesul doctrina, virtutibus, et miraculis insignis, alter ex Patribus, qui Arium damnarunt in Concilio Nicaeno I. Sub Diocletiano exsilium pro Christo passus, a Constantino M. suae Ecclesiae restitutus fuit, eamque gubernans sanctissime obiit. Ejus cadaver suavissimum odorem, et liquorem spirans, surreptum fuit a nautis, et Barium, ubi asservatur, delatum. Vide Hist. Eccl.

Nicostratus scripsit de *Senatu habendo*, quod opus desideratur; sed visum fuit in arcanis Venetorum, seu in Archivo secreto, à Florentinorum legato Ruscellai, et creditur fuisse ex Card. Bessarionis Bibliotheca.

Niger (Sestius) citatur a Plin. in variis *H. N. libris*.

Niger (Pescennius) Rom. Imper. voce adeo sonora, et acuta, ut ad exercitum orans, vel verba faciens ad mille passus audiretur. Erat ei nigra cervix: reliquo corpore candidus. Militibus non permittebat, cum ad bellum ibant, aureos, vel argenteos nummos in zonis ferre. Ita Spartianus in ejus Vita. Eo sublato imperavit Severus.

Niger (Trebonius) citatur a Plinio *l.* 32. *c.* 2. *H. N.*

Ni-

Niger (Simon) Propheta , et Doctor inter Christianos Antiochenos. Vide *cap.* 13. *Act. Apost.* De aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Nigidius, Figulus dictus, vir doctissimus. Praeter Opera ejus citata in *Specimine*, edidit libros de *Augurio privato*. Ita Gel. *l. 6. c. 6*, citans praefati Operis *lib.* 1. Vide de eo in *Specimine*.

Corollarium.

NO

Nobiles dicebantur in Rom. Repub. qui notabiles rebus praeclare gestis erant: quos inter numerabantur etiam Scriptores non vulgares, disciplinam aliquam ingenuam illustrantes scriptis suis. Seneca de *Benef. l. 3. c.* 28. haec habet: *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant, noti magis, quam Nobiles sunt. Unus omnium parens Mundus est, sive per splendidos, sive per sordidos gradus ad hunc prima cujusque origo perducatur.* Vide *Novi homines infra*. Ridendi sunt qui jactanter dicunt illud Horatii:

Quod avus sibi maternus fuit, atque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarit,

dum illi otio, et luxui indulgentes nihil laude dignum agunt. Euripidis sunt haec:

Bonus mihi vir nobilis videtur.
Qui vero non justus est, licet a patre meliore,
Quam Jupiter sit, genus deducat, ignobilis
mihi censetur

Vide *Imagines* in I. *Funus* in F. *Virtus* in V. Vide etiam in *Specimine*, V. *Nobiles*.

Nobilior (M. Fulv.) Cum in Graecia imperaret, didicit, Herculem fuisse Musagetem, seu Musarum Comitem. Hanc ob rem pecunia sua post Censuram aedem Herculi Musarum in Circo Flaminio construxit, et dedicavit. Vide Eumenium in *Orat.* pro *Instauratione Scholarum*. De eodem in *Specimine*.

Corollarium.

Nomina Romanis pueris, et puellis imponebantur die lustrico, qui in masculis erat dies 9 a nativitate: in foeminis dies octavus. Praenomen puero imponebatur sumpta virili to-

toga; puellis vero cum nubebant. Foeminis Praenomina, vel Nomina imponi solebant ex ordine nascendi, ut *Prima*, *Primula*, *Primitiva*: *Secunda*, *Secundilla*: *Tertia*: *Quarta*, *Quinta* cet. quod etiam saepe fiebat cum masculis, cum plures fratres erant: unde *Primus*: *Secundus*: *Tertius*: *Quartus*: *Quintus* cet. quae Praenomina saepe inveniuntur in Romanis Scriptoribus, et in Inscriptionibus.

Norbanus (Max.) Dux Rom. Exercitus sub Domitiano, arte, et virtute sua oppressit Ant. Saturninum, qui Imperium perturbabat. Erat Martialis amicus, et ad eum mittebat Mart. *libros* suorum *Epigr.* vide *lib.* 9. *Epigr.* mihi 86.

Notae, et *Notarii*, vide Verbo *Schola*, et in *Specimine* in N.

Novatianus scripsit de *Sabbatho*, et de *Circumcisione* contra Judaeos. De hisce scriptis meminit ipse in *Exordio Operis* de *cibis Judaicis*. Meminit etiam S. Hieron. de *Scriptor. Eccles.* scribens. Vide alia in *Specimine*.

Novi homines dicebantur a Romanis, qui meritis propriis, non majorum suorum Nobiles in Repub. evadebant, ut Marius, Cicero, alii, in quibus familiae suae nobilitas initium habuit. Cicero cum *novus homo*, et *novus Arpinas* ab invidis appellabatur, ut ignobilitas ei suorum exprobraretur, respondebat: *Majoribus meis virtute mea praeluxi*. Iphicrates Athenien. Sutoris filius, et Dux insignis, cum ei origo sua exprobraretur ab invido aliquo nobili, respondebat: *Meum genus a me incipit, tuum in te desinit: meorum primus ego sum: tu tuorum ultimus*. Similia respondebat Marius nobilibus Romanis otio deditis, qui ejus novitatem sugillabant. Vide Sallustium in *Jugurtha*, ubi Marii *Oratio* pro se: vide, item *Nobiles* supra.

Novius, Poeta, (de quo nonnulla in *Specimine*) in *Ligararta licinaria*, utitur Verbo *Utor* in passiva significatione dicens: *Supellex multa, quae non utitur; emitur tamen*. Vide Gel. *l.* 15. *c.* 13, ubi de verbis communibus parum usitatis, ut *vereor*, *consolor*, *testor*, *interpretor*, *dignor*, *veneror*, *confiteor*.

Novius libertinus, et Causidicus garrulus, et clamator, notatur ab Horatio Sat. 6. *lib.* 1. videtur equestris ordinis fuisse.

NU

Numerus. Plin. *l.* 33. *H. N. c.* 10. de immensis Romanorum privatorum, et exterorum divitiis agens eas sugillando, ait:

ait: *Non erat apud antiquos numerus ultra* 100 *millia*. *Itaque hic*, *et hodie multiplicatur*, *ut decies centena millia aut saepius dicantur*. *De septenario numero multa Varro* in *lib.* de *Imagin.* vel de *Hebdomadibus*. Medici, et Astrologi magnam vim numero illi tribuunt, cum in diebus, et mensibus, tum in annis: adeout Augustus multum timeret annum climatericum. Alii inanes putant has *Numerorum* observationes. Nonnulli Virgilii illud: *Numero Deus impare gaudet*, ad Trinitatis Mysterium, cujus obscura notitia ex Hebraeis accepta apud Ethnicos erat, referunt. Quin etiam Ara *Ignoto Deo* Athenis erecta, de qua in *Actibus Apost.* Deo Trino, et Uni, ignoto Atheniensibus, quem S. Paullus enunciabat, erecta dicitur. Sed hae piae sunt interpretationes. De *Numero ternàrio* multa Petrus Ribadeneira, cultissimus Jesuita Hispanus, in *Festo SS. Trinitatis*, in suo de *Sanctorum Actis Opere*. S. Augustinus saepe de Numeris agit, multa in eis mysteria agnoscens: qua in re Pythagoricus videtur. Vide pauca alia in *Specimine*.

Corollarium.

Numus, sive *Nummus*. Vide *Pecunia* in *Specimine*, et Verbo *Numa* in fine. Recensentur variae apud Romanos olim usitatae Numorum species. *Obolus*, *as*, *denarius*, *drachma*. Erant etiam *sestertii*, et *sestertia*, *trientes*, *quinarii*, *bigati*, *victoriati*. De variis tum Graecorum, tum Romanorum *Nummis*, vide Rhodiginum *Lect. Antiq. l.* 10. *c.* 2. Erant demum Numismata, quae notabilia facta indicabant, ut victorias, triumphos, pacem, foedera, coloniarum deductiones, templorum constructiones, et dedicationes, Principum nativitates, matrimonia, sacrificia, apotheoses, ludos, creatos novos Imperatores, Coss. et alios Magistratus. In illis signatae visebantur Arae, Arcus triumphales, Templa, Imagines Deorum Dearumque, Caesarum item filiorum, et uxorum. Penes me erant in Hispania Asses, et Trientes ex materia, et charagmate adeo rudibus, et informibus, ut ex primis Romae cusis mihi viderentur. Hos *Numos* cum aliis, temporibus Caesarum percussis, quos in Catalonia, hisce antiquis Numismatibus abundante, collegeram, Matriti reliqui. Nonnulli, una cum aliquot monetis Sinensibus, dono dati generose mihi fuerant a V. Cl. Francisco Perezio Bayer, Canonico tunc Barcinon. nunc Reg. Biblioth. post egregia alia munia Praef. Haec memorando, alia illic relicta, rara, et singularia, quae Musaeum aliquod nunc forsitan

tan ornant, quaeque ex Gandiensi urbe Matritum attuleram, praeter libros aliquot, manuscripta, et utensilia alia necessaria, menti succurrunt: quae utinam memoria excidissent: sed nemo adhuc Artem obliviscendi, a Themistocle concupitam, invenit.

Numularius, seu Trapezita. Galba, ante Imperium Hispaniis Praefectus, fraudulentum *Numularium* manuum amputatione multavit, amputatasque mensae ejus affigi jussit. Ita Suet. in *Galba*.

O

OBtatianus, forsitan *Optatianus* (Publius). Poeta. Cum jussu Constantini exularet, scripsit in laudem Victoriarum Constantini Magni bina Poemata, quae gratissima Principi fuerunt. In altero ex Poematibus orabat Constantinum, ut eum patriae restitueret, filiumque videre ei liceret: quod a benigno Imperatore impetravit scriptis ad eum gratiosis litteris.

Obstetricandi Ars, ad Medicinam Manuariam spectans, et humano generi utilissima, ignota antiquis Romanis non fuit. Eam discere potuerunt ex Graecis, et hi ex Hebraeis, et Aegyptiis, de quorum obstetricibus fit mentio *Exodi c.* 1. Desiderantur *Scripta* a Romanis antiquis de hac Arte. Sunt qui dicant, *Obstetrices* peritas ex nodis umbilici infantis recens nati praesagire numerum filiorum, quos puerpera deinceps paritura sit: quot nodi, tot filii. Id ex Albumasare Arabe narrat Cael. Rhod. in *Antiquis* suis *lectionibus*. Socrates *Obstetricis* filius fuisse dicitur. Plinius *lib.* 28. *c.* 7. citat *Sotiram* quamdam *Obstetricem* indicantem efficacissimum contra tertianas, et quartanas febres remedium.

Obtrectatores. Apulejus in *Floridis l.* 1. ait: *In magna civitate hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint, quam imitari, et quorum similitudinem desperant, eorum affectant simultatem*. Philippus Macedo *Obtrectatoribus* suis Athenien. gratias egit, dicens, se daturum operam, ut illos mendacii argueret dictis, et factis suis. Plutarchus scripsit doctissimum Tractatum de *Utilitate*, quae percipi potest ex inimicis, maxime ex obtrectatoribus.

Octa-

O C

Octavia, soror Augusti Caesaris, Mater Marcelli, foemina lectissima, et Augusto valde chara. Vide *Virgilius* in V.

Octavius (CN.) Cos. Ejus eloquentia ante Consulatum parum nota, in Consulatu fuit multis *Concionibus* vehementer probata. Ita Cic. in *Bruto*.

Octavius, sive *Octavianus*, postea *Augustus Caesar*, post necem J. Caesaris, avunculi, *Orat.* adolescens habuit ad Populum, cujus exemplar se exspectare scribit Cic. ad Att. *Ep.* 23. *lib.* 14. De oculorum ejus splendore, vide *Augustus* in A, et in *Specimine* de eo multa.

O E

Oeconomia. Multa de *Oeconomicis*, ad Philosophiam Actuosam spectantibus, scripsere veteres Romani. Cicero *Oeconomica* Xenophontis in Latinum vertit, ut dictum est. De eisdem Cato Censorinus in suis libris *de re Rustica*, ut etiam Columella, et alii, quorum *Opera* desid. Cic. ad Att. et *Q. Fr.* scribens de *Oeconomicis* saepe agit. Ex nonnullis *Epistolis* ad Q. Fr. absentem novimus, Tullium curasse de aedificio novarum aedium fratris, vel de antiquis renovandis, eumque Architecturae non imperitum fuisse.

O F

Offellus, quem sapientem, sed rusticum, et abnormem vocat Horatius, varia tradebat praecepta de frugali victu, et de variis gulae erroribus, et flagitiis. Vide Hor. *Sat.* 2. *lib.* 2.

Officia propinquis, et necessariis debita hoc ordine praestabant veteres Romani. 1. Parentibus. 2. Pupillis, seu iis quorum erant tutores. 3. Clientibus. 4. Hospitibus. 5. Cognatis, et affinibus. Ita ex antiquo more Roman. Gel. *l.* 5. *c.* 13.

Offilius, antiquus Jurisconsultus. Ejus de *Servo fugitivo* definitio affertur in *Pandectis*, tit. de *Aedilitio edicto*.

O L

Olibius, sive *Olibrius* (M.) Patavii inventa fuit urna fictilis effossa, intra quam erat lucerna conservata per multa secula accensa liquoris cujusdam beneficio. Urnae inscripti legebantur versus isti:

Plu-

Plutoni sacrum munus ne attingite fures:
Ignotum est vobis hoc, quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico Maximus Olibius.
Adsit foecundo custos sibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Haec ex Scardeoneo in *Hist. Patavina*. Ex his versibus colligo, *Olibium* magnum Chimicum fuisse. Id non probo, quod nobis inviderit illius laticis nomen, et naturam: seu ex quibus simplicibus hanc *Quintam Essentiam*, ope ignis, expresserit.

Ollius, Orator, edidit *Laudationem Porciae*, uxoris Bruti, quae, cognita mariti morte, ignitos carbones deglutiens, se occidit. De *Porcia*, se ita occidente, in Martiale est *Epigr.* Eam laudavit etiam Varro post mortem. *Ollii*, et Varronis *Laudationes* optat Cicero, sibi ab Attico mitti. Vide *Ep.* 47, *l.* 13. Laude dignior fuisset, si cognatis, ejus suicidium, remotis ferro, et veneno, impedire studentibus, morem gessisset.

Olympius, Medicus Methodicus, Apollonidis magister.

Olympias, ad quam S. Chrysost. *Epist.* scripsit, forsitan erat neptis Ablavii, Armeniae regi nupta, de qua V. *Ablavius* in *Specimine*.

O M

Omina, Ostenta, Portenta, Oracula, Auguria, et vanae aliae observationes Romanorum sui temporis, earumque Interpretes irridentur a Cic. in *Libris de Divinatione*. Vide *Divini* in D. Plin. item in sua *H. N.* saepe fidem habentibus hujusmodi vanitatibus subirascitur.

Omulus. Hujus aedes cum inviseret Antoninus Pius Imper., et eum interrogaret, unde porphyreticas columnas, quas illic videbat, habuisset? Respondit nimis libere, et parum urbane: *Cum in alienam domum veneris, et mutus, et surdus esto*: quod dictum aequo animo tulit Antoninus, humanitatem suam, parum usitatam a praecedentibus Imperatoribus, palam faciens.

O N

Onesimus, Philemonis servus fugitivus, Romae S. Paulli factus discipulus, et ab eo baptizatus. De eo in *Epist.* S. Paulli *ad Philemonem* Christ. et amicum S. Paulli. Redux benigne acceptus a Patrono fuit, et libertate donatus. Erat

vir doctus, et ob suam virtutem, et excellentem doctrinam post S. Timotheum Ephesinus Praesul fuit creatus. Eum laudat S. Ignatius M. in *Epist. ad Ephesios*. Martyrio laureatus fuit sub Trajano. Vide Hist. Eccl.

O P

Ophilius, qui de Medicina scripsit, citatur a Plin. *l.* 28.

Corollarium.

De monstrosis opinionibus Epicureorum prisci, et nostri aevi.

Opiniones. Sunt qui monstra *Opinionum* adoptant, non aliter, quam distortis aut quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis, quae nihil ex communis habitus bonis perdiderunt. Ita Quintil. *l.* 11. *c.* 5. *Instit. Orat.* Nonnulli non modo haec monstra *Opinionum* mente, et animo adoptant, sed ea scriptis suis exponere, et aliis suadere gloriosum putant. Imitantur illi Carthaginienses, qui in foro ostendebant, optimo penicillo depicta, singularia monstra ab Historicis, vel Mythologis narrata (vide S. Aug. de Civit. Dei *l.* 16. *c.* 8.)

Quì mille immonde Arpie vedresti, e mille
Centauri, e sfingi, e pallide Gorgoni:
Molte, e molte latrar voraci Scille,
E fischiar Idre, et sibilar Pitoni:
E vomitar Chimere atre faville,
E Polifemi orrendi, e Gerioni,
E in novi mostri, e non più intesi, e visti,
Diversi aspetti in un confusi, e misti. Tassus.

Non desunt qui haec percommode aptari posse arbitrentur Opusculis nonnullorum nostri aevi Philosophorum, quae valde similia foro Carthaginis, supra memorato, esse dicunt: cum in illis cernere liceat non modo accurate, et artificiose exposita, sed probata, et magno in pretio habita ab Auctoribus, *Opinionum monstra*, ad quae Ethnici cordatiores exhorrescerent. Sed monstra majora non paucis videntur ipsi Philosophi, qui et Christianos se appellant, et Christiana dogmata irrident, ac audacter impugnant. (Vide *Epicurei*, *Materialistae*, *Philosophi*, *Voluptas* in suis litteris). Monstra haec *Opinionum* multis mendaciis ornata invenies in dictis *Operibus*: nec turpe putant mentiri ad opiniones suas incautis lectoribus suadendas, qui ea scribunt.

Ora-

O R

Oracula Ethnicorum, vide *Divini* in D.

Orationes. Ciceronis aevo variorum Oratorum, tum aequalium, tum antiquiorum *Orationes* collectae edebantur. Ita Cicero in *Bruto*, ubi saepe queritur, quod multorum Oratorum *Orationes* jam suo tempore periissent. Ipse vero multas multorum collectas ad usum suum habebat.

Oratores. De his, et de Poetis, qui inter antiquos Romanos florebant, dicere poterat Vellejus Paterc. *Alit aemulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit*: quod de omnibus artium, et disciplinarum cultoribus dici posse experientia nos docet. Non Poetae solum, sed Oratores, et Scriptores alii Horatii monitum prae oculis habere debent:

Quae desperent tractata nitescere posse, relinquant:
Illud etiam ut unusquisque secum reputet: *quid ferre recusent, quid valeant humeri*. Vide *Demosthenes* in D, et V. *Oratores* in *Specimine*. Vide item *Disceptationem de Rhetorice, et Dialectice* in fine hujus Operis. De Demosthenis *Orationibus* dicebat Quintil. nihil illis addi, nihil demi posse. Dixi alibi, Demosthenem gladiorum fabri filium fuisse. En testimonium Juven. *Sat.* 10.

Dis ille adversis genitus, fatoque sinistro:
Quem pater ardentis massae fuligine lippus,
A carbone, et forcipibus gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano ad Rhetora misit.

De *Oratore* quodam aiebat Domitius Afer: *Homo in agendis Caussis optime vestitus*. Quintil. *l. 6. c. 3.* tradit, *Oratoribus* licitum esse parabolis, fabulis, apologis uti. Iis usus Demosthenes: iis Menennius Agrippa. Quamobrem nonnulli *Oratores* scriptas non ediderint *Orationes* suas, et cur nonnullorum *Orationes* auditae placuerint, lectae autem non placuerint? tradit Cicero in *Bruto*. Vide *Eloquentia* in *Specimine*.

Orestae (L. et C. Aurelius) aliquo in numero Oratorum fuere. Ita Cic. in *Bruto*. Forsitan fratres, vel admodum propinqui erant.

Origo, celebris Mima Horatii aevo, in quam Marsaeus patrimonium suum impendit. De ea Horat. *Sat.* 2. *libri* 1.

Ornatus foeminarum debet esse sobrius, et verecundus: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. Ita S. Paullus in *Epist. ad Timotheum*. Tertulia-

lianus, vir austeri ingenii, scripsit *Tract.* de *Cultu foemin.* in quo Christianas Carthaginis foeminas acriter reprehendit ob immodestum Ornatum, quo oculos, et suspiria adolescentum post se trahebant. Vide Jeremiam Prophetam *c.* 3. *v.* 18. ubi varia Hebraeorum foeminarum ornamenta memorantur, ut etiam in *libro Judithae*. Vide Tiraquellum in 3 *legem Connubialem*, ubi invenies prolixum catalogum Ornamentorum mundi muliebris ad aliquot centena nominum diversorum. Vide demum Menoch. *Cent.* 2. *c.* 38. et verbo *Luxus* in L.

OS

Osius, sive *Hosius*, Cordubae in Hispania Episcopus (de quo in *Specimine*, verbo *Hosius*) afflictus, attritusque in decrepita aetate ab Arianis, cum Ursatio, et Valente Episcopis Ariana labe infectis communicavit. Verum S. Athanasium neutiquam damnavit, et moriens Arianam haeresim detestatus est, vetuitque a quoquam probari, aut recipi. Ita S. Athanasius.

OT

Otho (L. Roscius) legem theatralem tulit de 14 ordinibus, in quibus sederent Equites.

Otho, Imperator creatus, multas habuit *Orationes*, quas memorat Tacit. *l.* 1. *Hist.* Inter eas memorabilis est, quam habuit cedens Vitellio Imperium, ne plus Rom. sanguinis effunderetur, ac ut civile bellum cessaret, licet Plotius Firmus eum ad bellum accenderet, ut Imperium retineret. Ante mortem, quam sibi conscivit, binos *libellos*, seu *codicillos* exaravit, quibus sororem solabatur.

Otium: vide *Labor* in L. Scipio, et Laelius, Cajetae commorantes, in maris littore per otium, laxandi animi ergo, conchilia, et lapillos colligebant. Vide *Augustus* in A. Ex Otio Cupido natus. Ita Petrarcha de Cupidine canens:

Ei nacque d'Ozio, e di Lascivia umana,
Nutrito di pensier dolci, e soavi,
Fatto Signor, e Dio di gente vana.

Amasis, Aegypti rex, morte afficiendos decrevit eos, qui apud Praefectos Urbium probare non possent, se artem aliquam certam, et honestam profiteri. Otio enim deditos perniciosos Cives putabat. Romae Censores poena aliqua otio indulgentes affecisse crediderim.

Ovatio, Triumpho proxima. Vide Gel. *l.* 5. *c.* 6. Decerne-

nebatur a Senatu Rom. iis, qui incruenta victoria vicissent, vel cum humili hoste, cum servis nempe, vel cum piratis pugnassent, vel tandem cum bellum, a quo victores redierant, non recte fuerat indictum, seu inauspicato decretum.

O V

Ovidius, Poeta insignis, de quo multa in *Specimine*. Obiit in Ponto eodem quo T. Livius die Kal. scilicet Jan. Vide Coel. Rhod. *ll. AA. lib.* 13. *c.* 1. ubi non pauca de *Ovidio* ex Apuleii fragmentis.

P

PAconius, Rhetor, et Magister filiorum utriusque Ciceronis, Tullii scilicet, et Quinti ejus fratris. Eum bonum, et valde exercitatum dicit Cic. *Epist.* 3. *l.* 3. *ad Q. Fratrem*.

Paedius, vir Consularis, in Pictura cum laude se exercuit, quo tempore Romae haec Ars in honore erat.

Pagathus (Vettius) optimus Christianus inter suos nobilissimus, et eruditissimus, videns tormenta, quibus Christiani Viennae, et Lugduni afficiebantur, rogavit Judices Ethnicos pro Christianis loqui, ostensurus, nihil impietatis ab eis commissum, et injuste contra eos agi, ob quod Martyribus adjunctus fuit.

Palladius, Monachus Galata, amicus Ruffini Aquilejensis, et Origenista, scripsit *Historiam* dictam *Lausiacam*, quia ad Lausum Praef. directam. In ea multa tradit in Eremo a se visa, et audita ad Eremitarum vitas spectantia. De eo S. Hieron. et Socrates, qui tradit, fuisse Evagrii discipulum.

Palladius, sub Theod. Imperat. Veredarius insignis, tanta corporis firmitudine, et in equis Veredis agitandis dexteritate, ut triduo limites Imperii Rom. et Persici a Constantinopoli egressus contingeret, rursusque, triduo altero, a Perside Constantinopolim repeteret. De eo dicebatur, angusta esse spatia Imperii Romani ejus velocitati. De aliis hujus nominis vide in *Specimine*.

Pallas, libertus Claudii Caes. eidem valde charus. Ejus suasu Claudius, licet legitimum, et naturalem filium Bri-

tannicum ex Messalina, prima uxore, haberet, Neronem, Agrippinae, secundae uxoris, filium ex alio marito adoptavit. Narcissus Pallantis aemulus *Pallantem* appellabat Agrippinae adulterum. De eo in *Specimine*.

Pamphilus. M. scripsit contra Fatum Astrologicum. Ita Gennadius in *Script. Eccles.* Vide de eo alia in *Specimine*.

Pancrates, Magus, de quo multas praestigias narrat Lucianus in *Pseudophilo*, seu *Philopseudo*. Vide Martinum del Rio *Disq. Magic. l. 6. Monito* 4.

Panaetius, Philosophus, scripsit *lib. de Providentia*, qui liber mittendus erat ad Ciceronem a Philoxeno. Vide *Ep.* 8. *ad Att. lib.* 13. De eo in *Specimine*.

S. *Pantaleon* M. Medicus, sub Probo Imper. Rom. insigni martyrio coronatus sub Maximiano.

Pantomimi, et Histriones Roma ejecti a Domitiano, restituti a Nerva, denuo a Trajano ejecti fuerunt: vide *Paneg. Trajani* a Plinio Caecil. dictum. Vide insuper S. Aug. *lib.* 2. *de Doctr. Christ. c.* 3. Cassiodorum *Variarum lib.* 4. *Epist.* ult. Sub Tiberio Senatoribus vetitum fuit, *Pantomimorum* aedes introire, et *Histriones* comitari. Ita Tac. *l.* 1. *Ann.* Massilienses *Mimos* in Civitatem suam non admittebant. Vide alia, verbo *Mimi*, in *Specimine*.

Panurgus, servus C. Fannii Chereae, communis factus cum Q. Roscio Comoedo ea lege, ut in Arte histrionica a Roscio institueretur, et quaestus ex eo postea communis esset. Comico artificio institutus *Panurgus* occisus fuit a Q. Flavio. Vide Cic. in *Orat. pro Roscio Comoedo*, in qua agitur de lite inter Roscium et Chercam.

Papirianus scripsit de *Orthographia* ante Cassiodorum, a quo citatur.

Papirius (L.). Vide *Fregellanus* in F. *Papiriorum* nomen scribendum per *i* latinum tradit *Cellarius* ex antiquis monumentis.

Paris, Pantomimus, Domitiano olim gratissimus, (de quo in *Specimine*, verbo *Juvenalis*, et v. *Statius*) occisus fuit jussu Domitiani ob adulterium cum Domitia, Domitiani uxore. Eam repudiavit Domitianus: postea eam iterum accepit, quia agnovit Populum in eam propensum, et de divortio illo male sentientem: forsitan quia putabat falso adulterii accusatam. Non liquet, an ob *Paridis* creditum delictum, vel ob caussam aliam *Pantomimos* Roma expulerit Domitianus. De eo in *Specimine*.

Pases, Magus insignis, de quo Suidas ex Appione narrat, eum repente sumptuosa convivia exhibere solitum, quae, cum libebat, statim praestigiis suis evanescere faciebat. Idem *Pases* cum aliquid emebat, soluto pretio, mox nummi a venditore ad eum redire cernebantur.

Passienus (Crispus). Seneca in *Praef. ad l.* 3. *QQ. NN.* de eo haec habet: *quo nihil novi subtilius in omnibus rebus: maxime in distinguendis, et curandis vitiis*. Ex quibus intelligere est, eum de Moribus scripsisse. Habuit Scholam domesticam, seu privatam, ut Cicero, et Afer. In ea *Oratoriam* auditoribus suis tradebat. Erat Rom. Eques ditissimus, qui uxorem habuit Domitiam, de cujus dote litigavit cum fratre ejus Aenobarbo, ut indicat Quintil. *l.* 6. *c.* 3. Postea fuit Agrippinae Maritus, priusquam ea Claudio nuberet. Vide *Agrippina in* A. Elatus fuit publico funere. Vide Sueton. et dicta de *Passienis* in *Specimine*.

Passiones: vide *Cupiditas* in C.

Patera, Orator insignis in Gallia, cujus *Orationes* non comparent.

Paterculus (C. Vellejus). Ejus Historia inventa fuit a Rhenano. Vide alia de eo in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Patria. Multi ex Romanis antiquis, cum florebat Resp. patriae amore insignes fuerunt, et nonnulli, ut *Decii*, spontanea morte obita, se pro patria devovere non dubitarunt. Vide *Fabius* Max. in F. Cic. ut Reipub. bono consuleret, improborum civium odia in se concitavit, Clodii praesertim, Catilinae, et M. Antonii Triumviri, quorum primus exsilium, postremus necem ei, inito Triumviratu, inflixit; aegerrime ferentibus bonis civibus hunc exitum Ciceronis, cujus merita singularia in Rom. Rempub. notissima erant. Similem exitum habuere alii de Rep. optime meriti, et qui gloriosa, et utilia pro patria gesserant. Nunquam deerunt invidi, et malevoli, qui Viros bene meritos, et verbis, et factis insectentur, eisdemque detrahant, cum illis aequari meritis, et gloria desperant. Vide *Exules* in E: *Obtrectatores in* O. Non patria, sed meritum in viris spectandum ad praemia, et laudes. Vide *Meritum* in M. Ovid. *l.* 1. *de Ponto Ep.* 3.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Patriciatus. De hac dignitate Cassiod. *Variarum l.* 6.

Paullinus (C. Suet.) Rom. exercitus Dux in Britannia, Corbulonis aemulus. De eo, de ejus dictis, deque *Orat.* ejusdem ad milites suos, in magno discrimine positos, vide Tac. *l.* 14. *Ann.* De eo, et de variis hujus nominis in *Specimine*.

Paullinus, Jurisconsultus, et Ravennae Judex, Vitalem, SS. Gervasii, et Protasii patrem comprehendi, et torqueri jussit, quia Ursicinum Medicum Christianum titubantem in tormentis, quae pro Christo sustinebat, verbis suis animavit. Vitalem in profundam dejectum foveam lapidibus obrui imperavit. Apud Benedictinos Ravennae exstat insigne templum, ubi theatrum olim erat, cujus figura servatur, constratum, et ornatum pulcherrimis, et affabre laboratis marmoribus (intra quod est fovea illa) S. Vitalis nomine Deo O. M. dicatum.

Paullus (L. Aemilius) Vir Consularis, inter primum, et secundum Consulatum rerum publicarum cura vacuus, totus fuit in instituendis filiis Romana vetere disciplina. Eis dedit optimos Praeceptores, a quibus omnibus bonis artibus imbuerentur, etiam in pingendo, equitando, et venando, ipseque intererat eorum exercitationibus, nisi cum Resp. aliud exigeret. Ita Plut. in ejus *Vita*. Vide alia de eo in *Specimine*.

S. *Paullus* Apostolus scribens ad Corinthios ait, se omnium, qui Corinthi versabantur, linguis loqui. Erat autem Corinthus Graeciae emporium, portum ad duo maria habens, et Mercatorum copia redundans. Vide de *S. Paulo* alia in *Specimine*, et de aliis ejusdem nominis.

Paullus, Antiochenus patria, veterum haereticorum sectator, adoptatus a divite Christiana foemina (quae puerum discendi cupientissimum Origenem post patris martyrium domi alebat) ad quem Alexandrini innumeri etiam ex Catholicis ob famam eruditionis, et doctrinae tanquam ad insignem magistrum concurrebant. Ad hunc tamen audiendum nunquam ire voluit puer Origenes ejus errores praesentiens. Ita Eusebius *Hist. Ecclesiasticae lib. 6. cap.* 2.

Paupertas: vide *Divitiae*, *Aurum*, *Luxus*, in suis litteris.

Magnum Pauperies opprobrium, jubet
Quid vis, et facere, et pati,
Virtutisque viam deserit arduam. Hor. *Ode* 24. *l.* 3.

Pedo,

P E

Pedo, Poeta, quem doctum appellat Mart. *l.* 2. *Epigr. in Cosconium*.

Peduceus (Sextus) cum doctus, tum omnium Vir optimus, et justissimus appellatur a Cic. *de Finibus l.* 1. De eo alia vide in *Specimine*.

Pelignus, Cl. Caesaris Scurra dicacissimus, et non indoctus, factus Cappadociae Praef. pecunia fuit corruptus a Rhadamiste. Ita Tac. *Ann. l.* 12.

Pelops, professione Medicus, Galeni Magister, Vir gloriosus, qui jactanter dicebat, se omnium rerum caussas, et effectus nosse. Ita Coel. Rhod. *l.* 11. *c.* 13. *ll. Ant.*

Peregrinus, Philosophus, *Proteus* dictus, quia varias formas, et figuras in vita sumpsit, ut homines falleret. Primum Ethnicus ob delicta sua patriam Insulam Paron relinquens, egestate pressus ad Christianos, in egenos profusos, confugit, et Christi fidem amplexus est, ut divitias cumularet Christianorum liberalitate. Non Christianus solum, sed doctor Christianorum factus, nonnulla scripsit pro Christiana religione, pro qua etiam in carcerem fuit inclusus, et catenis oneratus, ubi a Christianis abunde alebatur, et tandem Christianorum opera, e carcere, et vinculis solutus fuit. Christianorum eleemosynis dives in patriam rediit, ubi Idololatriam iterum est amplexus, et, insana gloriosi nominis cupiditate, Pisas ductus ad ludos Olympicos, illic se vivum sponte sua cremavit. Vide Lucianum, qui de ejus morte scripsit: vide etiam Menochium *Cent.* 2. *c.* 27. qui haec refert ex Luciano. Vide de eo alia in *Specimine*. Gel. *l.* 12. *cap.* 11. nonnulla ejus dicta affert, quae ex Christianis discere potuit. Aiebat: peccandum non esse, etiamsi peccatum Diis, et hominibus celari posset, justi, et honesti studio; suadebatque Sophoclis versus illos in ore semper et mente omnes habere.

Nihil occulte, quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia revelat dies.

Perpenna, Graecus natione, militari arte clarus, Romae Cos. factus fuit, teste Val. Max. quin Civis Rom. esset, caducumque vocat Valerius ejus Consulatum, et triumphum, quem putat ipsi decretum, quia Aristonicum regem vicerat. Nonnulli Rom. Hist. tradunt, eum de Aristonico triumphum Romae egisse. Verum Eutropius narrat, Aristonicum jussu

su Senatus in carcere strangulatum, et Perpennam cum Romam rediret, Pergami obiisse.

Petilianus videtur scripsisse pro *rebaptizandis haereticis*. Eum enim refellit S. Aug. de *Unico Baptismo* scribens.

Petilius (Q.) et ejus frater accusarunt P. Scipionem Africanum, quo tempore ejus erat inimicus T. Sempr. Gracchus Trib. pl. Verum hic, deposita simultate, Scipionem laudavit, et Accusatores probris a Populo fuerunt vexati ob suam invidiam in Scipionem, de patria optime meritum. Vide Livium *l.* 38.

S. *Petronius*, vide *Felsina* in F.

S. *Petrus*, Apostolorum Princeps. Verisimile est alias *Epist.* eum scripsisse, praeter eas, quas habemus.

S. *Petrus* Alexandrinus, de quo in *Specimine*, scripsit de Divinitate, cujus Operis fragmentum legitur in Conc. Chalcedonensi Actione 1. Scripsit etiam *Canones* de *Lapsis*.

S. *Petrus Chrysologus* dictus ob suam eloquentiam, Ravennatum Praesul. Honorio imperante, doctrina ornatus jam in adolescentia floruit sub disciplina Cornelii Romani, Corneliensis Urbis Episcopi. Praeter Conciones ad Ravennates scripsit contra haeresim Eutychetis sub Valentiniano, Gallae Placidiae filio. Obiit, relicta Sede Ravennatensi, in patria Urbe Corneliensi. Vide alia de eo in *Hist. Eccl.*

P H

Phaedrus, Philosophus, quem Atticus et amabat, et mirabatur. De eo Cic. *de Finibus l.* 1.

S. *Phileas*, M., scripsit *lib. de Martyrum laude*, et *Disputationem* habitam cum Judice, qui eum in Aegypto Idolis sacrificare cogebat. Ita S. Hieron. Edidit praeterea *Epist. ad Themuitas*, cujus insigne fragmentum legitur in Eusebii *Histor. Eccles. lib.* 8. Ab Eusebio, ut eruditus in liberalibus litteris, ut nobilissimus, et primis honoribus in Rom. Republ. decoratus laudatur.

Phidippus, servus, et Medicus regis Dejotari, qui una cum Castore Dejotari nepote, accusavit Dejotarum apud C. Jul. Caesarem, rerum potitum. Vide Cic. *Orat. pro Rege Dejotaro*.

Philager, Cilix, Lolliani discipulus, Herodis Attici inimicus, Romae docuit, relictis Athenis, ubi parum erat acceptus, forsitan ob iracundum suum animum, de quo Philostratus. Obiisse in Italia tradunt nonnulli: alii in mari.

Phi-

Philippus, Advocatus, in agendis caussis strenuus, et ab officiis clarus, memoratur ab Horatio *Ep.* 7. *l.* 1.

Philippus, Gortynensis Ecclesiae Episcopus, contra Marcionem haeresiarcham scripsit. Ita Eusebius.

Philistus, Siculus Historicus, quem legebat Q. Cic. frater. De eo Cic. ad Q. Fr. *Epist.* 12. *lib.* 2. ait: *Siculus ille, capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides. Sed utros ejus habueris libros* (*duo enim sunt corpora*) *an utrosque? nescio*. Ex quibus apparet, quid de eo senserit Cicero, qui ejus Opera jam legerat.

Philo, Philosophus Ethnicus, Antiochi Magister. De binis ejus libris Philosophicis, allatis Alexandriam ad Antiochum, qui cum Lucullo erat, vide Cic. in *Lucullo*.

Philologus, libertus Q. Ciceronis, a M. Tullio eruditus, nullo metu, nulla vi coactus, percussoribus M. Tullii Ciceronis, a M. Ant. missis, Ciceronis fugientis iter dicitur indicasse.

Philoponus (Joan.) scripsit contra Jamblicum, et eos, qui Idola, numine, seu divina virtute plena evincere studebant. *Philoponi Opus* desideratur.

DE ANTICHRISTIANA PHILOSOPHIA NOSTRI AEVI, DEQUE EJUSDEM DOCTORIBUS JUDICIUM.

Philosophia. Cicero *lib.* 1. *de Oratore* eam vocat *omnium laudatarum Artium procreatricem, et quasi parentem*. De nova Antichristiana Philosophia, a Bailio, Volterio, Russauvio, et gregalibus tradita, dicere hoc nostrum seculum potest illud Jeremiae *cap.* 3. *Me minavit in tenebras, et non in lucem .... In tenebrosis collocavit me*. Philosophi praefati, cum caeci sint, illuminaturos se alios sua Philosophia jactant: reducturos se alios ab errore promittunt, cum ipsi nesciant, ubi pedes suos ponant: erudituros se alios ad veritatem blaterant, cum ipsi, ne scintillam quidem veri unam videant: quippe qui, cum Sapientiam, ut *Philosophi*, seu Sapientiae Amatoris nomen tueantur, amare, et amplecti deberent; eam profligare, et dictis, et scriptis suis summopere connituntur: quo id efficiunt, ut vani, inepti, et ridiculi evadant, Philosophi nomen affectantes, et saeculi hujus *Illuminatores* sese buccis crepantibus appellantes. Illud merito non pauci mirantur, eos non pudere, quod Ethnici Philosophi, cordatiores, et doctiores, Socrates, Plato, Aristoteles,

Ci-

Cicero, Seneca, Epictetus, M. Aurelius Antoninus, alii, melius de Deo, et ejus Providentia, de Animorum natura immortali, de Vitiis, et Virtutibus senserint, quam ipsi fidei lumine olim illustrati. Sed quid facies his hominibus, qui, cum plagiarii esse maluerint Ethnicorum Philosophorum, quam Sanctorum Patrum; si quid ab Ethnicis recte scriptum inveniunt: si conforme rectae rationi, et Evangelio; tanquam quid vulgare rejiciunt. Si quid autem in illis a ratione, et Christiana fide exorbitans, utraque manu arripiunt, et fucato atque insidioso stylo, tanquam quid novum, et singulare ornant, ac probabile, licet absurdissimum, reddere student. Illi nempe, cum per viam tritam verae sapientiae gradientes eminere non possint, ut nomen suum celebre apud vulgus semilitteratorum, et vitiis inquinatorum reddant, aliquid audendum *brevibus gyaris, et carcere dignum* sibi persuaserunt, quo a recte sentientibus secernantur, et hoc communium, et verissimarum sententiarum contemtu, et oppugnatione *Ingenia fortia* audiant. Nonnulli non desperant illos cernere, vel nudos, vel reptantes, vel (*a*) quadrupedes, vel pedibus ad caelum versis per vicos, et plateas incedentes: capite manibusque ambulantes terram tangendo; ne cum recta euntibus, seu cum vulgo hominum confundantur. Quid enim non tentaverit

Gens ratione furens, et mentem pasta chimaeris,

ut singularis, seu non vulgaris videatur?

De Ethnicis Philosophis sibi bene notis canebat Antonius quidam, olim Ethnicus, et postea Christi sectator, in Opere suo Poetico:

Philosophos credam quicquam rationis habere?

Item:

Qui ratione carent, quibus est sapientia vana.

Quid cecinisset de nostri saeculi non paucis Philosophis, si nostrum in aevum delatus eos audiret, virtutes vitia dicere, et vitia virtutes? si in eorum libris legeret, nihil honestum esse, nisi quod voluptatem sensilem, vel commodum affert, et finem ultimum eos ponere in corporeis voluptatibus? Illud S. Hieronymi, Cynicis praesertim, et impudicis Epicureis bel-

(*a*) Non defuit ex his Philosophis, qui edito Opere suadere contendat, homines a natura factos, ut quadrupedes, non, ut erecto corpore incederent: quidquid Ovidius cecinerit: os nempe homini Deum sublime dedisse, caelumque tueri jussisse, ut belluis terram aspicere. Mirare lector Philosophi insaniam, et lauda Ethnici Poetae judicium, Christiano dignum.

belle quadrare affirmasset: *Habent oculos plenos adulterio, et insatiabili libidine, et decipiunt animas, necdum Christi charitate robustas: loquuntur enim verba tumentia, et indoctos facile illecebris carnis irretiunt, repromittentes eis libertatem; cum ipsi servi vitiorum sint, atque luxuriae, et corruptionis*. Similes sunt Philosophis, qui Quintiliani aevo hoc nomine gloriabantur: de quibus ait Quintil. *sub Philosophi nomine maxima in plerisque vitia latuisse*.

Et sane impudica recentium Philosophorum scripta, satyrae, mendacia, et convicia in Christianam Religionem, et ejus Ministros, ut multa eorum blasphema dicteria in sacra omnia, quae impudenter cavillantur, non aliud indicare mihi videntur, quam eos velle homines insanos reddere, vel in pecudes convertere, et transformare.

Nec perperam nonnulli, Circaeam virgam, cujus attactu homines in pecudes convertebantur, symbolum esse dicunt hujus saeculi novae Philosophiae Antichristianae, cujus dogmatibus imbuti homines, pecudes fiunt, nihil praeter terrena cogitantes, et a caeli aspectu abhorrentes. De Circe haec Poeta cecinit:

Illa paventum
Ora venenata tetigit mirantia virga:
Cujus ab attactu variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt: nulli sua mansit imago. Ovid. *Metam. l.* 14.

Contra Philosophos *Orationem* edidit Dio Chrysost. Quid de *Philosophia*, et Philosophis senserit Plato, et ex eo Sanctus Augustinus? vide Coel. Rhod. *ll. AA. lib.* 29. *cap.* 8. *Philosophos* Ethnicos, praesertim Stoicos, concionatos fuisse in foro, et fanis, colligitur ex Gel. *l.* 5. *c.* 1. ubi de *Musonio* Philosopho agit. Hortabantur nempe populum ad virtutum exercitia, et ad fugam vitiorum: quod non arbitror fecisse Epicureos, uti nec nostri seculi Antichristiani Philosophi faciunt, quorum non pauci scriptis suis, et mellitis, sed veneno plenis sermonibus hortantur ad vitia, et virtutem irrident, conspurcando omnes disciplinas, *quas* (honor sit auribus) *in urinam, vel urina spurcius* (sunt Epicteti verba) *convertunt*. Vide Gel. *l.* 17. *c.* 19. ubi dicta Favorini, et Epitecti de falsis *Philosophis*, quae nostri seculi Epicureis conveniunt. S. Aug. *l.* 14. *cap.* 20. *de Civ. Dei* de Cynicis *Philosophis* aiebat: *Hoc illi canini Philosophi, hoc est Cynici, non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud? quam caninam, hoc est immundam*

sen-

sententiam. Quot immundas sententias non proferunt Antichristiani Philosophi nostri saeculi? Quamobrem secundum S. Augustinum, et Platonem hi non numerandi inter Philosophos, sed inter Philosophiae contaminatores, et eversores. Vide Menochium *Cent.* 2. *c.* 74. Vide item *Mysteria* in M: *Seneca* in S. Vide demum alia in *Specimine* v. *Philosophi* in P.

Philostratus, praeter *Vitam*, et *Acta Apollonii*, scripsit *Heroica*, et *Vitas Sophistarum*. Vide de eo in *Specimine*.

Philostratus alter, Philosophus Aegyptius, Cleopatrae, Aegypti Reginae, familiaris, qui cum ea philosophabatur. Ei pepercit Augustus post devictos M. Ant. et Cleopatram ad preces Arrii Philosophi, Augusto chari.

Phlegon, Adriani Imp. libertus scripsit de *rebus mirabilibus librum*, in cujus *cap.* 12. loquitur de Gigante Idaeo, cujus sepulchrum marmoreum post inundationem inventum fuit Myssenis in Peloponeso cum graeca Inscriptione. Ibidem alia narrat de Siciliae Gigantum cadaveribus ingentis magnitudinis, illic inventis, et de aliis in Dalmatia. Similia narrat *cap.* 16. de cadaveribus Gigantum, in Aegypto conservatis post multa secula. Haec ex Calmeto in *Dissert.* de *Gigantibus*. Vide alia in *Specimine* in P.

Photinus, Hebionis errorum instaurator, multa scripsit, teste S. Hieron., qui ait, ejus praecipua Opera fuisse *libros contra Gentes*, et *contra Valentinum*: qui *libri* desiderantur. Vide alia de eo in *Specimine*.

Physiologia, seu Physice Disciplina. Vide *Euphrates* in E. Quanti eam faceret Alex. M. ab Arist. ea eruditus, indicavit ipse tum *Epist.* ad Aristot. scripta, cum libros *Physicorum* edidit: tum Aristoteli dono dans 800 talenta, idest scutorum 480 millia, ob opus, quod de *Natura*, *et Generatione Animalium* scripsit. Eam multi ex vett. Romanis excoluere, quorum innumera Opera interciderunt. *Physiologiam* illustravit variis Poematibus latinis Josephus Pontius Barcinon. in Italia degens.

P I

Pictor. Nemo ullus, qui expers sit Historiae, Geometriae, et Poetices, bonus Pictor esse potest. Ita Eupompus Sicionius celebris Pictor. De initio, progressu, et perfecto Picturae statu inter Graecos, vide Cic. in *Bruto*, ubi de non paucis Graecis Pictoribus fit mentio: vide etiam Plin. *H. N.* *l.* 35. Cl. Abbas N. Requenus Hispano-Celtiber, multa confe-

rens

tens cum Excellentiss. Abbate, Bononiae Incola, DD. Josepho Pignatellio ex Comitibus de Fuentes Hispaniae Summatibus, edidit librum, quo ostendit ex Plinio rationem pingendi per encaustum, qua utebantur veteres Graeci, et Romani Pictores, multaque ipse encausto usus depinxit. Pictoria nobili arte delectatur etiam, eaque per otium nonnunquam se exercet, novis inventis eam illustrans, praefatus Abbas Pignatellius Caesaraugustanus, variis disciplinis instructus. Errores Pictorum in multis celebratis Picturis, vide Andream Gilium in Dial. de hoc argumento. Non paucos errores historicos, et chronologicos nos observavimus in nonnullis valde laudatis Imaginibus, quae in templis Ferrariae cernuntur. Vide *Imagines* in I, et verbo *Ludi* in *Specimine*.

Pierius. S. Hieron. in *Epist. ad Pammachium*, de libris suis contra Jovinianum loquens affert *Pierii* verba ex *Comment.* in *Epist. S. Paulli*.

Pilatus (Pontius) Jurisconsultus, Tiberio charus. Is Praefectus Judaeae creatus, 10 *an.* eam Provinciam administravit. Judaeorum clamoribus contra Christum Dei filium resistere non ausus, vano timore correptus, Christum, quem innocentem agnoscebat, flagris caedi jussit, et tandem supplicio crucis damnavit. De Christi innocentia, miraculis, et sententia in eum lata, dicitur *Epist. ad Tiberium* scripsisse, in qua proculdubio facinus suum excusabat. An *Epist.* quae a nonnullis Historicis traditur, sit legitima, an vero supposititia? non conveniunt Critici. Exsul Viennae in Gallia, ob suas injustitias, se occidit sub C. Caligula. Ita Josephus Historicus. Tertull. in *Apolog. c.* 21. et S. Aug. *Serm.* 33. *de Epiph.* sensisse videntur, Pilatum factum fuisse Christianum: quod de ejus uxore Claudia Procula, quae multa per visum passa fuit, cum Christus a Pilato judicababatur, probabilius videtur. Si enim Pilatus Christi fidem amplexus fuisset, manus sibi non intulisset, sed patienter exilium laturus mihi quidem videtur. Nonnulli existimant, Claudiam, de qua S. Paullus in *Epist. ad Timotheum*, fuisse Claudiam Proculam, Pilati uxorem, quae Romae S. Paulli discipula erat.

Pinytus, Gnosiorum Episcopus. Ad eum *Epist.* scripserat S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, ad quem rescripsit Pinytus, cujus sententias affert Eusebius *Hist. Eccl. lib.* 4. *cap.* 23. quae ostendunt ejus zelum pro grege suo verbo Dei erudiendo, et una doctrinam, et sapientiam suam. Haec *Epist.* desideratur.

Pi-

Pisida, falsus Augur, de quo Cic. *l.* 1. de *Divin.* Vide *Claudius* in C.

Piso, Philos. Peripat., qui inducitur a Cic. *lib.* 5. *de Finibus*, cum Attico disputans.

Piso (CN.) de quo in *Specimine*, antequam se domi occideret a Senatu jam damnatus, Codicillos scripsit, quos legit in Senatu Tiberius. Ita Tacitus *lib.* 3. *Ann.*. Fuerat Cos. cum Aug. cui carus erat, ut etiam Liviae, et Tiberio. Ejus uxor Plautina, licet cum marito in necem Germanici (consentiente, et forsitan jubente, vel suadente Tiberio) conspirasset, libera evasit una cum filiis M. et CN. Pisone. Tiberius auctor necis Germanici, noluit unquam talis apud Romanos videri (quia Germanicus valde carus Romanis erat), ne Romanorum odium in se concitaret. De eo in *Specimine*.

Piso (M.) saepe cum eo declamavit Cic. Graece, et Latine. Ita Cic. in *Bruto*.

Piso, Cos., et Messallae Collega in Consulatu. Multa in eum scribit Cic. ad Att. *Ep.* 11. Non liquet, an idem sit cum praecedenti.

Piso, adoptatus a Galba, et Caesar creatus (vide *Otho* in O) *Orationem* habuit contra Othonem stans in gradibus domus suae ad Milites Cohortis, quae stationem in Palatio habebat. Ita Tacitus. De eo in *Specimine*, et de multis aliis hujusce nominis.

Piso (L.) tota vita ebrius (Vide *Ebrietas* in E). Nihilominus fuit Romae Praefectus, et Thraciae Praeses, quam Provinciam domuit sub Aug. Postea Hispaniae praefuit, et occisus a Termentinis, quia vexabat Provinciam. Ita Tac. *l.* 4. *Ann.* Hunc puto fuisse *L. Pisonem*, quem acriter exagitat Cic. in altera ex suis *Orationibus*. Alter *L. Piso* fuit sub Tiberio, qui in Senatu acerrime invectus est in Urbis vitia, praesertim contra ambitum fori, corruptelam Judiciorum, et Oratorum saevitiam. In jus vocavit Urgulaniam, quam supra leges extulerat Augustae amicitia. Ita Tacitus *lib.* 2. *Ann.*

P L

S. *Placidus*, alias *Eustachius* M. Vir genere, opibus, et militari arte clarus sub Trajano Romani exercitus Dux. Post hostes Imperii devictos, noluit Diis sacrificare, nec eis victoriam tribuere, professus, se Christianum esse, et unum Deum colere: ob quod Martyrii lauream adeptus est. De ejus va-

varia fortuna prospera, et adversa, deque ejus uxore, et filiis, vide *Hist. Ecclesiast.*

Plaetorius (M.) Orator, accusavit repetundarum M. Fontejum, a Cic. defensum. *Plaetorii Actio* desideratur.

Plancius (CN.) Rom. Eques, in Macedonia Quaestor, omni officiorum genere Ciceronem, Lege Clodia exsulem, fovit, et complexus est. Postea Aedilis factus a Competitore accusatus, defensus fuit a Cicerone.

Plastice Ars Romae exculta. Vide Plin. *l.* 35. *c.* 12. ubi memorat insignes hujus Artis cultores Romanos.

Plato, Sardianus, Philos. Epicureus, de quo Cic. ad Q. Fr. *Epist.* 2. *lib.* 1. Is Athenis servum fugitivum Aesopi Licinium comprehendit, ut ad Aesopum remitteretur.

Plautus, Drusi nepos, occisus a Nerone, quia Stoicorum sectam amplexus est.

Corollarium.

Plebs Romana, nimio libertatis studio, libertatem amisit astu nonnullorum Patriciorum, qui Plebi, ad quam transierant, contra Patricios favebant. Vide J. Vincentium Gravinam de *Ortu, et Progressu Juris Civilis*.

Plotinus, insignis Romae Philosophus, nullam sui imaginem, vel statuam effingi passus est. Ita Porphyrius ejus discipulus. De eo in *Specimine*.

Plotius, servus, Mimicae Scenae conditor dicitur a Plin. *l.* 35. *c.* 17.

Plutarchus. Jucundum *Dial.* inter eum, et ejus servum, non indoctum, quem verberari jusserat, narratum a Tauro Phil., vide apud Gel. *lib.* 1. *c.* 29. Servus aiebat, Plutarchum sibi iratum esse contra praecepta sua Philosophica, quibus docebat, Viro sapienti nunquam irae indulgendum, etiam cum offensus esset. *Plutarchus* respondebat, se sine ullo irascentis signo jubere, eum verberari, idque placidissime jubere. De *Plutarcho* vide alia in *Specimine*.

P O

Poema. Nonnulli Poetae sua *Poemata* recitando, *indoctum doctumque fugant, et quem arripiunt, tenent, occiduntque legendo*. Ita Hor. in fine *Artis*, seu *Epistolae* ad Pisones, cujus postremus versus est,

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

De *Poesi* ait idem Hor.

Ut Pictura Poesis erit, quae, si propius stes,

Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum: volet haec sub luce videri.

De Poetarum, ut etiam de aliorum Auctorum Operibus aiebat Horatius, se paucis maculis, seu defectibus non offendi, dummodo in illis plura niteant, seu recte scripta fuerint: quod Critici omnes observare deberent, in censendis aliorum Operibus humanam imbecillitatem agnoscentes.

Poetae. Si aliquando mali Poetae soloecismum faciant, *Schema* eum vocari solere ajunt Charisius, et Diomedes Grammatici: quod etiam ait S. Augustinus. Cic. ad Att. *l.* 14. *Ep.* 22. ait: *Nemo unquam, neque Poeta, neque Orator fuit, qui quemquam, quam se meliorem arbitretur. Hoc etiam malis contingit. Quid tu Bruto putas, ingenioso, et erudito? de quo etiam experti sumus nuper in Edicto, quod scripseram rogatu suo. Meum mihi placebat: illi suum.* Addit illic, Bruto non probari, quae ipse ediderat *de Oratore*: *quare sine*, inquit, *sibi quemque scribere: suam unicuique sponsam: mihi meam: suum cuique amorem: mihi meum. Non scite: Hoc enim est Atilii Poetae durissimi, qui invita Minerva Poeta esse voluit.* Non cupio hujusmodi Poetis accidere, quod Chaerilo, qui, etiam invita Minerva apud Alex. Magnum Poeta esse volebat. Alexander pactus fuit cum Chaerilo, se illi aureum daturum pro unoquoque bono versu, quem componeret, et colaphum pro malo; Chaerilus autem tot malos versus recitavit, ut colaphis dicatur enectus. De Calliphane narrat Athenaeus, magnum docrinae nomen comparasse recitando in Eruditorum Virorum congressu primos complurium Poetarum versus, quos memoriter tenebat, ut adstantes putarent, se omnes tenere, et in Poesi valde versatum esse. Poetae morum Doctores, non Corruptores esse debent. Horatius, se damnans, ait *Epist.* 1. *libri* 2.

Os tenerum pueri, balbumque Poeta figurat:
Torquet ab obscoenis jam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis, et invidiae corrector, et irae:
Recte facta refert, cet. Contra praecepta haec peccavit Horatius in *Odis* suis multa obscoena in illis scribens. Alia de Poetis vide in *Specimine*. Vide etiam Famianum Stradam, Jesuitam Romanum, *lib.* 1. *Prolusione* 3. *et* 4. *de Poetica*.

Polaemon, Rhemnius, celebris Grammat. Romae docuit. Verum de eo Tiberius, et Claudius Caesares dicebant, nemini minus, quam ei juventutis institutionem committendam.

Ita Suet. quin caussam dicat. Fuit in Agricultura valde diligens, et peritus, ususque Sthenelei opera praedium suum prope Urbem positum valde fertile reddidit. Ita Plin. *l.* 14. *cap.* 3. *H. N.* addens, Annaeum Senecam eo delectatum, magno pretio mercatum illud fuisse.

Polaemon, Smyrnaeus Philosophus, Adriano carus. De eo multa Philostratus.

Politica, Pars Ethices, seu Moralis Philosophiae valde exculta, et illustrata a Romanis cum verbis, tum factis, tum etiam scriptis fuit. Sub antiquioribus Romanis solidior Politica viguit, quam sub Caesaribus. Multi enim ex his Pseudo-politicae in primis studuerunt, ut Principatum retinerent. Inter Pseudo-politicos Romanos insignes merito Tiberius recensetur, et ejus exemplo non pauci alii a Tacito memorati.

Pollentius, Christianus Scriptor, citatur a S. August. *l.* 1. *de Adulterio*.

Pollio (Asinius) honorifice scripsit in *Historiis* suis de Bruto, et Cassio C. J. Caesaris interfectoribus, quin Aug. ei irasceretur. Ita Tac. *l.* 4. *Ann.* loquens de Cordo accusato, et se defendente. Vide alia de *Pollione* in *Specimine*.

Pollio (Trebellius) Histor. Videtur legisse sacros Christianorum, et Hebraeorum libros; loquitur namque de Mosis annis, eumque fuisse Deo carum, et familiarem tradit citans Judaeorum libros. Saltem legerat Josephum, et Philonem Hebraeos, qui vitam, et res Mosis scripsere. Vide de eo alia in *Specimine*.

Pollux, (J.) Neucratites. De eo Athenodorus Philosophus ajebat: esse veluti Tantali hortos: rem nempe leviculam, quae magna videtur, cum nihil sit. Philostratus ambigebat, an eum doctum appellaret, an vero imperitum? vel (quod fatuum forsitan videbitur) doctum pariter, et indoctum. De eo in *Specimine*.

Corollarium.

Polygamia. Veteres Romani usi ea non sunt, licet nulla, quod sciam, lege vetita ipsis esset. Athenienses ab ea non abhorruisse videntur, si verum sit, quod Socrates simul binas habuerit uxores, Xantippen morosam, et iracundam foeminam, et Myrtonem, Aristidis Justi filiam deformissimam. Vide *Valentinianus* in V. Inter Hebraeos Polygamia obtinuit.

Pompejus (Q.) Cum eo declamabat Cicero latine, et saepius Graece. Ita Cic. in *Bruto*.

Pompejus (CN.) accusavit Messallam de ambitu. Ita Cic. ad Q. Fr. *l.* 3. *Ep.* 1. Nonnullae *CN. Pomp. Epistolae* ad Cic., et ad alios belli civilis temporibus leguntur in *lib.* 8. *Epist.* ad Atticum. De praeclaris rebus gestis Pompeii, vide Plut. in *ejus Vita*, et Cic. in *Orat. pro Lege Manilia*. *Orationem* habuit pro revocando Cic. ab exsilio, ut etiam P. Lentulus. Vide Cic. *Orat. pro L. Sextio*. In *Epistolis* Ciceronis ad Att. leguntur non pauca contra Pompejum, praesertim in belli civilis tempore scriptis. Vide *Divini* in D. Postquam invisit Athenis Possidonium Philosophum in lecto jacentem, et aegrotantem (vide in *Specimine* verbo *Possidonius*) tribui jussit 100 *talenta*, seu 600 *scuta* singulis Philosophis, qui Athenis, et Rhodi docebant. Vide alia de *Pomp.* in *Specimine*, ubi de aliis ejusdem nominis.

Pomponius, Grammaticus. Inter eum, et Senecam disputatum fuit, an *gradus eliminat* recte dictum fuisset ab Actio in *Tragoedia* quadam? Ita Quintil. *lib.* 8. *cap.* 3. *Institut. Orat.* Vide in *Specimine* de eo, et de aliis ejusdem nominis.

Pontifex M. Ethnicus, Romae insigni toga praetexta, et apice, cui nomen *Tutulus*, in capite utebatur. Haec insignia gestabant Romani Imperatores etiam Christiani usque ad Gratianum, qui et Pont. Maximi titulum, et insignia Pontificatus a se rejecit, ne Ethnicus videretur. Vide in *Specimine* v. *Pontifices*, et *Dissert.* de hoc in fine *Lexici*.

S. *Pontius* M. Vir doctissimus ad fidem Christianam traxit Impp. Philippos P. et Filium. S. Pontii ad Philippum allocutionem afferunt in *Actis Sanctorum* Bollandiani Agiographi.

Popilius (M.) Cos. et Flamen Carmentalis, de cujus ingenio, et *Oratione*, qua seditionem pacavit, loquitur Cicero in *Bruto*, diversus fuit a *Popilio* Judice. Vide *Bulbus* in B. *Popilii* Oratio desideratur.

Populus. Vide *Plebs* supra, et *Vulgus* in V.

Possidonius scripsit *Historias* citatas a Coelio Rhodig. *lib.* 18. *c.* 34. *ll. AA.* Forsitan hic diversus est a *Possidonio* Phil. Forsitan *Possidonius* Phil. si *Historias* scripsit (quas ab antiquo nullo citatas vidi) in illis de Platonis legibus agebat, circa quas a *Possidonio* dissentit Seneca *Ep.* 95. Vide de eo in *Specimine*, et verbo *Pompejus* supra.

Possunius, Plastes insignis Romae. De eo narrat Varro, qui

qui eum agnovit, fecisse tubas, et etiam pisces ex Plastice, quos discernére a veris vix posses. Haec ex Plinio *l.* 35. *c.* 12. *H. N.*

Postumius (Titus) Orator non minus vehemens, quam bellator. Fuit effraenatus, et acer nimis, sed bene Juris publici leges, et instituta cognoverat. Ita Cic. in *Bruto*.

Postumius (Festus) citatus a Gellio *lib.* 19. *c.* 13. ubi de voce *Nanus*: an recte pro Pumilione, sive pro humilis staturae viro, in latino sermone dicatur?

Postumius, Cos. *Orationem* habuit contra Bacchanalia nocturna, cum fuerunt detecta. Ita Livius Decadis 4. *l.* 9. In ea *Oratione* dixit, antiquos Romanos non permisisse congregari multitudinem sine legitimo Rectore ad devitandas conjurationes contra Remp. Vide *Bacchanalia* in B. Non liquet, an is fuerit *L. Postumius* legatus a Romanis ad Tarentinos, a quibus irrisus, et vexatus fuit contra jus Gentium. De aliis *Postumiis* in *Specimine*.

P R

Prassagoras, Atheniensis Historicus, rerum M. Constantini Scriptor, citatur a Photio. Ejus Historiae desiderantur.

Praecepta, seu Monita Philosophica, quam utilia? vide Senecam *Ep.* 95. Ea irridenda putavit a Marcellino quodam, homine faceto, et vitiis dedito. Ita *Ep.* 29. Praecepta Hebraeis imposita fuerunt 613. Ex his *Affirmativa*, ut ajunt, 218. et 365. Negantia. Ita Tostatus exponens *cap.* 1. *libri Ruth Quaest.* 4.

Praedictiones: vide *Divini* in D: *Oracula in* O.

Praefectus Praetorio: Vide dicta in *Specimine* in P. Vide item Cassiod. *Variarum lib.* 6. *Formula* 3.

Praefectus Urbis. De hujus munere vide Cassiodorum *Variarum l.* 6. *Formula* 4. Urbis Praefectura fuit novus Magistratus, ab Aug. institutus suasu Mecoenatis cum auctoritate solum in servos, et cives turbulentos. Primus Praefectus Urbis fuit Messalla Corvinus, qui post 6 dies se Praefectura abdicavit, tanquam munere parum se digno. Postea in pretio fuit, majori addita auctoritate. A Severo Imp. *Praefecti Urbis* auctoritas extensa fuit ad 100 milliaria extra Urbem, et cognoscebat de delictis intra hos fines patratis. Extat hac de re Severi *Epist.* ad Culeonem, Urbis Praef. Tempore Honorii Imper. fuit *Praef. Urbis* Symmachus, quem Honorius in *Epist.* ad eum appellat *Patrem Carissimum*, qui titulus solum dabatur olim ab Imperatoribus Prae-

fectis Praet. Ego arbitror *Praefectos Urbis* jam fuisse sub regibus. His enim ad bella Roma exeuntibus, non deerat, qui Urbem gubernaret, et hic *Praef. Urbis* dici poterat.

Praeficae Romanae. Vide *Funus* in F.

Corollarium.

Praemium. Veteres Romani, tum in Urbe, tum etiam in bellis, adolescentes variis *praemiis* excitabant ad bene merendum de Repub. et ad exercitia Virtutum. Nam ut recte Ovid. de *Ponto Eleg.* 3.

Ipse decor recti facti, si praemia desunt,
Non movet, et gratis poenitet esse probum.

Vide *Dentatus* in D.

Praetura. Hic Magistratus alter ex majoribus, quo an. institutus Romae fuerit? tradit Gravina *de Ortu et Progressu Juris Civilis*. *Praetores* in urbe solum duos lictores habebant, qui eos praecederent, per urbem incedentes: in Provinciis Praetoriis 6. ut majori cum auctoritate eas gubernarent. *Praetorum* munere fungebantur olim Coss. Verum gravioribus curis intenti Quaestiones, seu Inquisitiones criminum, et caussas Judiciales in hunc Magistratum transtulerunt. De Judiciis *Praetoriis*, et eorum Formulis in sententiis contra criminosos ferendis, vide Cael. Rhodig. *lib.* 10. *c.* 7, qui Senecam exscribit. Vide alia in *Specimine*, verbo *Praetores*.

Primus (Ant.) Dux Vespasiani contra Vitellium. De eo multa tradit Tac. *l.* 3. Ann. Ubi de Cremonae expugnatione, et de ejus ad milites *Oratione*. Vide *Mucianus* in M.

Priscus (Helvidius) laudatur, ut verus Phil. a Tacito. Ejus *Orationum* sententias adducit *l.* 3. *Ann.* Oravit in Senatu contra Eprium. Ita Tac. *lib.* 3. *Hist.* Vide *Eprius*: *Soranus* in suis litteris, et alia de *Prisco* hoc, in *Specimine*.

Priscus (Actius) celebris Romae Pictor sub Vespasiano. Ita Plin. *l.* 35. *c.* 10. in fine.

Probus (Val.) De eo judicante Virgilii Carmina, ab Homero mutuata, ait Gel. *l.* 9. *c.* 9, fuisse hominem doctum, et in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidum. Docebat tantum pomeridianis horis, et non admittebat supra 4. Auditores. De inclemente prope, ut ait Gel. ejus more erga indociles, et de Grammatices regulis, quid senserit? vide Gel. *l.* 13. *c.* 19. Alia multa de eo in *Specimine*.

Probus Rom. Imperator, re et nomine *Probus*, vir belli, et

et pacis artibus clarus. Per eum sublati Tyranni, qui Imperium turbabant, victi Sarmatae, et pax orbi reddita. Sexennio imperavit.

Probus, Praef. praet. vel urbis, ad quem Ausonius sua misit carmina. Exploratum mihi non est, an fuerit

Probus ille, qui S. Ambrosium Aemiliae praefecit. Chronologia id suadere videtur. Nam *Probus* iste fuit Praef. sub Valentiniano, catholico Imper., cui probata fuit electio S. Ambrosii, a Pop. facta in Praesulem Mediolan. *Probus* praefatus videtur christianus fuisse. Nam cum S. Ambrosium Aemiliae praefecit, ei proficiscenti in Provinciam suam dixit: *Vade age, non ut Judex, sed ut Episcopus*. Vide *Hist. Vitae S. Ambrosii*.

Procula (Claudia) vide *Pilatus* in P.

Proclus in Platonis *Phaedonem Comment*. edidit, quos in latinum vertit *Apuleius*. Verum haec *lat. Versio* desid. De hac *Versione*, vide Sidonium Apollinarem *lib.* 2. *Ep.* 9. Hic *Proclus* a nonnullis *Proculus* appellatur. Ignoro, sit ne hic *Proclus* ille nasutus, de quo extat antiquum Graeci Poetae *Epigr.* quod ex Graeco sic habet:

Non potis est Proclus *digitis emungere nasum;*
Namque est pro nasi mole pusilla manus.
Nec vocat ille Jovem sternutans: quippe nec audit:
Sternutamentum tam procul aure sonat.

Proclus, Neucratites, Philostrati, qui de eo scribit, magister, diversus a Claudio *Proclo* Sophista Smyrnaeo.

Proculus, Homo fanaticus, cujus testimonio Deus habitus Romulus est, *Quirinus* postea dictus. Vide *Romulus* in R.

Proculus, Cataphryga, quo cum Romae disputavit Cajus catholicus Historicus. De aliis hujus nominis in *Specimine*.

Proculejus, vir humanissimus, Augusto charus, uxoris Maecenatis Liciniae frater, merito laudatus ab Horatio *Ode* 2. *lib.* 2, eo quod caritate singulari bona diviserit inter fratres suos, qui proscripti fuerant, quia contra Augustum pro M. Ant. militaverant. Vide *Muraena* in M.

Prodicus Phil. et Sophista, edidit *lib.* inscriptum *Horae*. In hoc *libro* fingit, Herculi occurrisse Virtutem, et Vitiositatem, seu Desidiam, et utraque eum prolectante, Virtuti adhaesisse. Vide Cael. Rhod. *l.* 13. *c.* 18. Antiquorum Proverbium erat: *Prodico sapientior*, de homine insigniter erudito: tanta fuit de *Prodici* sapientia olim opinio. In Herculis *Fabula* ostendit, se Fatalistam non fuisse, sed arbitrii

libertatem agnovisse, Deumque nostrae Auctorem libertatis, mali moralis Principium non esse.

Proletarii cives Romae dicebantur, qui procreandae prolis gratia in urbe erant. Vide *Census* in C: *Militaris Ars* in M.

Prophetae. Vide *Divini* in D: *Vates* in V.

Prothus, cum Hyacintho fratre, S. Eugeniae famulus, studio deditus sacrarum litterarum in Aegypti monasterio, post susceptum ab Heleno Episcopo Baptisma, Romae sub Gallieno martyrio laureatus una cum fratre fuit, securi percussus.

Proverbia multa Graeca, et Latina, nobis nunc ignota, quaeque intercidisse dici possunt, citantur a Cic. in *Epist. ad Att.* cum solis primis verbis, quia Attico erant notissima, et valde vulgata. Id adnotavit Erasmus in *Adagiis*, et Victorius in *Adnotationibus ad Cic. Epistolas* ad Atticum. *Adagia* seu *Proverbia*, quae in sacris litteris leguntur, transivisse ad Graecos, et Romanos crediderim. *Adagia* haec collegit, et illustravit Martinus del Rio in Graecis, et Hebraicis litteris, ut in Latinis, versatissimus. De eo ajebat Justus Lipsius, ejus eruditionem, et paene incredibilem lectionem commendans, in ejus *Operibus* supra mille Auctores variarum nationum citatos legisse, quorum ne nomina quidem audierat.

Provinciae Rom. Imperii. Vide *Tributum* in T.

P U

Publicani. In Arithmetica, et in Imperii Romani rationibus versatos esse oportebat *Publicanos*: quoniam ad ipsos spectabat exigere, et colligere Vectigalia, Portoria, et Tributa, solvenda a subditis Romano Imperio, seu Reipub. Romanae. Oportebat etiam eos divites esse, quo magis abessent a fraudibus, et iniquis exactionibus. Constat item, eos ex Equestri Ordine fuisse. Cicero in *Orat. pro Rabirio* mentionem facit C. Curii, principis Equestris ordinis, quem vocat *fortissimum, et maximum Publicanum*. In *Epist.* ad Q. Fr., Asiae Praefectum, se profitetur *Patronum Publicanorum*, quorum res in Asia illi commendat, et saepe Cicero, qui ex Ordine erat Equestri, *Publicanorum* encomium facit. Ex quibus intelligitur, et S. Matthaeum postea Apostolum, qui *Publicanus* erat, et Zacchaeum Principem *Publicanorum*, ac valde divitem (de quibus in Evangelio fit mentio) cives Romanos, et ex Equestri Ordine fuisse. De odio Hebraeorum in *Publicanos*, quos *Peccatores* appellabant, vide

de

ad Evangelistas. De odio Graecorum in eosdem, vide Cic. in *Epistt. ad Q. Fr.* Zacchaeus reddebat quadruplum iis, quos defraudasse se agnoscebat: quod indicat *Publicanorum* fraudes in exigendis tributis, ac forsitan in usuris, ut et in negotiationibus, et violentis exactionibus contra leges Pop. Romani. Cicero in *Orat. pro lege Manilia*, et in *Orat. pro Plancio*, *Publicanos* appellat *homines honestissimos*, *et ornatissimos ac florem Reipub.* De eisdem Plin. *lib.* 33, ait, eos (quos ad Equestrem Ordinem pertinuisse affirmat) magnam potentiam in Repub. habuisse. Nihilominus Livius *lib.* 5. *Decadis* 3. fraudem narrat *Publicanorum*, et *Lex Quantae*, Dig. *de Publicanis* eorum audaciam, et temeritatem in factionibus notat.

Publicius, sive *Publius*, vates fatidicus. *Publium* jungit Cic. in *lib.* de *Divin.* cum Martio, item Poeta, seu vate fatidico. Vide verbo *Publius* in *Specimine*.

Pudicitia Patricia. Huic templum Emilius in foro Boario Romae dicavit.

S. *Pulcheria*, Graece, et Latine docta; utroque enim sermone, cum erat opus, utebatur. Cedrenus narrat, qua ratione monuerit, et emendarit Theodosium fratrem, qui supplicibus libellis sibi a cognatis, affinibus, vel amicis oblatis subscribebat, quin eos legeret. Petiit illa a fratre Imperatore per libellum supplicem in servam uxorem ejus Eudoxiam. Illico Theodosius sororis libello, non lecto, subscripsit: cujus subscriptionis eum poenituit, cum soror ejus uxorem, servam suam ex concessione Imperatoris esse dixit, ostensa imprudenti subscriptione. Deinceps legit quotquot supplices libellos illi etiam amicissimi offerebant, ut sciret, quid peterent. Vide de ea in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Pulchritudo seu Venustas optanda foeminis non est, sed gravitas et pudor, quae esse debent praecipuae foeminarum dotes. Juven. *Sat.* 10. haec habet:

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: Cuperet Rutilae Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilae dare. Filius autem
Corporis egregii miseros timidosque parentes
Semper habet: rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae.

Domitianus videns Metium quemdam formae gratia sibimet nimis placentem dicebat: *Vellem tam formosus esse, quam Me-*

Metius sibi videtur: Romani antiqui pulchram putabant foeminam nigros habentem oculos, et os parvum, ut indicat Plautus in *Poenulo*. Catullus deformem foeminam describens sic habet:

Salve nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis.

Ovidius de Arte:

Forma viros neglecta decet.

Contra viros, qui pulchri fieri et videri amant, vide Sen. de *Brev. vitae c.* 17. Vide *Forma* in F. *Elegantia*, *Venustas* in suis litt.

Corollarium.

Pulsus arteriarum, per quas sanguis excurrit, indicium est bene, vel male affectae valetudinis, et idcirco periti Medici eum in aegrotantibus multum observant, post Galenum, qui egregie, et prolixe de *Pulsu* scripsit, diversum *Pulsum* pro diversis hominum affectibus notans, nimia forsitan subtilitate. Hippocrates (quod saepe miratus sum, ut alibi dixi) in suis *Aphorismis* vix unquam de *Pulsu* verba facit, urinae, seu lotii indiciis multum deferens, quae hodiernis Medicis valde fallacia videntur. Primus qui ex *Pulsu* morborum crisim agnovit, non sine plausu exterorum Medicorum, fuit hoc nostro seculo Franciscus Solanus de Luque, Medicus Hispanus, qui *librum* de hoc edidit, quem *Commentariis* illustravit, et in Anglum sermonem vertit Medicus Anglus, qui Anglis Mercatoribus, Gadibus commorantibus, medebatur. Is, incredibilia reputans, quae scripserat Hispanus Medicus, Alumnus, et sectator ejus in invisendis aegrotantibus Antequerae esse voluit per menses aliquot, ut certior fieret de veritate praedictionum id genus, quas verissimas esse ipse oculatus testis expertus est, non sine admiratione ejus peritiae in hujusmodi *Pulsus* observationibus, a nemine ullo adhuc factis.

Pulvis nitratus, casu inventus fuit a Rogerio Bacone, Anglo, ex Minorum Ordine, Chimico peritissimo circa finem Seculi 13.

P Y

Pyrrhonici Philosophi, Sectatores Pyrrhonis, Heliensis Philosophi demeritissimi, qui de omnibus, etiam evidentissimis, dubitabat. Paucissimos ex veteribus Romanis sectatores Pyrrho habuit, licet multi Sceptici fuerint, Academicos sectati, suspendentes assensum suum circa res, de quibus inter Philosophos di-

disputabatur, nondum exploratas. Pyrrhonis deliria excitare voluit, et probabilia reddere hoc illuminato Seculo Roterodamensis Philosophus Bailius, multa congerens in suum pestiferum *Dictionarium*, quem sunt imitati nonnulli Antichristiani Philosophi, Bailii insaniae admiratores, et ejus scriptorum plagiarii, omnia praejudicia sensuum praestigias, et ludificationes esse arbitrati. Forsitan etiam putarent sensuum praestigias, si ad triremes a Christianis Magistratibus damnati remis agendis ipsi addicerentur. Forsitan etiam, si per dies aliquot omni cibo et potu detractis, ad famem, et sitim sustinendas adigerentur, vel fustuario multarentur.

Pythagoras, Phil. Arithmeticae, Geometriae, et Musicae illustrator, qui scholam in magna Graecia intra Italiam aperuit, confundendus non est cum 7. aliis ejusdem nominis, qui recensentur a Diogene Laertio in *Vitis Philosophorum*. Sunt qui censeant, ejus de transmigratione Animorum opinionem symbolice intelligendam esse, ita ut indicare voluerit, homines vitiis deditos in pecudes transmutari. Illud notissimum, eum multa Praecepta Symbolica tradidisse. Talia sunt haec: *Stateram ne transilias: Ignem gladio ne fodito: Cor ne comedas: Per viam publicam ne ambules: Hirundinem domi ne alas: Oneratis superponas onus: detrectantibus, aut deponentibus, aliud non addas*. cet. Haec et alia salutaria monita erant quae discipulis tantum exponebat, ne ejus doctrina vulgaris fieret. Vide Menochium *Cent.* 3. *c.* 35, ubi agit etiam de Aegyptiorum Symbolica, et Aenigmatica Disciplina, Mosi non ignota. P. Causinus, Jesuita Gallus doctissimus, Symbolicam, et Aenigmaticam Philosophiam tradidit, ut etiam Hieroglyphicam in Opere quodam eruditissimo ab eo typis edito, priusquam in Ludovici XIII. Galliae Regis Confessarium eligeretur. Ejusdem est Gallico sermone lucubrata *Curia Sancta* in omnes Europae praecipuas linguas conversa. De Pythagora ait Clemens Alexandrinus, Magum fuisse, et Zoroastris libros possedisse. Ita in *Stromatibus*. Porphyrius narrat, Causum flumen *Pythagoram* salutasse. De eodem legitur in Origenis *lib. 6. contra Celsum*, conspectum eodem tempore fuisse in duabus urbibus: quae omnia dictum confirmant Clementis Alexandrini. Occisus in Schola fuit coram 60. discipulis, quos hortabatur ad bonorum communitatem, teste Gel. *l.* 1. *c.* 9: quod dogma probarunt Socrates, et Plato. Vide *Pythagorici* in *Specimine*.

Pythias, vates foeminae, a Daemone possessae, vel cum

eo

eo familiaritatem habentes, inter Ethnicos cum Graecos, tum Romanos, ut etiam inter Hebraeos fuerunt, de quibus in sacris, et profanis litteris fit mentio. Sibyllae, quae de Christo, ut vero Deo, de ejus Miraculis, et Passione, de extremo Judicio vaticinatae dicuntur, non sunt inter *Pythias* numerandae, uti nec foeminae vates aliae, quae inter Hebraeos, et Christianos recensentur, morum sanctitate illustres. De nonnullis Christianis Virginibus, Vatibus, seu Prophetissis fit mentio in *Actib. Apost.* Vide *Vates* in V.

Q

QUadratus (Satellius), stultorum divitum irrisor sane lepidus, et ingeniosus. Vide *Sabinus* in S.

Quadratus, vir Consularis, Favorini in Rhetoricis auditor, et sectator, extemporali *Oratione* locos communes persequebatur. Ita Philostratus.

Quaesitores criminum in Rom. Repub. Praetores erant, qui sub se habebant Quadruplatores, sic dictos, quia quarta pars pecuniae seu facultatum delinquentium, quos ad Praetores deferebant, cum delictorum convicti erant, eis dabatur. Hos Quadruplatores inter Romanos fuisse puto, quos nunc *Birros* Itali appellant. De Hispanis *Fidei Quaesitoribus*, vide *Increduli* in I.

Quaestores. Vide *Gracchanus* in G. et in *Specimine* verbo *Quaestores*. De *Quaesturae* Palatii dignitate, vide Cassiod. *Variarum Epistt. l. 6. Formula* G. In Palatii *Quaestore* Jurisperitiam, et Eloquentiam morumque integritatem requirebat Theodoricus Rex. Eadem requirebant Romani Imperatores, cum eos ad intima Concilia vocarent, et eos juberent adesse in Senatu loco Principis, cum Princeps adesse nolebat, vel non poterat ob negotia alia. Illi item *Libellos*, *Epistolas*, *Orationes* Principis in Senatu legebant, et *Rescripta* dictabant. Hi *Candidati* Principis dicebantur, quia hic proximus gradus erat ad honores, et ex eo ad Praeturam ascendebatur.

Quintilianus in *Fanatico*, seu in *Opere* sic inscripto, citatur a Lactantio *lib. 1. c. 21. de Falsa Religione*. Quisnam hic *Quintilianus* fuerit? ignoro. Citatur namque sine Praenomine, et *Opus* citatum non puto fuisse Fabii Quintiliani, sed for-

forsitan alicujus Poetae. De Fabio *Quintiliano* vide in *Specimine* multa.

Quintilius, Praetor, Ciceronis reditum ab exilio procuravit suadere. De eo Cic. in *Orat. post reditum*. Vide *Varus* in V. *Quintilius*, Poeta Cremonensis, Virgilii sodalis, laudatur ab Horatio, Virgilium consolante in ejus morte, *Ode* 23. *l.* 1.

Quintius (T.) *Capitolinus* dictus, *Orat.* habuit ad Pop. in qua vera, et utilia Populo, licet ei parum grata, suasit, cum Volsci dissidia inter Patricios, et Plebem scientes, Romam invadere tentarunt, quin Romani exercitum paratum ad eis resistendum haberent. Ita Livius, qui *Orationis Quintii* sententias refert. Ignoro, idemne sit cum *Quintio*, qui sequitur.

Quintius (L.) *Cincinnatus* dictus, militari arte notissimus, ex aratro ad Dictaturam vocatus Volscos vicit, ac de is triumphavit. Finita Dictatura, et re bene gesta, ad aratrum rediit triumphalis Agricola, terram postea findens vomere laureato. Vide Plin. *H. N. l.* 18. *c.* 3, et Florum.

Quintius (L.) Trib. pl. et Orator non vulgaris, plures *Conciones* habuit contra Cluentium, qui per Ciceronem Oppinianum accusaverat, contendens, Cluentium Judices pecunia corrupisse, ut Oppinianum damnarent. Vide Cic. *Orat. pro Cluentio*.

Quirinus, nomen inditum Romulo, cum Romani eum, ut Deum, colere decreverunt, audito Proculi testimonio de Romulo, a se viso, ad Caelum ascendente. Cicero *l.* 3. *de Rep.* miratur, quod Romulo divinitas tribueretur, cum Romuli aevo a 600. antea annis homines essent doctrinis exculti, et eruditi: quo fiebat, ut non adeo faciles, et creduli esse debuissent, ut fictis fabulis assentirentur. Vide locum Ciceronis in S. Augustino *lib.* 22. *de Civit. Dei c.* 6. Ex quibus intelligere est, primum, *libros* Cic. *de Repub.* tempore S. Aug. lectos fuisse, et postea intercidisse; 2. quid Cicero opinatus fuerit de Romanis priscis, et Urbis, tempore Romuli, incolis: non adeo scilicet opicos, et ineruditos fuisse omnes, ut multi opinantur. Hocque roborantur, quae exposui in *Dissertatione de Doctrina, seu Litteratura Romuli et primorum Romanorum*, quae habetur in *Specimine* verbo *Romulus*.

Quirinus, vir Consularis, valde dives, et orbus.

Non-

R

Nonnulli tradunt, Romanos per an. 400. littera *R* caruisse usque ad Appium Claudium, a quo dicunt eam litteram inventam fuisse. Sed falsum id ostendunt Carmina Saliaria, et leges 12. Tabul. in quibus *R* littera invenitur. Illud verum, Appium Claud. nonnulla, quae per *S* scribebantur, ut *Valesius*, per *R* scripsisse, et deinceps ita scripta fuisse. De Alcibiade, celebri Atheniensi, ac Socratis discipulo, ut etiam de Demosthene traditur a Plut. in *ejus Vita* litteram *R* difficulter pronunciasse: quod etiam antiquis Romanis accidisse narratur. Vide alia de hac littera in *Specimine*, ubi etiam multa de aliis litteris Romani Alphabeti suis locis.

Rabirius Poeta narrat, M. Ant. Triumvirum, cum vidit fortunam ad alios emigrantem, dixisse: *Hoc habeo quodcunque dedi*. Quam liberalis, seu potius quam prodigus fuerit, ex hoc facto, quod narrant ejus Vitae Scriptores, colligi potest. Cum enim Oeconomo suo jussisset multa sestertiorum millia alteri dare, et Oeconomus apud ipsum quereretur de tam ingenti dono, et summam pecuniae numeratae ei ostenderet, ut donationem revocaret, Heus, inquit Antonius, putabam, donum meum non tam exiguum esse: alterum tantum da ei, quia scio, pecunia eum indigere: quod fecit Oeconomus, non sine stupore, et aegro animo; sed necesse fuit praecipienti domino obedire. Vide de *Rabirio* hoc, et de aliis in *Specimine*.

Racilius Trib. pl. amicus Ciceronis. De eo ait Cic. *Ep.* 1. *lib.* 2. ad Q. Fr. ei narrans Acta in Senatu Decembri mense per 200. Senatores: *De Tribunis pl. longe optimum habemus Racilium: videtur etiam Antistius amicus nobis fore: nam Plancius totus noster est*. De *Racilio* item ait Cicero, ab ipso primum de privatis rogatum se, ut sententiam diceret, tuncque a se habitam *Orat.* qua Clodium accusavit de ejus furore, et latrociniis magna cum Senatus admurmuratione. Eam *Orationem* laudavit verbis non indisertis, ut ait Cic. Severus Antistius, qui judiciorum caussam suscepit, quam se antiquissimam habiturum affirmavit. In eadem *Ep.* ait Cic. *Racilium* vexasse Clodium in Senatu, de quo Clodius querebatur dicens, id ab eo factum contumaciter, et inurbane.

Co-

Corollarium.

Ratio Naturalis (quae post Adae lapsum valde obscurata in nobis est, rebellante Appetitu, seu carne contra Spiritum, et suis praestigiis ac praejudiciis caliginem inducente in hominum mentes) humanarum est regula proxima actionum, cum ea principia generalia omnibus nota, et satis evidentia nobis subministret, quae per leges, et Evangelium confirmata habemus. Contra *Rationem* esse, quae supra eam sunt, stultissime arbitrantur nostri seculi Antichristiani Philosophi, et idcirco non credunt Mysteria a Deo revelata, quae *ratione naturali* comprehendere non valent. Stultissime, inquam. Nam post 6 mille annos nondum exploratum est, an continuum sit divisibile in infinitum? an Orbis Terraqueus sit figurae orbicularis? quonam pacto ex parvo semine magna consurgat arbor? et mirantur, Fidei Mysteria se capere non posse, et ea in dubium vocare, et negare audent. *O stulti, et tardi corde ad credendum! Quid magis contra Rationem*, inquit S. Bernardus *Ep.* 190, *quam ratione Rationem velle transcendere? et quid magis contra Fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere?* Vide *Deistae* in D. *Sapientia* in S. Naturalis *Ratio* magis elucet in Ethnicorum scriptis, quam in scriptis nostri aevi Epicureorum.

RE

Regulus (M. Attilius) bis Consul, bellandi arte clarus, qui post multas de hostibus victorias, Romae triumphavit. A Poenis captus Carthagine tortus atrociter, et occisus fuit, quia missus Romam, ut pacem Senatus cum Poenis suaderet, eam pro viribus *Oratione* in Senatu habita dissuasit. Nihilominus, ne fidem datam Poenis de suo reditu frangeret, Carthaginem rediit non ignorans, se pace non inita necandum. Ita Cic. de *Finibus l.* 1. et Romani Historici. De aliis *Regulis* in *Specimine*.

Relationes Consulum in Senatu. Earum initium haec *Formula* erat tempore Caesarum: *Quod felix faustumque sit*, C. *J. Caesari* v. g. Sub C. Caligula, ejus jussu addebatur *Sororibusque*, in signum amoris in sorores. Ita Suet. in C. *Caligula c.* 15.

Corollarium.

Religio. Quid *Religiosi* nomine veniret, et quaenam Religiosa loca dicerentur apud Ethnicos Romanos? vide Gell.

l. 4.

l. 4. *c.* 9. Romani antiqui ut religiosas, seu potius superstitiosas caeremonias circa Deorum cultum discerent, miserunt 12 nobilissimos juvenes ad Etruscos, ut eorum disciplinas sacras edocti, Romam eas reportarent. Ita Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. Cic. de *Divin.* ait, *6* missos fuisse.

Rescripta Rom. Imperatorum pro legibus habebantur, quia post victum Pompejum, a populo in Senatum, et a Senatu ad Imperatorem C. J. Caes. et Successores summa auctoritas transfusa erat, Imperatori attributis praecipuis Reip. Magistratibus. Vide *Macrinus* in M.

Revelatio divina. Philosophi Ethnici, quorum non pauci ingenio, et eruditione Philosophis Antichristianis nostri seculi praestantiores fuere, ex ignoratione, vel contemtu divinae Revelationis contentae in sacris litteris, sola ratione naturali de rebus divinis, et humanis disserentes in crassissimos errores inciderunt, quos devitassent, si sacras litteras legere dedignati non fuissent. Multos errores circa divina, et humana Ethnicorum Philosophorum recenset Q. Mod. Censorinus in *Parad. Philologicis de Vita, et Morte Lat. Linguae*, quos vide in postrema *Dissertatione* praefati Operis, Ferrariae a nobis editi.

R H

Rhetores. Multos satis antiquos vel se priores tempore, vel aequales recenset Sidonius Apollinaris *lib.* 5. *Epist.* 10. ad Sabaudium: hi sunt *Delphidius*, *Agraesius*, *Alcimus*, *Adelphius*, *Magnus*, *Victorinus*, et *Palladius*. Existimo, 3 hosce postremos esse, quorum a me facta mentio in *Specimine*, quique vel ante Honorium, vel sub eo floruerunt. *Rhetoribus* concessum est falsis, et subdolis sententiis uti, modo verisimiles sint: vide *Castricius* in C. In Reg. et Pontif. Cervariensi Academia, unica Cataloniae, a magnanimo Rege Philippo V. fundata, inter duodequadraginta, et eo amplius Cathedras in ea stabilitas pro disciplinis variis, erat Cathedra Rhetorices, et Poeseos pro iis, qui in superioribus facultatibus laureati erant, vel eis dabant operam ad exemplum veterum (a) Romanorum eruditorum. Hanc Cathedram regebat contubernalis, et sodalis olim meus Latinis, Graecis, et Hebraicis instructus litteris, Orator, et Poeta egre-

(a) Antiqui Romani etiam in matura aetate ac multa doctrina instructi, et nonnumquam Magistratum jam gerentes frequentabant Scholas celebrium Oratorum, et Declamatorum, ut in eis se exercerent Orationes, vel Declamationes recitando, et monita Magistrorum Artis attente audiendo.

gregius, elegantibus variis Latinis, et Hispanis editis lucubrationibus in Hispania notus Blasius Larrazius, patria Caesaraugustanus, quem nomino, licet ob id eum iratum sim habiturus, ne videar ejus laudibus, de eo opportuno in loco silens, invidere: quod forsitan eruditi Hispani, in eum bene affecti, suspicarentur. Ei suffectus fuit N. Dorca, Juris Doctor insignis, eloquentia clarus, Canonicus nunc Gerundensis Ecclesiae.

Rhetorice. De *Rhetorice* multa Quintil. *lib.* 1. ubi de ea quaerit, utrum sit Ars, et an sit utilis? Illic ait, sine Arte persuadendi, seu sine *Rhetorice* civitatum, et legum conditores parum posse in stabiliendis bono ordine, et concordia civium, legumque observantia: quod evincit, Romulum, priscosque Romanos ea Arte destitutos non fuisse: quinimmo in eadem excelluisse. A Siculis haec *Ars* tanti fiebat, ut *Corax*, qui de hac *Arte lib.* edidit, eam doceret mille drachmarum mercede, a singulis alumnis solvenda. *Tisias* quidam cupidus hanc *Artem* addiscendi, et non habens, unde hoc minerval *Coraci* penderet, paciscitur cum *Corace*, se soluturum mercedem, cum, Caussas orans, primam vinceret. Accepta conditione a *Corace* eruditus fuit, et Caussas agendo solutionem differebat. *Corax* id aegre ferens iniquum, et ingratum discipulum apud Judices convenit, ut solveret. Contestata lite dixit ei *Corax: O bone: si Caussam viceris, solvere debebis ex pacto: si victus fueris, item debebis solvere ex judicum sententia. Immo vero*, reposuit Tisias, *non solvam: ex pacto si victus fuero, ac si vicero, non solvam ex judicum sententia*. Haec audientes Judices ad Tisiam conversi dixere: Κακȣ̃ *κόρακος κακὸν ᾠὸν*. Κόραξ Graece est Latine *Corvus*, unde natum Proverbium: *mali Corvi malum ovum*. Vide Gel. *l.* 5. *c.* 10, qui simile narrat de Prothagora, et ejus discipulo Evathlo.

Sunt qui dicant, Sophismata, seu fallaces argumentationes a *Rhetorice* alienas non esse, et idcirco Roma olim expulsos Rhetores, Senatus decreto: praesertim postquam Senatores audierant, Carneadem, Graecum Rhetorem, et Oratorem, nunc pro Justitia, nunc pro Injustitia *Orationem* ad Pop. habuisse. Haec Sophismata, quae *Crocodilos* etiam vocant *Rhetores*, a Siculis inventa, dicuntur, et Siculos horum struendorum artem mire calluisse, et chorum inter priscos Sophismatopejos duxisse, multi tradunt. Sub Attici persona ait Cic. in *Bruto*: concessum esse *Rhetoribus* mentiri in Historiis, ut aliquid dicere possint argutius: additque,

mendaciis posse narrationem aliquam tragice, et rhetorice ornari. Idem docet Quintilianus, permittens bono viro, seu Oratori, quem virum bonum esse debere statuit, sententiis uti falsis ad persuadendum, quae vera sunt, et vel audientibus, vel Reip. utilia, ob quod *Sophistae* olim *Rhetores* sunt appellati. Haec autem veri Dialectici neutiquam probant, sed aversantur, cum verum pro virili parte sectentur definitionibus, divisionibus, et argumentationibus, quae saepe demonstrationes sunt ignotarum olim veritatum.

Rhodon, Tatiani discipulus, ante S. Basilium in *Hexaemeron* scripsit; at ejus *Opus* intercidit. De eo Anast. Sinaita. Scripsit etiam contra Marcionitas haereticos, quorum dissensiones inter se exponit in fragmento adducto ab Eusebio *l.* 5. *Hist. Eccles. c.* 13.

R O

Rogus, sive *Trogus* (Tetrilius, sive Tertullius), vir doctus Luculli familiaris, descripsit Romae duos Philonis Philosophi libros. Ita Cic. in *Lucullo*.

Corollarium.

Roma. Dictis de ea in *Specimine* haec addenda. Romae laudes vide in Coel. Rhod. *ll. AA. l.* 18. *c.* 25. Martialis *lib.* 2. egregium Epigr. habet in Romae laudem, cujus initium est:

Terrarum Dea, gentiumque Roma, cet.

Vide item de *Romae* laudibus Aristidem Sophistam Graecum, et Erinnam, Lesbiam Poetriam, de qua in E. Scipio Nasica ajebat: destructa Carthagine, et victa Graecia, Romam magno futuram in periculo ex defectu aemulorum, per quos Romanorum virtus exercebatur. *Romae* damna a variis gentibus importata ab Honorii temporibus usque ad nostram aetatem, vide apud Petrum Messiam Hisp. in *Sylva variae lectionis lib.* 1. De Romae amplitudine, et magnitudine: vide *Aurelianus* in A: *Heliogabalus* in H, Justum Lipsium de *Magnitudine Rom.* et Dionys. Halicarn. de suo tempore, ex quibus Menochius *Cent.* 2. *c.* 37. Plinius *l.* 35. *c.* 5. *Romam* dixit *unam cunctarum gentium in toto Orbe patriam*. Scholiastes in Dion. de *situ orbis* ait: *Quod autem est suis finibus urbs aliqua, hoc Roma est totius orbis provinciis, quasi commune totius habitabilis terrae oppidum*. Vide Bulengerum de *Rom. Imperio l.* 2. *c.* 5. vide insuper Claudianum in *Stilicone lib.* 3. v. 150, Vopiscum in *Probo c.* 20,

20, Prudentium contra Symmachum 54. *v.* 601. Rutilius in *Itinerario*:

Fecisti patriam diversis Gentibus unam:
Profuit injustis te dominante capi.

Cum Galli Cisalpini se dediderunt, tanta laetitia Roma exultavit, ut calicem aureum centum librarum Delphico Apollini dedicarint. Ita Plut. in *Marcello*.

Romani antiqui. De his multa in *Specimine*: quibus addo sequentia. Inter Provincias Imperii non numerabant Italiam. Extra eam 15. Provinciae recensebantur, cum Cicero Ciliciam administrabat, vide *Tributum* in T. De Romanorum Ethnicorum Festis vide *Ovid.* in *Fastis*. De Romanorum Imperio vide *lib.* 2. Fastorum ubi haec:

Gentibus est aliis data tellus limite certo:
Romanae spatium est urbis, et orbis idem

De Romanorum Divitiis, et Luxu vide verbo *Divitiae*: *Luxus*. Usque ad an. urbis 454. intonsi Romani fuerunt, donec Tonsores ex Sicilia Romam induxit P. Ticinius. Ita Plin. *l.* 7. *c.* 59. Apud eosdem Dies dividebatur in horas 12 diurnas, et 12 nocturnas. In Aestate diurnae erant longiores; nocturnae breviores, et contra in Hieme. Haec Diem partiendi ratio videtur etiam apud Hebraeos obtinuisse. Vide Coel. Rhod. *l.* 12. *c.* 9. *ll. AA.*, ubi de *Horo*, unde *Horae*. In precibus omnibus, et sacrificiis primum omnium ad Janum patrem, quem bifrontem, et geminum figurabant, fundebant preces, et thura cremabant. Vide Mart. *l.* 10. *Epigr.* et Ovid. in *Fastis*. De Romanorum vitiis haec Lucilius in *Satyris*:

Uni se, atque eidem studio omnes dedere, et arti:
Verba dare, ut caute possint pugnare dolose:
Blandiri, certare, bonum simulare virum se:
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes:

Vide Horat. *Ode* mihi 6, *l.* 3, ubi Romanorum vitia describit, et ob ea pene deletam Urbem, et Imperium. Confert illic sui temporis corruptos mores cum antiquis a luxu, et lascivia alienis, ac laboris, et parsimoniae studiosis, quibus victorias de hostibus reportabant. Romanos, ab Honorii temporibus ad sua tempora, in bello a Barbaris superatos propter injustitias, libidinem, et scelera alia, in quibus Barbaros superabant, ostendit Salvianus in *libris* de *Providentia*, *et Judicio Dei*. De Romanorum antiquorum Doctrina, vide in *Specimine* verbo *Eloquentia*.

Romanianus (de quo in *Specimine*) erat communiceps S. Augustini, valde dives, et magnam suadendi habens aucto-

ritatem, teste S. Aug. *l.* 6, *c.* 14. *suarum Confess.* ubi narrat, eum decrevisse cum amicis aliis, inter quos ipse Augustinus, vita communi vivere, ita ut omnia eorum bona communia essent.

Romulus. Vide *Quirinus* in Q. Ejus sapientia laudata fuit in Senatu a Tiberio Caesare suadente, in Senatum ex Gallia Comata, jam civitate donatos, admittendos *Romuli* exemplo, qui eodem die hostes, et cives habuit plerosque vicinos Populos: quo facto Romam amplificavit, et incolis auxit. Sic auctum Populum in 30 Curias divisit, et singulis Curiis locum assignavit intra urbem cum vacuo spatio, in quo posset templum aedificari. Curiones insuper creavit ad sacrificia, et amplas aedes, in quas convenirent, et in quibus Curionum collegium esset cum Curione Max. construxit: quae Aedes *Curia* dicebantur. Curiis jus dedit eligendi Curiones, et Magistratus ex Patriciis, quo Plebem cum Patriciis conciliavit. Hac civitatis temperie a Romulo stabilita, Populi Rom. libertas in tuto fuit, donec, ea dissoluta temperie, inter Plebejos, et Patricios, Plebs inconsulta Magistratuum communionem, ut etiam conjugiorum, discessionibus, et minis impetrans, in potestatem decidit potentiorum, qui ejus cupiditati, et ambitioni velificabantur. Haec ostendunt, Romulum, et consiliarios magnos politicos fuisse, atque in variorum populorum historiis, et legibus versatos, contra atque nonnulli perperam arbitrantur. Haec mea opinio roboratur non solum Tiberii, sed etiam Ciceronis dicto *lib.* 1. *de Divin.* ubi Romulum optimum fuisse Augurem testatur. Alibi autem ait Cic. Disciplinam Auguralem multarum rerum scientiam postulare. Vide *Sacerdotes* in S. et *Dissertationem de Romuli, et primorum Roman. doctrina* in *Specimine*. De legibus a Romulo latis, vide Lucium Faunum *lib.* 2. *c.* 7. de *Romanis antiquitatibus*, et Dionys. Halicarn.

Roscius, celebris Histrio, de quo multa Coel. Rhodig. *lib.* 14. *cap.* 17. *lect. Antiq.* ex Cicerone, et aliis. Vide *Panurgus* in P, et in *Specimine*. V. *Histriones*. Roscio theatralis Seditionis Auctori ignoverunt leges, suadente Cicerone. Ita Plin. *l.* 7. *cap.* 30.

R U

Rufus, Martialis amicus. De ejus morte est *Epigr.* Martialis *lib.* 6. in quo haec:

Accipe cum fletu moesti breve Carmen amici:
Atque haec absentis thura fuisse puta.

Ru-

Rufus, vir Praetorius instituisse dicitur, ut esca essent pulli ciconiarum. Repulsam passus in Praetura meruit *Epigramma*, cujus postremus versus erat:

Ciconiarum populus ultus est mortem.

Rufus (Vibius) putavit, se parem in eloquentia Tullio futurum, si uxorem olim Tullii conjugem haberet. Ita Dio Cassius.

Rufus (Corn.) somniavit, se orbum esse, et mane surgens orbus revera fuit. Ita Plinius.

Rufus, Rhetor Ausonio invisus. De statua ei posita sic Ausonius, qui eum variis Carminibus proscidit,

Rhetoris haec Rufi statua est. Si saxea Rufus.
Cur id? ais: semper saxeus ipse fuit.

Vide alia in *Specimine*, ubi de multis hujus nominis fit mentio.

Rullus (P. Servilius), Trib. pl. legem agrariam tulit, ut hoc pacto Populi gratiam captaret. Cic. Cos. tribus *Orationibus* legem illam tollendam Populo persuasit, ostendens, eam et inutilem, et iniquam, eademque legislatorem in Tyrannidem tendere.

Rupilius (Rex) Praenestinus Praetor, commilito Horatii sub Bruto, et ejus aemulus. Fuerat a Triumviris proscriptus. Irridetur, et notatur ab Horatio *Sat.* 7. *lib.* 1. Eum *pus atque venenum* Hor. vocat.

Rustica vita, sapientiae proxima, et quasi consanguinea est. Ita Columella. Antiqui Romani, etiam Patricii, in colendis agris se exercebant, et nonnulli ex aratro ad Consulatum, et Dictaturam evocabantur. Vide *Quintius* in Q. *Tribus Rusticae* Urbanis praelatae Romae erant. Vide Plin. *H. N. lib.* 18. *c.* 3.

Rusticellus, Bononiensis Orator exercitatus, et natura volubilis. Ita Cic. in *Bruto*.

Rutilius, Poeta Gallus, qui floruit, Seculo 4. Eccl. scripsit *Itinerarium* satis eleganti versu. Ejus est illud:

Intervalla viae fessis praestare videtur,
Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Alia *Rutilii* Carmina vide supra verbo *Roma*. In *Specimine* fit mentio de multis hujus nominis.

S

Sabellus, Causidicus, qui multa dona in Saturnalibus a clientibus acceperat. Vide Martialem *l.* 1. *Epigr.* Diversus hic est a *Sabello*, Poeta, quem alibi cavillatur Martialis, *ludens* in ejus nomine, de quo in *Specimine*.

Sabinus. (Fabius), Pater, et filius ejusdem nominis, et praenominis, Jurisconsulti ambo. Pater capite damnatus ab Heliogabalo, vitam servavit, quia surdus Centurio jussa Imperatoris male intellexit, et exsilio multatus fuit. Ad eum directi creduntur libri Ulpiani, Paulli, et Pomponii ad *Sabinum*. Ejus filius aetatis suae Cato dicebatur, et consiliarius Severi Alexandri Imperatoris fuit.

Sabinus, Vespasiani Caesaris frater, et Senator Romanus, scripsit *Epist.* ad Vitellium, qua querebatur, quod disturbarentur pacta, quibus Vitellius se Imperio abdicavit. Eam refert Tac. *l.* 15. *Ann.*

Sabinus, Jurisconsultus, sine praenomine citatur a Gellio *l.* 11. *c.* 18. ubi *de Furto* disserit, allatis verbis, et sententiis *Sabini de Furto*. Forsitan hic est *Sabinus* Massurius, citatus a Gel. *l.* 4. *c.* 9. ubi de vocabulo *Religiosus*. Hic *Sabinus* de *Indigenis* scripsit. Forsitan non *Massurius*, sed alter ex *Fabiis Sabinis*, de quibus supra.

Sabinus (Hostorius), Orator accusavit Soranum, et ejus filiam Serviliam, eo quod haec pecuniam Magis dedisset. Ita Tac. *l.* 10. *Ann.* Ex quo intelligitur, tunc Magos invisos Romanis fuisse. De *Sabinis* aliis compluribus vide in *Specimine*.

Sacerdotes Ethnicorum Roman. Vide *Flamines* in *Specimine*. Romulus sancivit, Sacerdotes Romae non eligi, qui non essent genere, et virtute excellentes. Excludebat etiam a Sacerdotiis inopes, et corpore non integros propter deformitatem. Ita Halicarn. in *Romanis Antiquitat.* Verisimile est etiam exclusos indoctos. Vide *Metellus* in *M. Pontifices* in P. Illud inhumanum inter Romanos, et barbarum, quod Jovi Latiali humanam victimam sacrificabant, ut Porphyrius testatur. Idem testantur in *Apologiis* pro Christiana Religione Minutius Felix, Tertullianus, Tatianus, S. Athanasius, Prudentius. Primi Romani minus inhumani erant. Vide *Romulus* in R. Lactantius de *Justitia l.* 5. *c.* 10. ostendit, quam inepte Virgilius de Aenea cecinerit:

quo

quo justior alter,
Nec pietate fuit, nec bello major, et armis:
cum, (ut ipsemet Virg. testatur) 4 juvenes, quos Ufens educarat, infernis umbris immolarit. O bone Maro: quo abierat mens tua cum haec scribebas? Sed forsitan haec emendasset, si diutius vixisset, ut emendasset etiam anachronismum, quo Aeneam multis seculis ante Didonem fatis functum, hospitem Didonis facit, praeter multa alia, quae Hyginus, magnus Criticus in Virgilio reprehendit. Vide A. Gellium *l.* 10. *c.* 16. *Noct. Att.* In Bello contra Gallos sacrificia aliquot extraordinaria fecerunt Romani, teste Livio, vivos sepeliendo Gallum, et Gallam, Graecum, et Graecam in foro Boario, ex fatalibus libris.

Saeculum nostrum, quod illuminatum appellatur, tenebris plusquam Cimmeriis involutum, et obscuratum fuisset ab Epicureis Antichristianis Philosophis, qui se *Illuminatores* appellant, si eorum impiis, sacrilegis, impudicis, et histrionicis scriptis Catholici Scriptores doctissimi *Apologiis* suis pro Christiana Religione non restitissent, et omni scelere contaminata esse ea non demonstrassent. Potuissent nempe dicere talium scelestissimorum Operum Auctores: *Nos saeculo nostro mendaciis, et sophismatibus imposuimus, et tamen Philosophi visi sumus: Nos umbram ei pro pane: vitrum pro auro: tenebras pro luce obtulimus scriptis nostris mille contradictionibus refertis, et tamen Illuminatores appellamur: Nos Christianam Religionem, et ejus sectatores irridemus, et tamen Christiani nominamur, vel videri volumus: Nos juventutem ad corporis voluptates sectandas incitamus, ac a pietate, et Religione ad impietatem, a virtutibus ad vitia traducimus, et nihilominus Reformatores vitae, et morum saeculi audimus: Nos transferre saeculum satagimus a recta ratione ad perditam: a mente sana ad amentiam, et insaniam: ab spe bona ad desperationem: a fide ad infidelitatem: a pudore ad petulantiam: a pudicitia, et temperantia ad luxuriam, et crapulam: ab honestate ad turpitudinem: a continentia ad libidinem; fraena demum ad vitia omnia laxamus, et virtutis nomen inane credimus, ac docemus; et tamen humani generis benefactores, esse impune gloriamur.* O caecitatem, et mentis perversitatem singularem! Vide *Philosophia* in P. et verbo *Seculum* sine diphtongo postea.

Sagittandi Ars. In ea fuerunt peritissimi Commodus, et Domitianus Imperatores Rom. Vide Menochium *Cent.* 1. *c.* 82.

Sales, seu *Joci*, et *Facetiae* in dicendo, et scribendo, si urbani, et ingeniosi atque elegantes fuerint, laudantur a Cic. *lib.* 1. *de Off.*, talesque existimat Plauti, et Actiorum in *Comoedia*. Tales etiam putat Sales Philosophorum Socraticorum. Horatius tamen in *Arte* Plautinos Sales parum urbanos arbitratur, dicens:

At nostri proavi Plautinos, et numeros, et
Laudavere Sales: nimium patienter utrumque
(Ne dicam stulte) mirati: si modo ego, et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Vide *Facetiae* in F. *Seneca* infra.

Saltatio, sive *Chorea*. De variis cum seriis, tum ludicris diversarum nationum Choreis in sacrificiis, et in bello, vide Coel. Rhod. *l.* 5. *c.* 3. *et* 4. *ll. AA.*; ubi de laudibus *Artis Saltandi*, quam inter serias Artes, et ingenuas numerabant non paucae nationes. Illic mira narrantur de insigni Saltatore Mimo sub Nerone: vide *Mimi* in M. Saltatio virilis, qua exercebatur Scipio, laudatur a Sen. de *Tranq. animi l.* 1. *c. ult.* ubi reprehenditur mollis, et effoeminata, quae tunc temporis Romae vigebat. Eam sugillat etiam Horatius *Ode* mihi 3, *l.* 6. canens:

Motus doceri gaudet Jonicos (a)
Matura Virgo, et fingitur artubus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungue.
Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico cet.

(*a*) Nota. *Jones*, Graeciae Populus, erant lasciviae, et vitiis aliis dediti.

Ciceronis aevo videtur *Ars Saltandi* parum probata in viris illustribus fuisse: quod colligitur ex *Oratione pro L. Muraena*, quem *Saltatorem* appellabat Cato, ejus Accusator: ubi fatetur Cic. *maledictum* esse, *si vere objiciatur*, *vehementis Accusatoris*: *sin falso*, *maledici Conviciatoris*. Sallustius Semproniam Matronam Romanam arguit, *quod psallere*, *et saltare nosset elegantius*, *quam necesse est probae*. Ita in *Conjur. Catilinae*. Domitianus Quaestorem movit Senatu eo quod gesticulandi, et saltandi studio teneretur. Apud Hebraeos videtur etiam parum in viris gravibus probata Saltandi Ars, ut colligitur ex sugillato Davide ab uxore Michol., quia coram Arca saltaverat. Vide in *Specimine*.

Sallustius (CN.) amicus Ciceronis, Graecus Phil. scripsit de *Diis*, *et Mundo*, ubi de Judicio Paridis, tanquam de quodam

dam Mysterio, vel Symbolo ingeniose disserit. Crinitus putat *Empedoclea* parum Ciceroni probata, hujus *Salustii esse*, non *Crispi Sallustii*, Ciceronis immici. Putat etiam *Orationem Crispi* in Cic. et *Responsionem* Ciceronis satis acrem in *Crispum Sallustium*, supposititias non esse: quod indicare etiam videtur Quintilianus. Unde ortae hae simultates? exploratum non habeo. Cic. in *Epist. ad Atticum* meminit *Publii*, *et CN. Sallustii*, qui Ciceronum amici, et familiares videntur fuisse. In altera ex *Epistolis* ait Cic. se decrevisse filium ad Caesarem mittere cum *Sallustio*. Vide *Epist.* 11. *l.* 11, et *Epist.* 17, et 23. ejusdem *libri*. Alterius ex his *Sallustiis* monitu, (non Crispi) puto Ciceronem Interlocutores mutasse in *libris de Repub.*, et emendandum quod dixi in *Specimine* indicans, monitorem Sallustium Crispum fuisse. In libris de *Divin.* loquitur etiam de quodam *Sallustio*, quem *nostrum* vocat, quin praenomen apponat.

Salutationes quaenam inter vet. Romanos usitatae? Vide *Titulus* in T.

Corollarium.

Sanguis vide *Circuitus* in C. Sanguinis missio venae incisione erat poena militaris inter antiquos Romanos. Multi ex Romanis damnati capite, cum illis concedebatur genus mortis eligere, venarum incisione, et sanguinis missione mori solebant, ut Seneca, Lucanus, alii. Legi de Carthusianis Monachis initio Ordinis apud eos in more positum fuisse, ut singulis mensibus eis vena aperiretur, ut sanguis minueretur. An id ex Ordinis sui instituto fuerit? ignoro.

Fidelia Monita ad Antichristianos nostri aevi Philosophos.

Sapientia. Sapientis est nihil temere credere; ast insipientis etiam est de omnibus dubitare. Hominis sapientis est mentis, et rationis nostrae imbecillitatem agnoscere, et multa credere, quae mens nostra rationis lumine non comprehendit. Quod si id verissimum est in rebus creatis, et finitis, quanto verius in divinis, et infinitis? Itaque non sapientes, sed stultissimi sunt, qui idcirco vel non credunt Mysteria a Deo revelata, vel de illis dubitant, quia ea comprehendere ratione naturali non valent: cum multa etiam in Natura arcana sint, quae superant mentis nostrae intelligentiam, et ratione comprehendere nequimus; et tamen ea non credere,

et

et de illorum dubitare exsistentia insanissimum esset: vide *Ratio Naturalis* in R. S. Augustinus, cujus ingenium omnium hujus seculi Philosophorum ingenia longe superavit, *L.* 1. *de Genesi ad lit.* haec habet: *Ita teneamus fidem Domini nostri, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiae, ut neque falsae Philosophiae loquacitate seducamur, neque simulatae Religionis superstitione terreamur.* Vide item S. J. Chrysostomum *Hom.* 21. *in S. Matthaeum*. Nostrae aetatis Philosophi, si quanta sit eorum mentis imbecillitas, seu quam curta sit eorum ingenii, et rationis supellex, intelligerent; philautiam suam deponerent, et in quaerendis, quae supra captum nostrum sunt, oleum et operam non perderent: hocque possent sapientiores evadere, et humanas disciplinas circa res naturales novis inventis augere, intra limites suos mentem, et rationem continentes: studerent etiam non destruere, quae recte aedificata, et bene fundata jam sunt, sed aedificare humanae sapientiae aedes amplificando, et ornando lucubrationibus suis. Abstinerent illi ab inquirendis se altioribus, et ab scrutandis Fidei Mysteriis, quae supra illos sunt, praesertim si illud S. Paulli Gentium Apostoli cogitarent: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Item illud *Proverb.* 25. *Scrutator majestatis opprimetur a gloria*: illud demum *Eccl.* 3. *v.* 22. *Altiora te ne quaesieris*, et *fortiorum te ne fueris scrutator... In pluribus operibus ejus* (Dei nempe) *ne fueris curiosus*: vide Ludov. Vives de *Verit. fidei l.* 1. Vide itidem Sen. *Ep.* 89. ubi de *utilibus, et inutilibus* QQ. *ad Sapientiam*. Hor. in *Arte*:

Fuit haec Sapientia quondam
Publica privatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Alibi ait, *Sapientiam primam* esse *stultitia caruisse*. Cum vero stultorum infinitus sit numerus; paucos praeditos esse sapientia est necesse. In *Paradoxis Philolog. de Vita, et Morte Lat. Linguae* fit mentio 13. *Allocutionum* ad Sodales, a nobis lucubratarum, quibus indicatur, et munitur iter ad sobriam, et eruditam Sapientiam. Illic typis excusa legitur tertiadecima, in qua contra Philosophos Revelationis divinae seu sacrorum librorum contemptores demonstratur: sine divino ductu, seu magisterio sacrarum Scripturarum neutiquam posse ad veram Sapientiam perveniri. Plus nempe sapientiae hauriri potest ex *Proverbiorum, Sapientiae, Ecclesiastis, et Ecclesiastici sacris libris*, quam ex omnibus Oratorum, Poetarum,

Phi-

Philosophorum, et Historicorum Ethnicorum bibliothecis. Unde intelligi potest, quam superior fuerit Hebraeorum Sapientia Ethnicorum omnium Graecorum, Romanorum, et Aegyptiorum doctrina. Ea vero Sapientia aucta in immensum est, postquam Hebraei non pauci Christi discipuli facti, luce Evangelica perfusi fuerunt, et Spiritus S. donis munerati. Ex his, et ex SS. Ecclesiae Patribus, et non ex Ethnicis Philosophis haurire doctrinam satagant Philosophi aevi nostri, si eis vera Sapientia cordi est. Desinant, oro, adire cisternas dissipatas, quae continere aquas verae Sapientiae non valent: legant Jobi *cap.* 28. ubi dicitur: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia*; et quae S. Gregorius M. *l.*10. *c.*16. *in caput* 12. *libri Job*, de vera, et falsa Sapientia scribit, si vere sapientes esse amant. De *Sapientia* humana haec habet Afranius in *Togata*, cujus titulus *Sella*:

Usus me genuit: mater peperit Memoria:
Sophiam vocant me Graii: vos Sapientiam.

De Cicerone ajebat C. J. Caesar, *Sapientia* sua plus gloriae, quam omnibus triumphis militaribus adeptum. Ita Plin. *H. N. l.* 7. *c.* 30. Forsitan illud Ecclesiastis c. 9. Caesar legerat: *Melior est Sapientia, quam arma bellica*: utinam Cicero veram *Sapientiam* habuisset. Vide *Carnales* in C, ubi dictum S. Augustini contra falsam Sapientiam, seu contra Sapientes, carni servientes.

Saturnalia. In *Saturnalium* 7, aut 9 diebus Decembris mensis, Romani variis jocis, et lusibus dediti erant. Amici litterati in conviviis curiosas quaestiones, et sophismata invicem proponebant cum praemio, et poena unius sestertii, ad coenam solvendi ab eo, qui solvere sophisma, seu aenigma sibi propositum nesciret. Vide Gel. *l.* 18. *c.* 13. *NN. Saturnalia* festa instituta fuere in memoriam Saturni felicis seculi, in quo servorum, et dominorum jura, ut et pauperum, et divitum, aequalia erant. Idcirco hisce diebus servis licebat dominos arguere, et in illos quidvis dicere. Solebant etiam servi una cum dominis mensae accumbere, et cum illis coenare: et nonnulli domini servis accumbentibus ministrabant. Vide *Convivia* in C.

Saturnius, sive *Saturninus*, Trib. pl. turbulentus Orator. De eo, et C. Servilio Glaucia, ei simili, qui item *Concionibus* suis Reip. perniciosus erat, agit Cic. in *Bruto*. De *Saturnii*, seu *Saturnini* hujus nece, vide *Orationem* Ciceronis *pro Rabirio*, accusato a Labieno. De multis aliis *Saturninis* vide in *Specimine*.

Sa-

Satyrus, S. Basilii ex fratre, vel sorore nepos, a S. Basilio eruditus.

SC

Corollarium.

Scaurus (M. Aemilius) (de quo in *Specimine*). De eo Sallustius in *Jugurtha* ait: *Sed ex omnibus maxime Aemilius Scaurus homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum: ceterum callide vitia sua occultans.*

Scelera. Veteres Romani solo rationis lumine magnam esse vim conscientiae agnoscebant, quod non agnoscunt nostri saeculi Antichristiani Philosophi docentes, scelus non esse, quod voluptatem, aut commodum affert, et quae putantur *Scelera* talia vocari, et haberi ex praejudiciis educationis, et vulgi opinionibus. Audiant, quaeso, Juvenalem Ethnicum *Satyra* 13. canentem:

Quosdam conscientia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Poena autem vehemens, et multo saevior illis,
Quas, et Caeditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

Scenici homines et Romae, et in Graecia, seu Comoedi, Tragoedi, Mimi, Tibicines, Histriones improbis moribus fere erant. Quamobrem Arist. in *QQ. Circularibus*, citatis a Gellio *lib.* 20. *c.* 3. ejus Graeca verba afferente, *Artifices Dionysiacos*, et *Bacchanales* illos appellatos fuisse tradit. Vide *Pantomimi* in P. *Histriones* in H.

FIDELIS SERMO AD LEGENTES ANTICHRISTIANOS SCRIPTORES PHILOSOPHOS NOSTRI AEVI.

Sceptici. Ex his alii erant moderati, ut Academici: alii immoderati, ut Pyrrhonici, qui de certissimis, et evidentissimis dubitabant, adeo ut de suamet exsistentia, et de suis dubiis incerti essent. Hi autem magis inter insanos, quam inter Philosophos sunt recensendi. Idem dicendum reor de nostri aevi Antichristianis Philosophis, qui de dogmatibus, et mysteriis certissimis Christianae Religionis vel dubitant, vel dubitare se simulant scriptis, quae spargunt. Utinam illüd S. Jacobi in *Epist.* sua *Catholica* serio cogitarent: *Qui haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et cir-*

circumfertur. An non praedicti Philosophi omni vento impiae, et insanae doctrinae circumferuntur? Apud illos nihil firmum, nihil constans: omnia, quae ad aeternam salutem spectant, vocant in dubium: quo Fidem, omnium virtutum fundamentum amittunt, seque imprudentissime in aeternae damnationis barathrum conjiciunt, quin ex sua infidelitate fructum alium capiant, quam remorsum, et tormenta conscientiae, quae clamoribus suis, vel inter sensiles voluptates, et vitiosorum plausus animi pacem, et tranquillitatem eis eripit, et surdo verbere caedit eorum mentem, quam attonitam reddunt ab ipsis edita impia, impudica, et sacrilega scripta, quae scandalo sunt incautae juventuti, et nostro seculo infamiam creant. Ex hisce dubiis manant tot contradictiones, quae in eorum Scriptis inveniuntur, quaeque Auctorum ignorantiam produnt. Vide *Dubitantes* in D. *Philosophi*, *Pyrrhonici* in P. *Sapientia* supra.

Schola. Antiqui Rom. *Scholam* vocabant Aedes, in quibus Notarii, Librarii, et Praecones Senatus, et Populi suo munere fungebantur. Scholam etiam appellabant, in qua Gladiatores exercebantur. Ita ex antiquis Inscriptionibus.

Scientia semper novis inventis augeri potest. Ita Sen. *Ep.* 65. Vide Baconem a Verul. *de Augmentis Scientiarum*.

Scillo (T. Aelius). Vide *Servilius* postea.

Scipio, Africanus Major, post victos Poenos accusatus ad Pop. a Naevio, nova et singulari defensione usus est, non sine dedecore Accusatoris, et magna accusati gloria, nihil ad objecta respondens brevi *Oratione* sua. Vide *Naevius* in N. Cum postea a Tribuno pl. importuno, et ejus gloriae invidente accusaretur; maluit Literni exsul vivere, quam cum humillimo Trib. pl. contendere de innocentia sua. Ita Quintil. *l.* 11. *c.* 1. Multa de eo, et ejus frugalitate Seneca *Ep.* 87. scripta in Villa Scipionis. Alter ex *Scipionibus* Magistratum petebat una cum competitore Metello. Cum is gloriaretur, quod suffragatores innumeros ex plebe notos haberet, et eorum nomina memoriter teneret, quo posset eos suis nominibus salutare, et hoc ipso benevolos sibi reddere ad suffragia; respondit *Scipio*, se magis curasse, ut factis suis praeclaris notus populo esset, quam populares, seu plebejos agnoscere. Africanus Major adhuc Praetextatus liberavit Patrem *Corn. Scipionem*, Consulem, a Poenorum manibus, et morte, in praelio cum Hannibale ad Ticinum flumen, quo praelio saucius evasit pater.

Scipio, Nasica dictus, repulsam passus est in Praeturae pe-

petitione, eo quod manus Rustici de more prensans, ut suffragium ab eo obtineret, ac callosas manus ejus sentiens, eum interrogavit, an manibus incederet? Hoc dictum Rusticis Tribubus nuntiatum satis fuit, ut ab omnibus ei suffragium negaretur: quo, repulsam passus, sero didicit ob salsum, et acutum dictum amicos perdere non oportere. De *Scipionis* genere loquens Cic. in *Bruto*, ait, *Scipionem* ex ipsius Sapientiae stirpe genitum: memoratque ejus avos et proavos, qui doctrina illustres fuerunt. *Libro 1. de Legibus* citat Tullius *librum 6. de Repub. ex Scipionis Opere*. Vide alia de *Scipionibus* in *Specimine*, verbo *Gracchus*, et verbo *Scipio*. De *Scipionum* eloquentia vide Ciceronem in *Bruto*.

Scoppa, celebris Statuarius, fabricavit Apollinis Colossum 50 pedum altitudinis ex aere erectum in Bibliotheca Apollinis constructa ab Augusto prope domum suam in colle Palatino.

Scriptores. S. August. aiebat, oportere, ut multi de eodem argumento scribant, quia sic ad plures scripta de rebus perveniunt, et multis non placet stylus idem. Nonnullis enim placet concisus, et laconicus, aliis laxus, et Asiaticus. Scriptores non sunt contemnendi, licet in nonnullis deficiant, modo plura in scriptis niteant, et recte lucubrata sint. Ita Horat. in *Arte*, de Poetis loquens, et affirmans, se paucis non offendi maculis, quas aut fudit incuria, aut humana parum cavit imbecillitas. Quibus honoribus sint afficiendi Scriptores? vide apud Vitruvium in *Praef. ad lib. 9.* Cur Christus noluerit res suas a profanis Scriptoribus litteris consignari? Vide Menochium *Cent. 4. c. 31.* Salomonis aevo multos fuisse inter Hebraeos Scriptores indicare mihi videtur Salomon dicens, scribendi libros nullum esse finem.

SE

Corollarium.

Secretum. Juvenalis *Sat. 9.*

O Corydon, Corydon secretum divitis ullum
Esse putas? servi, ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, et postes, et marmora: claude fenestras, cet.

Habet hoc magna fortuna, quod nihil occultum, nihil tectum esse patitur. Vide Claudianum in *Honorii Consulatu*, ubi Patris Theodosii monita ad filium. Vide *Silentium* in S. Horatius *Epist. 19.* ad Lollium:

Ar-

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam:
Commissumque teges, et vino tortus, et ira.

Res magni momenti, quae magnum postulabant secretum in Senatu Romano decretae, asservabantur in loco, quem *Secretarium* vocabant. Hoc Secretarium, quod ignis absumsit, reparatum fuit sub Honorio a Flavio quodam Annio Eugario.

Sectae Philosophorum Ethnicorum 4 praecipuae Romae, et Athenis erant, ex quibus aliae manarunt: Academicorum, Peripateticorum, Epicureorum, et Stoicorum. Philosophi diversarum Sectarum inter se jugiter pugnabant. Eos ad pacem, et concordiam reducere incassum tentavit L. Gellius, Procos. Graeciae, homo facetus. Vide *Gellius* in *Specimine*.

Seculum: vide *Saeculum* antea. (Sunt enim qui *Saeculum* cum *ae* scribant: sunt qui per solum *e*). *Seculum* ferreum sic describit Ovid. *Metamorph. l.* 1.

Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus:
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio Vir Conjugis, illa Mariti:
Lurida terribiles miscent aconita Novercae.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas, et virgo caede madentes
Ultima caelestum terras Astraea reliquit.

Vide *Aureum Saeculum* in A. Si novae Philosophiae Antichristianae Scriptores, et Propagatores inulti, et impuniti abeant, meritisque poenis inflictis non coerceantur; *Ferreum Saeculum*, ab Ovidio descriptum, in orbem reductum, et postliminio revocatum videbitur. Quae enim libido non se projiciet, ut ait Cic. *de Finibus l.* 2., vel proposita, vel stante impunitate? Redibit scilicet Pyrrhae *Seculum*, seu potius antediluvianum infelix Noe tempus, in quo omnis caro corruperat viam suam, humano genere in omne scelus projecto: quo iram Numinis in se Mortales provocarunt. Ad sublimes Potestates spectat haec monstra opinionum e medio tollere, quae Seculum nostrum tenebris, et dedecore obruunt.

Segestes, Dux Catthorum, fide in Romanos notus, Civitate Romana ab Augusto donatus fuit. Ejus ad Germanicum *Orationem* affert Tac. *l.* 1. *Annal.* Ea *Oratione* se purgat a perfidia, cujus apud Romanos reus agebatur. Veniam filio, et filiae, uxori Arminii, a Romanis captae, incolumitatem impetravit.

Sejanus, Tiberii Caesaris magnus adulator, et una superbissimus: quod raro in eodem invenitur; cum adulatio vilis,

et

et abjecti animi vitium sit. Ita Tac. *l.* 4. *Ann.* Juvenalis *Sat.* 10. de *Sejano* haec cecinit:

Ergo quod optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum: nam, qui nimios poscebat honores,
Et nimias poscebat opes; numerosa parabat
Excelsae turris tabulata, unde altior esset,
Casus, et impulsae praeceps immane ruinae.

Vide alia de *Sejano* in *Specimine*.

Sempronius (T.) Longus dictus, Cos. cum P. Corn. Scipione Rom. exercitus dux parum cautus, et expertus, ac lingua magis, quam manu promptus, victus, et fugatus fuit ab Hannibale ad Ticinum, dissuadente frustra praelium collega suo parum antea superato ab Hannibale ad Trebiam, unde saucius Placentiam se receperat.

Senator. De doctrina necessaria Senatori, et de scientia, qua Remp. bene notam habeat, vide Cic. *l.* 3. de *Legibus* prope finem. Vide *Senatus* in *Specimine*. Plin. *l.* 7. *c.* 48. narrat, unum omnino quinquennium fuisse, in quo nullus Senator obiit: quod mirum profecto est, cum tot numero essent Senatores. Nam Triumviratus tempore erant mille; postea, sub Augusto tantum sexcenti, et hic numerus videtur mansisse.

Corollarium.

Senatus Rom. Vide Cassiodorum cum Notis ad *Formulam* 4. *libri* 6. *Variarum*. Senatus Romani auctoritate creabantur Imperatores, vel Senatusconsulto roborabatur eorum electio ab exercitu facta, belli tempore. Electi militum acclamatione in castris expectabant, et optabant consensum, seu approbationem Senatus, ut ex Romana Historia colligitur. Senatus eminebat, in Repub. Romana, auctoritate; Populus autem eminebat potentia. Rata enim non erant, nec vim habebant obligandi Senatus Consulta, seu Decreta, quae Populo probata non erant. Vide alia in *Specimine*.

Seneca (L. An.) de quo multa in *Specimine*. Ejus laudes, et probra, vide apud Danielem Bartolum in *Geographia translata ad Mores*, ubi de *Insula Zeilan*. Illic eum cum Epicteto confert. Quid senserit, et quid vaticinatus fuerit de posterorum Scientia Astronomica, vide ejus *QQ. NN. l.* 7. *c.* 25. Alibi vaticinatur Rom. Imperii ruinam. De ejus longaeva aetate, deque motu, et corporis exercitatione cum puero Earino, quem currentem assequi non valebat: vide *Ep.* 84. In *Praef.* ad *QQ. NN. libros* loquitur de Deo; et Dei

Ope-

Operibus, ut Christianus Theologus, ut etiam in *Exhortationibus*, quas citat Lactantius *c.* 7. *lib.* 1. *de Falsa Religione*. Cum exsularet in Corsica, multa dicteria, seu ingeniosa, et salsa dicta Romae de eo vulgabantur, quae *Sales* appellabantur, et *Joci*. Seneca ad quemdam ex suis aemulis, qui non maledicus cum suis dicteriis, sed facetus his salibus satis mordacibus videri volebat, hos versus scripsit:

Sed tu perque jocum dicis, vinumque, quid ad me?
Quare tolle jocos: non est jocus, esse malignum.
Nunquam sunt grati, qui nocuere sales.

Vide *Metronactes* in M. *Ep.* 77. ait Seneca, tandiu discendum quandiu vivitur. Ipse jam senex ad Scholam Metronactis Philos. ibat ad discendum. Senecae exemplum imitatus postea fuit M. Aurel. Antoninus Imperator. Vide *Aurelius* in A.

Senecio, Orator et Senator, Vespasiani amicus, occisus fuit a Domitiano Vespasiani filio, quia *Oratione* sua in Senatu laudavit Helvidium Priscum. Vide Tac. *l.* 3. *Ann.* et in *Vita Agricolae*.

Corollarium.

Senectus. Apud priscos Romanos neque generi, neque pecuniae tantum honoris tribuebatur, quantum senili aetati. Ita Gellius *l.* 2. *c.* 29. Ovid. *lib.* 3. *Fastorum* cecinerat:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Juvenalis item *Sat.* 13.

Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, et si
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga, et majores glandis acervos.

Senes Romani e conviviis a junioribus domum deducebantur accepto hoc more a Lacedaemoniis, apud quos senes ut patres colebantur a juvenibus: adeout Lysander dicere sit solitus: Lacedaemone esse honestissimum domicilium *senectutis*.

Septimius, fuit alter ex Praetoribus, qui procurarunt Ciceronis reditum ab exsilio. Laudatur hic Praetor a Cic. in *Oratione post reditum*, habita in Senatu.

Corollarium.

Sepulcrum. Quanta sepulcrorum apud antiquos Romanos, et nationes alias esset Religio, tradit Coel. Rhod. *lib.*

17. c. 18. Vide *Funus* in F. Haec Religio non obscure indicat, antiquos persuasos fuisse de Animorum immortalitate. En antiquum *Aenigma* de Niobe in saxum conversa; non de Lothi uxore in statuam salis, ut putavit Corn. a Lapide; licet ei possit aptari:

Cadaver non habet suum sepulcrum:
Sepulcrum nec habet suum cadaver;
Sepulcrum tamen, et cadaver intus.

Sepulcra Trajani, Antonini, et Adriani Imperatt. Rom. quorum vestigia Romae supersunt, quantumvis magnifica, non aequarunt regum Aegypti *Sepulcra*. Talia erant Pyramides Aegyptiae, quae inter mundi miracula celebrantur. In *Sepulcris* mos erat reponere thesauros, et res defuncti pretiosiores: quod Romanis Legibus demum vetitum fuit; adeo ut locus religiosus non esset *Sepulcrum*, in quo pecuniae, vel res pretiosae repositae essent. Ita *l.* 4. *Dig. ad l. Jul.* In Davidis *Sepulcrum*, teste Josepho Hist. Hebraeo, intulit Salomon plusquam 3 *millia talenta*, idest, plusquam 44, quos vulgo dicimus *milliones scutorum*, secundum Villalpandi Hispani Jesuitae doctissimi sententiam de valore talium *talentorum*. Vide Josephum *Judaic. Antiquit. lib. 7. cap. 12.*

Serapion, Antiochenus Episcopus, multa scripsit, quae refert Eusebius *Hist. Eccles. lib. 6. c.* 10. Praeter alia, quae ad Eusebium non pervenerant, meminit Scriptorum ad Domnum quemdam, qui tempore persecutionis ad Judaicam superstitionem a fide Christi declinaverat, et aliorum ad Pontium, et Carinum viros Ecclesiasticos, ut etiam libri de Evangelio Petri, quo utebantur Docitae haeretici ad suos errores. Haec Scripta desiderantur.

Serapio (Herennius). Cic. *Ep.* 19. *l.* 10. ad *Att.* eum appellat doctum, et probum virum, addens, se in animo habere cum eo navigare. Diversum hunc puto ab eo, qui sequitur, et a *Serapione*, de quo in *Specimine*.

Serapio, insignis Pictor prospectuum, et regionum, qui hominem pingere nescivit. Ita Plin. *l.* 33. *c.* 10.

Serenus (Annaeus) forsitan ex gente, vel familia Senecarum, vel propinquus Annaeorum Cordubensium. Eum carissimum, et suum vocat L. An. Seneca, et ad eum direxit *libros* de *Tranquill. Vitae*. Eundem deflet mortuum *Ep.* 64. indicans Lucillio, se esse *Sereno* majorem natu. De *Vibio Sereno* vide *Accusatores* in A.

Sertorius (de quo multa in *Specimine*), fuit alter ex magnis

gnis Ducibus unoculis, seu altero oculo orbatis, qui res insignes in bellis gesserunt. Alii fuerunt Philippus Macedo, Hannibal, et Antigonus.

Servilius (P.) *Balatro* dictus, a quo *Balatrones* Devoratores appellati. Hic multa in Augustum amara dicebat, nec sine joco, et sale. Ita Acron in *Sat.* 2. *l.* 2. Horatii.

Servilius (Geminus): laudatur in *Annalibus* ab Ennio *lib.* 7. ejus ingenium, Scientia, Comitas, Modestia, Fides, Silentium. Vide Gel. *l.* 12. *c.* 4. qui Ennii versus affert cum magno praeconio eorum suavitatis, et odoris antiquitatis. Addit post eos, T. Aelium Scillonem dicere solitum, Q. Ennium de semetipso eos versus scripsisse, et picturam esse morum, et ingenii Q. Ennii. Praefatus *Servilius*, vir nobilis, Cos. fuit una cum M. Glaudio, tempore belli Punici 2. Ejus meminit T. Livius in *Decade* 3.

Corollarium.

Servi. De *Servis*, qui vel ob suam doctrinam, vel in dominos fidem, in magnam fortunam evaserunt, vide Plin. *l.* 35. *c.* 17. *et* 18. De *Servis dedititiis*, et formula deditionis, qua Populus Collatinus se Romanis obsessoribus dedidit, vide Livium *lib.* 1. *Hist.* De *Servis Coronatis*, seu qui sub corona vendebantur, agunt Iurisconsulti in *Corpore Juris*. De *Servis fugitivis*, vide *Offilius* in O. De his agit eruditissime, et eleganter celebris Jurisconsultus Catalanus DD. de Vilossa, (quem Illustrissimus de Marca *Hispanum Cujacium* appellabat) in *Opere* de *Fugitivis*. *Servi* ab emptoribus interrogari solebant, quam artem callerent? Diogenes Cynicus Philosophus, cum sub corona venalis esset, interrogatus de hoc, respondisse dicitur, se scire artem dominis suis imperandi. Vide *Divitiae* in D. *Luxus* in L. Quinam *Servi recepticii* dicerentur? tradit Gel. *l.* 17. *c.* 6. ubi de *Lege Voconia*, qua filiae arcebantur a solida haereditate. *Servi* Romae instar pecudum habebantur, nec poena alia multabatur, qui alienum servum percuteret, quam ea, quae *Lege Aquilia* statuta erat contra percutientem bovem, aut canem alterius. Vide Sen. *Ep.* 17. Tacitus *l.* 14. *Annal.* narrat, fuisse poena capitis multatos 400 servos ad expiandum homicidium Equitis Rom. a servo quodam patratum, et hoc spectaculum gratum fuisse Pop. Rom. quod indicat feritatem, barbariem, et inhumanitatem Romanae plebis. *Saturnalitia* libertas unde dicta? vide *Saturnalia* superius. *Servi* de furto suspecti ducebantur ad Sacerdotem, qui crustum panis carmi-

ne, seu verbis quibusdam magicis infectum singulis dabat: Eum, qui panem edebat, manifestum furti reum Sacerdos asserebat. Ita Acron in *Ep.* 10. *l.* 1. *Horatii*. Pessima omnium servitus est ea, qua quis passiones non fraenando eis se subjicit: cum, ut recte Horatius, eae *nisi pareant*, *imperent*. Philosophi igitur Epicurei Antichristiani, qui docent pestiferis libris suis non compescendas passiones, sed sensuum voluptatibus indulgendum, monstra sunt, non homines; cum eorum doctrina, et divinae, et humanae, et naturali legi adversetur, humanamque dissolvat societatem, homines inducendo ad omnis justae dominationis contemtum, januamque ad scelera cuncta aperiat. De servis humane, et benigne tractandis, vide Sen. *Ep.* 47. Romani, qui Mundo imperabant, et Gentium domini erant, post devictum Pomp. a C. Jul. Caesare (qui omnia pro arbitratu disponebat, uti post eum ejus Successores in Imperio) servi facti Caesarum sunt, amissa pristina libertate. Nihilominus Caesares affectabant libero populo se imperare, fucatam libertatis imaginem Romanis relinquendo, et veram servitutem ab eis exigendo. *Servi Venales*, vilissima creta pedibus adhibita signabantur, et notabantur. Ita Plin. *l.* 35. *c.* 17. *H. N.* *Syrus* quidam in Sicilia 60 millia servorum collegit, ad bellum contra Romanos. Illi castella, vicos, oppida vastarunt, et castra Praetorum ceperunt. Tandem a Perpenna Imperatore supplicium de eis sumtum prope Aetnam. Iterum postea insurrexere, ut prius saevientes; sed eos Aquilius delevit.

Servilius (P.) Orator, et Senator, gravi *Oratione* Ciceroni conciliavit Q. Metellum Cos. una cum Lentulo, sub quorum Consulatu Cicero Romam rediit ab exsilio revocatus. Eis gratias agit Cic. in *Orat. post reditum*.

Setinus (Val.) Poeta Patavinus, juxta Aponam natus, scripsit *Argonautica* ad Domitianum, imitatus Apollonium Rhodium. Amavit Amazonicum puerum. Immatura morte obiit mediocri censu in vita usus. Haec ex Crinito, et Ravisio.

Severianus, Gabalensis Episcopus eloquentissimus, S. Joannis Chrysostomi inimicus occultus. Ita Sozom.

Severus, Rom. Imp. Victo Piscinnino, qui Byzantium possidebat, eam Urbem diruit, nec reaedificata fuit usque ad M. Constantinum. Vide de eo in *Specimine*, ubi de aliis *Severis*.

Sextus, sub Severo Imp. *librum* edidit *de Resurrectione*, citatum ab Eusebio, et S. Hieron. Compertum non habeo, an

an hic sit *Sextus* Ecclesiasticus Scriptor, et Philosophus citatus a S. Maximo interprete S. Dionysii de *Myst. Theologia cap.* 1.

Sextius, Philosophus, de quo in *Specimine*. Laudatur a Cic. *Epist.* 1. *l.* 10. ad Att. Seneca *Epist.* 65. plura ab eo sapienter de moribus dicta refert. Eum etiam laudat *Epist.* 99. eo quod, cum dignus esset Remp. capessere, latum clavum, a Caesare oblatum, non admiserit, honores fugiens. De eo, et Socione Philos. loquitur *Epist.* 109. Diversus mihi videtur a *Sextio*, ad quem Hor. scripsit *Odem* 4. *lib.* 1.

S I

Sibyllae. Cic. in *libris* de *Divin.* videtur sentire, Oracula Sibyllina, quae magna cura Romae asservata consulebantur, ac ab Interpretibus exponebantur, conficta fuisse. In illis, ut in iis, quae nunc leguntur, erant versus Acrostici. Vide multa de *Sibyllis* in *Specimine*.

Sicinius (Jul.) Orator infelicis memoriae, teste Cicerone, ob cujus defectum inter orandam Caussam irridebatur ab Auditorio.

Sicinius, Vir eloquentissimus, a Maximo Philosopho una cum Juliano Apostata litteris eruditus, ordinatus Episcopus ab Agellio Novatianorum Episcopo sub Theodosio, et Successor Agellii in Episcopatu designatus fuit contra vota Novatianorum, qui Martianum optabant Episcopum. Ut morem gereret gregi suo, Martianum etiam Episcopum ordinavit Agellius morti proximus, designans Successorem suum proximum, seu primo loco Martianum, et Sicinium post Martianum. Ita Socrates Hist.

Sidetes (Philippus) ordinatus Diaconus a S. Jo. Chrysostomo, scripsit contra Julianum Apostatam. Ita Socrates *H. Eccles. Tripartitae l.* 7. Liberatus in *Breviario* nos docet, in Concilio Ephesino an. 431. a multis quaesitum *Sidetem*, ut in locum depositi Nestorii, Constantinop. Episcopi, sufficeretur.

Sillanus (Jun.) Asiae Procos. *Aurea pecus* a C. Caesare dictus, quia valde dives, sed valde deses, et Principibus fastiditus. Forsitan nesciebat monitum Horatii, *vitanda improba siren desidia*.

Corollarium.

Silentium. Littera *S* apud antiquos Romanos erat *Silentii* nota, quae apponebatur in foribus conviviorum, ad monen-

dum Combibones de *Silentio* eorum, quae in convivio dicebantur, vel ut ea oblivioni mandarent, tanquam indicta. Unde illud: *Odi memorem Compotorem*. Vide Coel. Rhodig. *l*. 12. *c*. 18. Vide etiam verbo *Lingua* in L. Pythagoras valde commendabat piscium *Silentium*, et discipulos suos pisce mutiores optabat per annos aliquot. Prudenter agunt, qui ea, quae semel ad linguam, bis ad limam adducunt. Oportet scilicet multum cogitare, et parum loqui. In multiloquio, ait Salomon, non deerit peccatum. Vide *Gestus* in G. *Mimi* in M. Item nonnulla in *Specimine*.

Silo (Popaedius) Vir eloquens, et ingeniosus, belli Socialis Auctor. Is suasit orando ad Populos Italiae, Romanorum socios, ut jus Romanae civitatis sibi, si opus esset, armis procurarent: quod praestiterunt valido exercitu contra Romanos conscripto, qui post multas victorias, tandem superatus fuit a Mario, et Sylla.

Silvia, filia Rufini illius, qui sub Honorio Barbaros in Imperii perniciem evocavit, fuit Sacra Virgo, de cujus indefesso studio litterarum, deque ejus continentia, et vitae austeritate multa tradit Palladius in *Lausiacis*.

Similis, Vir fortissimus, et militari arte notus apud Romanos sui temporis, vacatione impetrata a publicis muneribus, septennium totum in agris vixit, a curis publicis expeditus. Inscribi sepulchro suo jussit: *Similis jacet hic, cujus aetas multorum quidem annorum fuit, septem quamvis tantum annis vixerit*. Forsitan legerat *Odem* 2. *lib. Epodon* Horatii: *Beatus ille*, cet.

Simon Magus. De eo S. Clemens, vel alius sub ejus nomine in *libro* 2. *Recognitionum*, tradit hominem ex aere formasse: se autem invisibilem fecisse. Item statuas animasse, et in aera sublatum volasse: aurum repente in magna copia exhibuisse: falci imperasse, ut meteret, eamque ivisse, et plus decuplo caeteris messuisse: saxa penetrasse: fecisse, ut meretrix Selene, quam secum ducebat, in pluribus fenestris cujusdam turris a circumstante multitudine, quae infra erat, eodem tempore videretur. Alia de eo narrat Anastasius Nicaenus *Q*. 23. *in Sacram Scripturam*. Ejus volatum etiam S. Maximus tradit. Si haec ita sint, Daemonum ope haec fecisse dicendum est. Ast, ut verum fatear, quae narrantur, si excipias, quae in *Actibus Apostolorum* leguntur de *Simone Mago*, magis rumores vulgi, omnia in immensum augentis, quam veras historias crediderim. Valde suspecta ea facit silentium Ethnicorum Historicorum illius aevi, qui

qui multa, minus mirabilia, de *Magis* scripta reliquerunt: praesertim Plinius in *Historia* sua *Nat.* in qua de *Arte Magica*, et *Magorum* potentia, et scientia, quas vanas arbitratur, saepe agit. De *Simone* autem *Mago*, et de ejus rebus, ne verbum quidem. Inventa dicitur *Inscriptio* Romae posita *Simoni Deo Sancto*, et, ut creditur, sub ejus statua, quae periit. Verum *Inscriptio*, non *Simoni*, sed *Semoni Deo sango*, Sabinorum Deo, erat posita: et haec verba in ea a severioribus, et diligentioribus Criticis lecta sunt, non prima, ut indicavi in *Specimine*. Vide *Epist.* M. Ant. Mureti de *Semone* hoc *Sango* ad Jul. Jacobinum, qui eum interrogaverat de Inscriptione illa.

Simplicianus, vir doctus, varias Quaestiones S. Augustino proposuit, quibus *Epistola*, ad eum scripta, S. Doctor satisfecit. Diversum hunc arbitror a S. *Simpliano*, cujus gravi adhortatione, proposito exemplo Marii Victorini, ad fidem Catholicam amplectendam S. Augustinus permotus, et persuasus fuit. Erat hic Presbyter sanctus, et eruditus, a quo multa didicit Augustinus Mediolani degens.

Siticines, a Rom. antiquis vocabantur, qui apud sitos, seu sepultos canebant. Dicebantur etiam *Sitinnistae*. Vide Gel. *l.* 20. *c.* 2.

S O

Corollarium.

Societas humana non subsistet, si unusquisque ad se trahat, vel vi, vel fraude, quod sibi utile, et commodum, vel volupe est. Ita Cic. Seneca, alii Ethnici Philosophi, in doctrina de moribus, Antichristianis nostri aevi Philosophis praeponendi.

Socrates Historicus, et Causidicus Constantinopolitanus patria, vivebat sub Theodosio Seniore, et ejus filiis Imperatoribus. In Grammaticis habuit Praeceptores Ammonium, et Helladium Alexandrinos Grammaticos Ethnicos, licet Socrates Christianus esset. Multi celebres Scriptores contendunt fuisse Novatianum, aliis contrarium arbitrantibus, inter quos Valesius in ejus vita. Vide *Troilus* in T.

Soloecismus. Cicero, licet valde diligens in corrigendis suis *Operibus*, devitare non potuit ex inadvertentia aliquot soloecismos, qui a nonnullis hypercriticis notantur, licet forsitan librariorum ignorantiae, vel oscitationi tribui possint. In *Epist.* 9. *ad Famil. lib.* 1. ait: *Itaque ejus omni, et gratia*

quae summa est, *et opibus*, *quas intelligis esse maximas* cet. Criticis videtur dicere debuisse, vel *opes* pro *opibus*, vel *omnibus* ante *gratia*. *Lib.* 3. *Ep.* 11. *ad Fam. M. T. Cicero Appio Pulchro*, *ut spero*, *Censori*, *salutem dicit*. Videtur dicere debuisse, *ut sperat*, quia illi respondet *Salutem dicit*. In *Bruto* seu de *Claris Oratoribus c.* 20. loquens de *Catone*: *Catone vivo* bis ponit, adjecta parenthesi, sic *Catone vivo*: *vivo Catone*. In *Epist.* 4. *l.* 10. *ad Att.* initio loquitur de litteris acceptis ab Attico, et postea veluti, si *Epistolam* pro *litteris* scripsisset, addit: *ea vero quae voluminis instar* cet. cum dicere debuisset: *eae vero*, *quae voluminis instar erant saepe legendae*, *in quibus* cet. Nec Terentius Soloecismis caruit. In *Eunucho* enim *Actu* 1. *Scena* 2. de *Eunucho* in singulari loquens addit: *quia solum his reginae utuntur*. Soloecismo etiam peccat Plautus in *Mustel. Actu* 2. *Scena* 1. *Faciam patrem tuum*, *ne intret*, *et fugiat*. Nec immunis hoc vitio Virg. qui *Ecloga* 4. *v. ult. Qui non risere Parentes? Nec Deus hunc mensa* cet. Hirtius de *Bello Afric.* notatur *c.* 25. dicens. *Dum haec fierent*, *rex Juba*: : *non est visum*, pro *regi Jubae*. In Varrone de *Re rust. l.* 1. *c.* 12. *Sin cogare secundum flumen aedificare*, *curandum ne adversum eum ponas*, pro *adversum illud*. Vide *Barbarismus* in B. Hisce exemplis excusari poterit, qui ex inadvertentia in soloecismum inciderit, quod facillimum est in longa lucubratione. Vide alia in *Specimine* v. *Soloecismus*, et in Epistola quadam M. Ant. Mureti ad Cardanetum, ubi variorum veterum Latinorum Soloecismi notantur, praeter heic relatos, Sallustii nempe, Virgilii, Ciceronis, Terentii, cet.

Somnia. Romani Ethnici multum *Somniis* tribuebant ad futura divinanda, seu praenoscenda. Vide *lib.* 1. Ciceronis de *Divin.* ubi multa *Somnia* narrantur, quae vera comperta sunt. Ibidem quid Plato de *Somniis* senserit, traditur. Illud in dubium vocari non potest, Deum per *Somnia* de multis Viros sanctos monuisse: quod ex sacris litteris constat. Quin etiam existimarim, per Angelum Custodem saepe in viris improbis excitari *Somnia*, eis salutifera, seu ad bonum eos convertentia. *Somniorum* Descriptionem elegantissimam vide apud Claudianum in *Praef.* ad *Panegyricum de Sexto Honorii Consulatu*. Aliam Descriptionem legere est apud Petronium Arbitrum, ni fallor, quae incipit:

Somnia, *quae mentes ludunt volitantibus umbris* cet.

Sopater, Ethnicus Phil. Constantino M. valde charus, accusatus ab Ablavio, Praef. praet. quod arte magica ventos vin-

vinxisset, ne frumentum ex Aegypto Byzantium seu Constantinopolim adveheretur, poena capitis punitus fuit. Ita Eunapius in *Vitis Philos.* Vide in *Specimine Ablavius* in A, et *Sopater* in S. Eunapius Ethnicus tradit, Sopatrum accusatum fuisse ab Ablavio, eo quod gratia, et favore Constantini eum superaret, quod aegre ferebat Ablavius, qui Sopatrum viderat ad Constantini dexteram vel sedentem, vel cum eo ambulantem.

Sophismata, seu captiosae Argumentationes. Ea, ut nugatoria reprehendit Sen. *Ep.* 45. 49. et 50. Vide *Convivium* in C. *Rhetorice* in R. De illis agit Gel. *l.* 16. *c.* 2. Cic. in *Lucullo*, De Colonia *lib.* 3. *Artis Rhetoricae c.* 2. ubi de *Dilemmate*, *Crocodilo*, *et Argumento insolubili:* Facciolatus in *Acroasibus*.

Sophronius, Photini aequalis, insigne *Opus* edidit de *Subversione Serapidis*, *Idoli Alexandrini*. De Serapidis fani eversione jussu Theod. M. agit Rufinus *Hist. Eccl. l.* 11. De ea etiam nonnulla indicat Eunapius, multa garriens contra Monachos Alexandrinos.

Soranus. Bini hujus nominis (Q. et D.) non tam in dicendo mirabiles, quam docti graecis, et latinis litteris. Ita Cic. in *Bruto*. De *Val. Sorano*, vide in *Specimine*.

Soranus Augur ignarus. Vide *Claudius* (P.) in C.

Sornatius citatur a Plinio *l.* 31. *H. N.*

Sosipater, doctus Sacerdos, ad quem scripsit S. Dionysius Areopagita *Epist.* qua eum hortatur, ut non tam in falsis opinionibus arguendis, quam in veritate stabilienda laboret.

Sosipatra Maga, a daemone docta, novit, quae alibi gerebantur. Item exponebat Scripta Poetarum, Oratorum, et Philosophorum. Vide Eunapium in *Aedesio*.

Sositheus, Puer festivus, Ciceronis Anagnostes. De ejus morte immatura loquitur maestus Cic. in altera ex *Epistolis* ad Atticum *l.* 1.

S. *Soter*, Rom. Pont. Fundis in Campania natus, martyrii laurea insignitus sub M. Aurelio. Decrevit, ne sacrae Virginae, seu Diaconissae pallas attingerent, neve vasa sacra contrectarent. Item, ne thus ad altaria adolerent. Statuit insuper, ut omnes, exceptis iis, qui peccato impediti essent, Christi Corpus in Coenae Domini die sumerent. Praefuit Ecclesiae *an.* 9.

Sozimus Ethnicus Historicus sub Honorio, Christianis infensus. Ejus *Historiae lib.* 6. et pars 5. interciderunt, vel latent. Vide in *Specimine* alia de eo in Z. verbo *Zosimus*.

So-

Sozomenus Causidicus, et Historicus, qui Historiam suam Theodosio Juniori dedicavit. Videtur floruisse imperante adhuc Honorio Theodosii Junioris patruo.

S P

Corollarium.

Spectacula. Sen. *Ep.* 7. bonis moribus exitiosa esse *Spectacula*; quibus veteres Romani valde addicti erant, docet: quod etiam de Comoedia, et Tragoedia arbitratur Cic. *Tusc.* QQ. 2. *et* 5. *libro*. Quid senserit Ovid. de Foeminis, quae frequentant *Spectacula?* vide *Foeminae in* F. De Pop. Rom. furore in spectandis ludis theatralibus vel cum imminenti vitae periculo, vide Plin. *l.* 36. *c.* 15. *H. N.* ubi de Curionis Theatro ligneo, quod binis cardinibus in aëre pendens sustinebatur, et in quo Populus sedebat laetus, intentus spectaculis. Alter ex Rom. Imperatoribus Elephantos funambulos spectandos populo dedit. P. Sylla 100. jubatos leones. J. Caesar 400. Pompejus 600. Vide alia in *Specimine* verbo *Spectacula* in S, et hic V. *Animalia* in A: verbo *Mansuetarii* in M.

Corollarium.

Speculum. Antiqui Romani utebantur *Speculis* metallicis, cum nondum vitrum in usu erat, nec crystallus. Pretiosiora erant, quae Brundusii fabricabantur, temperata ex stanno, et aere mistis. His praelata erant argentea, quibus postea, cum luxus Romae invaluit, ancillae etiam utebantur. Ita Plin. *l.* 33. et 34. *H. N.* Archimedes aeneis speculis naves Romanorum Syracusas obsidentium combussit. Vide Phaedrum *l.* 3. *Fabula* 8. Sen. QQ. *NN. l.* 1. *c.* 17, Apuleium in *Socratis Apologia*.

S T

Stalenus, Judex. Vide *Bulbus* in B.

Statuarii. Summi in Statuaria, et Sculptura fuerunt sub Diocletiano SS. Martyres Claudius, Nicostratus, Symphorianus, Castorius, et Simplicius, qui nullis minis, nullis suppliciis adduci potuerunt, ut Idolorum statuas fabricarent. Occisi fuerunt Romae propter Christianam professionem, et eorum memoria in Ecclesia celebratur 6. Idus Novembris. De *Statuariis* antiquis insignioribus, vide Plin. *l.* 34.

Sta-

Statuae in Graeciae urbibus erant innumerae, et Graecorum exemplo, Romae partim ibi factae, partim a L. Mummio, et L. Lucullo Romam ex devictis Graeciae, et Asiae populis Romam adlatae, tot visebantur erectae, ut alter Pop. marmoreus, et aeneus Romae esse diceretur. Vide Cael. Rhod. *l.* 39. *c.* 24., et Plinium *l.* 34. *H. N.* Ex *Statuis*, quae Corinthi incendio liquefactae fuerunt, aes Corinthium evasit, metallis variis, auro, argento, aere inter se mistis. *Statuae* Deorum in templis Romae, ante devictam Graeciam, erant ligneae, vel terreae. Vide *Plastice* in P.

Corollarium.

Statura. Procera statura in homine cum membrorum debita proportione majestatem, et auctoritatem secum affert, quam sibi procurabat Augustus statura mediocri a natura donatus, utens calceis altioribus, ut procerior appareret. Ita Suet. in *Augusto c.* 73. In Ausonio legitur lepidum *Epigr.* de *Faustulo* quodam, valde pusillo, formicae insidenti, ex qua decidit, et calcibus ejus pene occisus fuit. Pyrrhus in militum delectu proceros legi jussit. *Grandes elige*, ajebat: *ego fortes reddam*. Jubent Valentinianus, et Valens Imperatores, delectum militum haberi in quinque pedibus, et 7. unciis usualibus: quae *lex* habetur in *Cod. Theodosiano*. Maximinus Imp. *Statura* procera, et corpore robustissimus fuit: primum pastor, deinde miles, et tandem Rom. Imperator. Plin. minor laudat Trajanum a proceritate. Ajacem ab eadem Homerus *l.* 3. *Iliad.* et Virg. Anchisem *Aeneidos l.* 8. Eunapius de Proeresio Phil. ait, fuisse inter procerissimos quosque sui temporis. De Saulis proceritate, vide *lib.* 1. *Regum c.* 9. *Statura* pusilla fuerunt Alexander M. Ulysses, Agesilaus, Horatius Flaccus, S. Paullus, S. Greg. Nazianzenus, S. Hieron. S. Joan. Chrysost. S. Antoninus Florentinus Archiep. ut etiam Zacchaeus Publicanorum princeps, Pipinus, Corn. a Lapide: qui omnes viri insignes fuerunt. Haec dicta sint ad pusillorum statura solatium.

Status. De iis qui ex humili statu ad magnam fortunam evaserunt, vide Petrum Messiam in *Sylva* variae lectionis *Parte* 2. *c.* 32.

Stephanio, Pantomimus, virgis antea multatus per trina theatra jussu Augusti; relegatus fuit, eo quod Matronam in puerilem habitum circumtonsa ei ministrasset. Is primus

To-

Togatariorum saltare instituit, et teste Plinio, binis secularibus ludis saltavit, quod probat, eum diu vixisse: vide Plin. *lib.* 7. *c.* 48.

Stephanus Scholasticus vertit ex Graeco in Latinum Socratem, Sozomenum, et Theodoretum, ex quibus versionibus solum superest Cassiodori Epitome, quae Historia tripartita vocatur. Cujus aetatis fuerit Stephanus? non liquet. Videtur saltem Cassiodoro antiquior. Forsitan Socratis, et Sozomeni aequalis.

Stheneleus. (Acilius) laudatissimus in Arte Agriculturae. De eo Plin. *l.* 14. *c.* 3. Erat libertinus.

Stheno, Mamertinus patria, Orator, *Oratione* sua placavit Pomp. qui Mamertinos ob defectionem a Romanis, punire decreverat, se unum affirmans defectionis Auctorem, et punitione dignum. Ita Plut. in *Politicis ad Trajanum*.

Stilbo, seu *Stilpo*, minutus Phil. sed molestus sophismatibus suis. De eo Cic. in *Lucullo*. Ignoro, sit ne hic *Stilpo* Megarensis Phil. qui Dialogos scripsit, et praefuit scholae Megarensi: de hoc Cic. de *Fato*.

Stilicho, Insignis militari arte sub Theodosio M. et ejus filiis, Honorii Aug. tutor designatus, laudatur a Claudiano variis Panegyricis ejus militaris virtus. Ei erecta Romae fuit statua cum praeclaris titulis. Demum *jussu Honorii* occisus fuit, quia ambiebat Imperium.

Stobaeus (Joan.), Phil. scripsit de *Animorum Immortalitate*.

COROLLARIUM.

Studium. De utilibus, et inutilibus litterarum *Studiis*, vide Sen. citatum verbo *Sophismata*. *Studium* sine divite vena, etiamsi non desit ingenium, ad Poesim non sufficit, teste Horatio. Vell. Paterculus *l.* 1. *Hist.* ait: *Ubi praeteriri, aut aequari eos, qui praecesserunt, posse desperavimus studium cum spe senescit*. De Sacrae Scripturae *Studio*, quo vera sapientia comparatur, vide Menochium *Cent.* 2. *c.* 87.

Stoici veri, pauci. Ita Epictetus. Vide Gel. *lib.* 1. *c.* 1. Cic. in *Orat. pro Muraena*, *Stoicorum* Sectam tam salse irrisit atque facete, ut Auditorium risu dissolveretur. Cato autem, rigidus Stoicus, Murenae Accusator, videns, sectam suam ludibrio esse, ac irrideri a Judicibus, et Pop. ex dictis a Cicerone tunc Consule, exclamavit; *Dii boni? quam ridi-*

ridi-

ridiculum habemus Consulem. Ita Plut. Horat. *Ep.* 1. *l.* 1. ridet *Stoicos*, qui docebant:

Ad summam sapiens uno minor est Jove: dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum:
Praecipue sanus: nisi cum pituita molesta est.

Seneca vero *l.* 2. de *Tranquil. animi* laudat *Stoicos*, et objectis in eos respondet. Vide *Stoici* in *Specimine*.

Strategius, eloquentia clarus, et in rebus Ecclesiasticis versatus, consultus fuit a Constantino Magno super damnatione Novatianorum.

Stylus. *Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae sua omnia*. Ita Plin. in *Praef. ad Hist. Nat. Illa quae curam fatentur, et ficta atque composita videri volunt, nec gratiam consequuntur, et fidem amittunt*. Ita Quintil. Illum profecisse se noverit in latino sermone, cui Ciceronis *Stylus* placet. Ita Quintilianus. In *Parad. Philologicis de Vita, et Morte latinae linguae* diximus, quinam Romani scriptores sint imitandi in *Stylo* Oratorio, Historico, et Poetico varii generis. Vide *Stylus*, et *Latinus Sermo* in *Specimine*. Vide etiam verbo *Oratores* ibidem.

S U

Suetonius in *Ludicra Hist.* citatur a Gel. *l.* 9. *c.* 7, ubi de Citharae fidibus ait, brumali tempore alias digitis pelli, alias sonare. De eo in *Specimine* verbo *Tranquillus*.

Suffejus (L.) Attici amicus, qui multis annis Athenis vixit, Philosophiae incumbens studiis. Erat Rom. Eques, valde dives, et multa praedia in Italia possidens: quae, cum a Triumviris vendita fuissent, Attici diligentia, et curis ei reddita fuerunt. Ita Corn. Nepos in *Attici Vita*.

Corollarium.

Suicidium. M. Val. Martialis furiosos putabat, qui se occidebant. De Fannio enim Caepione, proscripto, eo quod in Aug. conjurasset, qui percussores fugiens se interemit, haec habet *lib.* 2. *Epigr.*

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare mori?

De Fannio hoc loquens Seneca secum pugnare videtur. Cum enim Catonis *Suicidium*, ne in manus Caesaris victoris veni-

niret, laudasset, de Fannio, sibi manus inferente, ait: *Sic mori vinci est*. Plebeii Romani inopes se occidebant, ne laborare cogerentur in Operibus publicis sub Tarquinio Prisco, Romanorum rege. Contra hoc malum pro remedio adhibuit rex poenam in Suicidarum cadavera, quae jussit cruci affigi. Vide Plin. *l.* 36. *c.* 15. Vide *Latro* in *Specimine*, et verbo *Suicidium*.

Suillius (P.) sive, ut alii scribunt, *Sevillius* Messallinae turpitudinum administer (vide Tac. *l.* 13. *Ann.*) Germanici Caesaris in Asia Quaestor, et eloquens Romae Orator. In *Oratione*, quam habuit contra Legem Cinciam, pro cujus instauratione oraverat Seneca, hunc sugillat, tanquam Germanici domus adulterum: ut invidum verae, et solidae Eloquentiae eorum, qui cives suos tuentur: ut assuetum inertibus, et imperitis juvenum studiis: ut avarum, et testamentorum captatorem: ut Italiae, et Provinciarum vastatorem, intentum cogendis immensis divitiis contra sua Philosophica praecepta. An irato, et contra legis observantiam, quam Sececa urgebat, oranti, sit fides adhibenda? lector dijudicet. Vide de illo in *Specimine*.

Sulla, litterator, seu Grammaticus, Catulli, et Licinii Calvi aequalis. Ejus meminit Catullus in *Epigr. ad Calvum*.

Sulpicia, Poetria ex nobilissima Sulpiciorum familia, Caleni Poetae, genere etiam nobilissimi, uxor. Sunt multae Inscriptiones antiquae Caleni familiae positae. Vide alia in *Specimine* de *Sulpicia*, ubi de ejus Poematibus.

Sulpicius (Servius), insignis Jurisc. scripsit de *Dotibus lib.*, in quo de *Sponsalibus* secundum jus Latii agit. Vide multa alia de eo in *Specimine*, et de aliis hujus nominis.

Sumtuariae leges: Vide *Convivia* in C: *Luxus* in L. Pro moderandis coenis, et conviviis multae leges Romae diversis latae temporibus fuerunt: *Fannia*, *Licinia*, *Aemilia*, *Antia*, *Julia*: de quibus Gel. *l.* 2. *c.* 24. et Macrob. *l.* 3. *c.* 9. *Saturnalium*.

Superbi. Romanis victoribus solemne erat: *Parcere subjectis, et debellare superbos*. Hac in re nescientes imitati Deum, qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam.

SY

Syllanus (D.) oravit in Senatu contra Catilinam, et ejus socios in conjuratione, suadens, eos morte dignos, leniorem sententiam suadente C. J. Caesare: quod eum suspectum reddidit.

didit. Erat *Syllanus* magnae auctoritatis Senator. Non liquet, an ejus fuerit filius Cassius *Syllanus* Germanici Magister? De eo meminit Plin. *l.* 34. *H. N.*

Symmachus Ethnicus Romanus doctissimus, de quo in *Specimine*, recitavit *Panegyricum* Maximi Tyranni. Majestatis ob id accusato pepercit Theodosius, Maximi victor, ad quem postea *Apologeticum librum* scripsit. Hae *Symmachi lucubrationes* desiderantur.

Symmachus. In hujus *Hist. libro* 5. de Maximino Imp. origine Gotho, disserebatur. Citatur a Jornande sive Jordano de *rebus Gothorum* scribente. Quisnam hic *Symmachus* fuerit? ignoro. Forsitan fuit *Symmachus* Patritius, quem occidi jussit cum Boethio Theodoricus. Forsitan ejus Pater, qui, ut puto, ex ethnico *Symmacho*, de quo antea, originem trahebat. De aliis hujus nominis, vide in *Specimine*.

Synodus Nicaena 1. In ea definitis subscriperunt ante finitam Synodum Chrysantus, et Mussonius Episcopi jam defuncti. Subscriptionum verba affert Nicephorus *l.* 8. *c.* 23. *Hist. suae*. Factum hoc sane mirum narrat etiam Gregorius, Caesareensis Presbyter apud Lipomanum. Eusebius Caesareensis, agens de hac *Synodo*, imminuit Patrum in ea congregatorum numerum, ut minuat Synodi hujus auctoritatem, in qua Arius, et cum eo Eusebius ipse damnatus fuit. De Verbo divino consubstantiali Patri, quid in ea definitum fuerit, nihil dicit, nec de poena a Constantino decreta contra subscribere Arii damnationi recusantes.

Syrenus, haereticus 3. Naturas, et Principia rerum finxit. Ita Eusebius *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 13. et S. Augustinus de *Haeresibus*.

Syriacus, vir doctrina insignis, qui amicus dicebatur Galli Asinii, nullius criminis neque reus peractus, neque accusatus jussu Tiberii occisus fuit. Ita Dio Cassius *lib.* 58. *Romanae Historiae*.

T

TAbella. De Tabellaria lege, vide *Comitia* in *Specimine*.

Tabellarii, seu Epistolarum latores: Vide *Epistola* in *E*.

Epi-

Episcoporum Tabellarii primis Ecclesiae seculis erant Ecclesiastici ordinis. Lectores eo munere fungi solebant, ut colligitur ex S. Cypriani *Epistolis*. Tabellariorum nomine appellantur Epistolarum latores, quia antiquitus Epistolae in cera illitis tabellis scribebantur, et mittebantur.

Tabulae. De legibus 12. *Tabularum* apud Romanos, vide in *Specimine*, v. *Tabulae*, v. *Jurisprudentia*, et in hoc *Lexico* verbo *Labeo* in L. Vis legum 12. *Tabul.* lege Aebutia consopita fuit, exceptis Actionibus centumviralium caussarum. Vide Gel. *l.* 16. *c.* 10. Multas leges 12. *Tabularum* emendatas a Luca Fruterio, vide in Mureti Epistolis. *Tabularium* publicum Romae incensum fuit a Q. Socio, splendido Equite Rom. ex agro Piceno. Ita Cic. *lib.* 3. *de Nat. Deorum*. Vespasianus instauravit Leges incisas 3000. tabellis aeneis, quae cum Capitolio fuerunt combustae. Erant designati Curatores harum tabellarum. Tales fuere C. Calpetanus Statius, Sex. Metorius, M. Perpenna Lurco, T. Sartius Decianus. Ita in antiqua Inscriptione. Haec cura, ut arbitror, viris doctis commissa erat, ne aliquid in Tabellis immutaretur.

Tabulae parvae, sive *Tabellae*, quibus post Legem Tabellariam suffragia in Comitiis dabantur, continebant altera binas litteras *V* et *R*, quibus signabatur *Uti rogas*; unam litteram *A* altera, qua signabatur *Antiquis standum, et nihil innovandum*. *Tabellae* autem sententiae judicialis, in quovis judicio ferendae, continebant: altera litteram *A*, qua absolvebatur: altera *C*, vel *K*, qua condemnabatur reus.

Tacitus (Corn.), ut maledicus, et parum veridicus a multis taxatur. Vide de hac re late disserentem Famianum Stradam Prolus. 2. *lib.* 1. Vide alia de *Corn. Tacito* in *Specimine*.

Tacius, sive *Tatius* (de quo in *Specimine*.) sepultus a Romulo fuit sub Aventino in Armilustro seu in loco, in quo arma publica reposita erant, seu in quo Romani armis exercebantur. De Tacii sepulcro Plutarchus.

Tallus, Graecus Auctor primi Eccl. seculi, in sua *Hist. Syriaca* mentionem fecit solaris Eclipsis, quae contigit moriente Christo.

Talna, de quo Cic. in *Epist.* 29. *lib.* 13. *ad Att.* videtur Philologus fuisse.

Tanusius (Geminus). Ejus *Annales* citantur a Seneca *Ep.* 94, et a Suetonio ejus *Historia* in *C. J. Caesare cap.* 9. Haec *Tanusii* Opera desiderantur.

Tar-

Tarquinius Priscus, Rom. rex tunica indutus aurea triumphavit. Ita Verrius teste Plinio. De eo in *Specimine*. Subegit 12. Thusciae seu Etruriae urbes, ex quibus insignia summae potestatis suscepisse dicitur: Fasces nempe 12. Trabeam, Sellam Curulem, Praetextam, et id genus alia. Olim namque Romani reges solam hastam pro septro gestabant, et ab hasta Romulus *Quirinus* dictus.

Tarutius (L.) Firmanus, Ciceroni familiaris, in Chaldaicis rationibus peritus, urbis natalem diem repetebat a *Parilibus*, seu *Palilibus*, in quibus eam Romulus condidit, et fata ejus canere non dubitabat, dicens, Romam natam, cum esset in jugo Luna. Eum ridet Cic. *lib.* 2. *de Divin.*

T E

Corollarium.

Telescopium, casu inventum a Batavo quodam an. *1609*. Hoc inventum Astronomiae incremento valde utile, magno in pretio est. Eo caruisse veteres Astronomos Graecos, et Romanos, ut etiam Chaldaeos, et Aegyptios, crediderim. In publicis Foliis nuper legi, a Sacerdote quodam Hispano Neutonianum Telescopium perfectius redditum post multorum annorum studium in hanc rem impensum.

Telesphorus Papa, Graecus natione rexit Ecclesiam an. 10. ab an. Christi 130. Instituisse dicitur Jejunium Quadragesimale, et die Natalis Domini ter sacrificari jussisse, vel permisisse. Ita Euseb. in Chron.

Corollarium.

Templa. Ex sacris litteris non constat, an in lege Naturae, et ante Diluvium fuerint templa erecta, in quibus cultus vero Deo tribueretur a Fidelibus. Constat solum, facta ei sacrificia, et oblationes, arasque erectas in locis patentibus. Mundus nempe erat eis pro templo, quod non ab hominibus, nec ab Angelis, sed a Deo ipso fabricatum erat: et tale revera est Mundus, ut etiam Animus humanus, qui virtutibus Theologicis, et Moralibus ornatur. Haec sunt dona, et oblationes, quibus Deum propitium nobis facere debemus, argento, et auro pretiosiora: quod agnovisse videtur Persius *Sat.* 2. canens

Compositum jus, fasque Animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto,

Hoc cedo, ut admoveam templis, et farre litabo.

Idem Persius in dicta *Satyra* addit

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?

Hunc Persii versum in ore habebant Haeretici magis in Poetis Ethnicis. quam in sacris Litteris eruditi, cum in Belgio, et Gallia templa pretiosa supellectile ornata, sacrilege spoliabant. Forsitan ignorabant, Salomonis templum, vero Deo Hierosolymis erectum, multa ex auro, argento ac gemmis pretiosissima supellectile ornatum fuisse, et immensis sumtibus divino instinctu fabricatum. De ejus divitiis, et ornatu, vide *Paralip. lib.* 2. in primis Capitibus. Hoc templum gratissimum Deo fuisse ex sacra Pagina notum est, et hujus exemplo Christiani templa magnificentissima Jesu Christo, vero Deo, in omnibus Christiani Orbis Provinciis erexerunt, in quibus sanctum sacrificium, et immaculata hostia Deo Patri offertur pro Mundi peccatis, et Christiani vota sua, et preces ad Deum fundunt in unum collecti, et a mundano strepitu segregati. Illud dolendum, quod parum reverenter multi ex Christianis in templis se gerant, cum antiquitus tanta cum reverentia homines ad templa accederent, ut teste Arriano in *Epitecto*, nefas esset in eis excreare, et nares emungere. Templorum Violatores a Deo non semel severissime punitos nos docet Eccles. Historia, et in sacris Litteris est memorabile exemplum divinae Justitiae in Heliodorum, Hierosolymorum templi violatorem, et thesaurorum in eo repositorum raptorem. De magnificis templis Romae in Capitolio, et alibi intra urbem ab Ethnicis olim fabricatis, vide *Antiquit. Romanarum* Scriptores.

Tempus. Vide *Veritas* in V.

Terentia. De divortio inter eam, et Ciceronem valde obscure loquitur Cic. in *Epist.* ad Atticum, ut dictum alibi est. Dicitur a Sallustio Crispo post divortium ducta, ut Ciceronis, quem oderat, secreta nosceret. Plinius *l. 7. c.* 48. tradit eam 117 annos vixisse. Vide alia in *Specimine*.

Tergillus citatur a Plin. *l.* 14. *H. N.*

Terinus insignis Citharoedus Neronis in cantu magister. Ita Suet. in *Nerone c.* 20.

Tertullianus scripsit de *Superstitione Seculi*. Ita Rigaltius, citans veterem Codicem Agobardinum. Item de *Animae submissione*, et *de Anima*, et *carne*. Demum *lib. de Spe fidelium*, citatum a S. Hier. de *Script. Eccles. c.* 18. Haec Tertul. *Opera* desiderantur. De eo, et aliis ejus Operibus dixi in *Specimine*.

Co-

Corollarium.

Testamenta. De Arte captandi *Testamenta*, seu haereditates divitum Senum, cujus veteres Romani ignari non erant, multa tradit Horatius *Sat.* 5. *libri* 2, ubi Tiresias inducitur docens Ulyssem Artem ditescendi. Vide Cic. de *Off. lib.* 3. ubi de falso *Testamento* L. Minutii Basilii, Civis Romani ditissimi, scriptis cohaeredibus Crasso, et Hortensio, Athenis facto, ac Romam misso. De *Testamentis*, et mortuis ab intestato: vide *Jurisconsultos* in *Digg. et Instit. Justinianaeis*. De vitiato Testamento Constantini Magni circa Imperii inter filios divisionem: vide *Acacius* in A.

TH

Corollarium.

Theatrum Pompeii constructum fuit pecunia ejus liberti valde divitis (forsitàn Theophanis, de quo postea), qui voluit Patroni sui nomine illud donari, et decorari. Ita se audivisse testatur Dion. De *Theatris*, et magnificis aliis Romae aedificiis, (de quibus in *Specimine*) dici potest illud Vell. Paterculi *lib.* 2: *Publicam magnificentiam sequitur privata luxuria*. Romani multi theatra; pauci autem Scholas Philosophorum Senecae aevo frequentabant. Vide Sen. *Ep.* mihi 77.

Theodorus doctrina, et sanctitate celebris, qui teste Eusebio, successit in Episcopatu Laodicensi Stephano insigni Philosopho, qui in Maximiani persecutione fidem deseruit, ne torqueretur.

Theodorus, Mopsuestenus, qui docrina sua claruit sub Honorio, et obiit an. Christi 429, scripsit de *Persarum Magia*, ostendens, Christianam pietatem esse ea longe praestantiorem. Opus suum direxit ad Mastubium, Armeniae Chorepiscopum. Ita Photius.

Theodorus Gadaraeus, Tiberii Caes. in pueritia Institutor, et Magister, Tiberium objurgans dixit: *futurum lutum sanguine maceratum*. Nec falsus Vates evasit, adeo coenosis, et crudelibus moribus fuit Tiberius, factus Imperator.

Theodosius M. legem tulit, ne Crux incideretur in ligno, lapide, vel metallo, quod conculcandum esset. Hanc legem religiose Rhuteni observant, teste Possevino, ut etiam Canones Conciliorum de non pingendis imaginibus virorum, et foeminarum, praesertim Sanctarum, veste parum decenti, seu

 cum

cum nuditate, quae oculos pudicos offendat, et spectatoribus scandalum afferat (vide *Imagines* in I.), et mirantur, cum ad Catholicas Occidentis Provincias veniunt, Imagines impudicas permitti, et Pictores talium Imaginum a Magistratibus non puniri: cum plus moribus castis, praesertim vulgi, noceant, quam libri impudici. Hasce Ethnicismi reliquias inter Christianos laudari, et in pretio esse, merito reprehendunt, et horrent Rhuteni. Hi pudore suffundere deberent Catholicos Occidentis, qui Rhutenis cultiores, et religiosiores se esse gloriantur. Sed aera verbero. Non desunt excusationes in peccatis, et scandalis, cum falsa Politica, et passiones dominantur. Vide alia de *Theodosio* in *Specimine*.

Theodosius, Junior, *Psalmos*, et *Hymnos Sacros* cum sororibus in Palatii Sacello cantabat: cum Episcopis de sacris litteris disserebat: propria manu sacros libros describebat, et aureis litteris Evangelia: Ita Nicephorus, qui testatur, multa ab eo scripta usque ad suam aetatem lecta. Vide *S. Pulcheria* in P. *Codici suo* adjunxit *Novellas Constitutiones*, quas misit ad consobrinum Valentinianum, Occidentis Imperat. Ravennae commorantem, ut eas executioni mandaret in Occidente. *Codex Theod.* imminutus fuit ab Alarico, detractis non paucis ex 8 *prioribus libris*. Insigni anachronismo peccavit Gasparrus in suis *Institutionibus Juris Civilis*, *et Canonici* tradens, Constantinum M. jussisse *Codicibus Hermogeniano*, et *Gregoriano*, *Theodosianum* adjungi, et miror Romanos Correctores hoc erratum non animadvertisse. At nec *Speciminis* a me editi correctores notarunt Anachronismum, in quem incidi *pag. 60. Primae Partis* in *Adnotatione* ad finem paginae, ubi aequalem feci Tostatum Petrarchae, qui aliquot annis ante Tostati diem natalem e vivis excesserat. In Mathesi adeo excelluit uxoris suae Eudoxiae magisterio, ut Theodosio Bithynico, insigni sui aevi Mathematico, hanc Doctrinae partem neutiquam invideret. Vide *Eudoxia* in E. et in *Specimine*, ubi alia de *Theodosio Juniore*. Dictis de eo a me addo, Sozomenum de eo dicere, noctis tempore libris incubuisse usus candelabro singularis artificii. Item versatum fuisse in lapidum, et herbarum medicinalium scientia, factumque Judicem librorum, et lucubrationum, quae apud ipsum recitabantur a viris doctis. Item, praestantiores Auctores aureis imaginibus, marmoreis statuis, et multis honoribus decorasse, quo litterarum studia promovebat.

Theodorus (Manlius) Consul cum Eutropio sub Honorio, et Arcadio, ut vir pietate, ingenio, et doctrina clarus lau-

laudatur a S. August. de *Ordine lib.* 1. *c.* 21. Ei dicavit Mediolani *lib.* de *Beata Vita*. Eundem miris celebrat laudibus Claudianus in *Panegyrico de ejus Consulatu*, tanquam virum omnium eloquentissimum, omnibus scientiis eruditum, ac omni virtutum genere ornatum. Scripsit *Lucubrationes* excultissimas de *Genesi*, *et partibus Animae*, quae desiderantur.

Theodosius Bithynicus, Mathematicus celebris sub Honorio, de quo antea.

Theodotus, Byzant. Coriarius, alter ex praecipuis Montani Sectatoribus. Non admittebat S. Joannis *Evang.* nec *Apocalypsin*. De eo Theodoretus.

Theodotus alter, Argentarius, (de quo Tertullianus) de Christo pessime sentiebat.

Theogenes, celebris Mathematicus, seu potius Astrologus Judiciarius, quem Apolloniae consuluere de futuris prosperis, et adversis vitae, seu de Fato suo, Agrippa, et Augustus. Cum multa prospera, et egregia, ac pene incredibilia de Agrippa praedixisset, veritus Aug. ne de se minora praediceret, nolebat, ab eo promi genituram suam, ac de se vaticinari. Tandem post multas Agrippae preces, et ipsius *Theogenis*, nunciatis *Theogeni* sui natalis die, et hora; permisit ut stellas consuleret, et vaticinium ederet. Observatione facta Astrologica, exsiliit *Theogenes*, et eum adoravit. Ita Suet. in Aug. *c.* 94.

Theonas Monachus in litteris Aegyptiis, Graecis, et Latinis eruditus. De eo Sozomenus.

Theophanes, Pompeii libertus, ob suam doctrinam, et fidelitatem ei carissimus, ac magnae apud Patronum auctoritatis, quo magnas cumulavit divitias in Pompeii expeditionibus. Ita Cic. ad At. *Epist.* 11. *lib.* 5. De eo in *Specimine*.

Theophilus Medicus, cum febriret, putabat, se audire prope lectum Symphoniacos, qui jugiter ei cantum insonabant, nec deponebat jam sanus hunc errorem, pertinaciter contendens, id accidisse.

Theophilus, Antiochenus Patriarcha. Vide *Autolicus* in A.

Theophronius, Cappadox, Eunomianus secta, edidit libros inscriptos *de Exercitio* mentis ex *Categoriis* Arristotelis, et ex Opere de *Interpretatione*. Ob opus istud inter Eunomianos sectam propriam fecit, ab Eunomianis rejectus, et damnatus ut Schismaticus.

Theostenes Phil. Peripat. scripsit contra Christianos; sed re-

refutatus 5. *libris* fuit a Macario Magnete. Vide *Magnes* in M.

Theothecnus, Magus Antiochenus sub Maximino Imperatore, fecit vi magica, simulacrum Jovis Oracula dare, quibus odium in Christianos accendebat, et Imperatores ad persequendum Christianos excitabat. Vide S. Cyrillum Alexandrinum contra Julianum. Ego suspicor, hanc vim magicam in fraudibus, et mendaciis Sacerdotum Idoli sitam fuisse.

Theotistus Gramm. citatur ab Acrone in *Comment.* ad Horatium *Sat. 6. l.* 1.

Thomaide, Sacra virgo Diaconissa, fidelissime scripsit Acta martyrii Sanctae Febroniae Virginis Deo dicatae Sibaboli, tum ex his, quae vidit, tum ex acceptis a Lysimacho ad fidem converso.

Thrasea (Paetus), rigidus Stoicus, et in proferenda sententia sua in Senatu valde liber. De eo multa Tacitus in *Annal. l.* 15. Oravit contra S. C. pro Syracusanis in Senatu. Ita Tac. *l.* 13. Ab aemulis accusatus, quid responderit? vide Tac. *l.* 16. *Ann.* Damnatus sub Nerone, se interemit, frustra hortantibus amicis, ut fugeret. Vide de eo in *Specimine* alia ei honorifica.

T I

Tiberius Caesar. De eo narrat Plinius, melius objecta visui discrevisse noctu, quam interdiu. Vide *Elephantis* in E. *Theodorus* supra. Tiberii sepulchro inscribi poterat Xiphilini dictum: *Tiberius magnis virtutibus praeditus, et magnis sceleribus coopertus. Ambobus pariter usus, quasi tantum in altero se exercuisset. Vixit annos* 77. *Imperavit* 22. Vide alia de eo in *Specimine*.

Tiburtius ((*a*) Postumius), disciplinae militaris retinendae studio, filium suum adolescentem strenuissimum, securi percussit, quia contra jussa sua pugnagnerat. Ita Val. Max. *lib.* 2. ubi de *Disciplina militari*, *et Imperiis Postumianis*. Simile narrat Livius *lib.* 8. de *L. Manlio*, Rom. Duce, qui filium suum unicum ob eandem caussam occidit.

Ticianus, sive *Titianus*. De eo, tanquam de Magistro Maximini junioris Caesaris, meminit Ausonius in *Panegyrico*,

(a) Cellarius in sua *Orthographia* contendit, *Postumus*, et *Postumius* nomina propria, vel familiarum, ut etiam cum significant post humatum patrem natum, sine adspiratione scribenda ex antiquis Inscriptionibus.

rico, dicto Gratiano Imperatori. De ejus Operibus, quae desid. vide in *Specimine*.

Timaeus Historiam Graece scripsit de Pop. Romano: citatur a Gel. *l.* 11. *c.* 1, *de terra Italiae* loquens.

Timagoras Phil. Epicureus. De eo Cic. in *Lucullo*.

Timomachus, Byzantinus Pictor insignis C. J. Caesaris. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

Timotheus insignis Statuarius fabricavit Dianae Simulacrum, quod erat in Bibliotheca publica Apollinis in Colle Palatino.

Timotheus, Episcopus Ephesinus, S. Paulli Apost. discipulus, ad quem sunt binae S. Paulli *Epistolae*, quibus eum hortatur, ut in omni doctrina errantes arguat, et in viam veritatis reducat. Sunt, qui putent, hunc esse Ephesi Angelum, de quo in *Apocal.* S. Joannis. Martyrii lauream est adeptus sub Trajano an. Christi 109.

S. *Timotheus*, Antiochenus, qui per an. integrum Romae Christum praedicavit, et Martyrio coronatus Tarquinii Urbis Praef. jussu, Ecclesiam gubernante S. Melchiade Papa.

Tiro, libertus doctissimus Ciceronis. Praeter dicta de eo in *Specimine*, haec velim non nesciat lector. De eo inquit Cic. ad Att. *Ep.* 7. *l.* 6. *Nihil illo adolescente castius: nihil diligentius*. De eodem aegrotante loquitur *Ep.* 5. *l.* 7. cum laude ejus modestiae, humanitatis, et utilitatis in studiis suis, addens: *innumerabilia sunt tua in me officia, domestica, forensia, urbana, Provincialia* cet.

Corollarium.

Titulus. Romani antiqui, nec verbo, nec de scripto in *Epistolis* utebantur titulis, quibus nunc utimur *Domini*, *Patroni*, *Illustrissimi*, *Excellentissimi* cet. Solum Praenomina, Nomina, et Cognomina, et nonnunquam solum Nomen, cum appellatione Magistratus, quo salutatus fungebatur, ut Consulis, Praetoris, Imperatoris cet. initio Epistolae in *salutatione* leguntur. Qui servos habebant, non *Domini* servorum vocabantur, sed *Patresfamilias*: nec servos suos *servos*, sed *familiares* appellabant. Augustus, et Tiberius *Domini* titulum sibi dari vetuerunt. Solus Domitianus Imperator *Dominus*, *Deusque*, ipso gaudente, appellabatur, et scribebatur ab Adulatoribus, praesertim a Poetis, ejus vanitati velificantibus. *Dominum*, urbanitatis caussa, solebant Romani antiqui appellare virum spectatilem ignotum, seu cujus nomen ignorabant, ut constat ex Martialis *Epigr.* in Priscum quem-

dam. Post Domitianum coeperunt Adulatores *titulos* dare Imperatoribus, et praecipuis Magistratibus. Vide Menochium *Cent.* 4, *c.* 45. in *Storeis*.

Titus S. Paulli Discipulus, ad quem est S. Paulli, a quo ordinatus fuerat Cretensis Episcopus, *Epistola*, in qua de ejus doctrina fit mentio, et de vitiis Cretensium citato Graeco Poeta. *Epist.* scripsit ad S. Dionysium Areopagitam, qua eum interrogat, quid sit Domus Sapientiae? quid Crater? et quisnam sit cibus, et potus ejus? cui S. Dionysius respondit multa exponens de Symbolica Theologia.

Titus, Bostrorum, Arabiae Metropolis, Episcopus, scripsit inter alia *libros* 4. *contra Manichaeos*, ex quibus supersunt duo primi, et initium tertii. Obiit Valentis Imperatoris temporibus.

Titus, Vespasiani Imperat. filius (de quo in *Specimine*) eloquenti *Oratione* placavit patrem, Domitiano minori filio, Titi fratri, iratum. Eam *Orat.* refert Tacitus *l.* 4. *Hist.* Dicere solebat, se magnum falsarium esse posse, quia cujusvis chirographum, licet valde difficile, et suo dissimile, simulabat, et depingebat, quin a legitimo discerni posset. Ita Suet. in *Tito c.* 3. Dicebat etiam, periturum se potius, quam alium perditurum, nec ipse unquam cujusquam necis auctor, nec conscius fuit. Erectus illi fuit Arcus triumphalis ob deletam Hierosolymam, qui primus Romae erectus dicitur cum inscriptione, et spoliis Hierosolymorum templi marmori insculptis.

T O

Torquatus (L. Postumius) militari arte insignis, Dictator creatus in bello contra Fidenates, filium, quia contra jussum suum in hostem irruit, poena capitali multavit.

T R

Tragoedi, et Comoedi, reprehensi a Seneca *Ep.* 115. de Thespi Tragoedo, et Solone agens. Vide *Spectacula* in S.

Trajanus Imp. Rom. (de quo in *Specimine*) pro sepulchro habuit columnam marmoream, supra quam positum fuit ejus cadaver intra auream arcam. In hac columna alta 128. pedes, supra quam ascenditur per 173. gradus, insculptae sunt res gestae Trajani, et inter alias bellum Dacicum gloriose ab eo confectum. Haec columna sita erat in medio foro Trajani ab Apollodoro architecto fabricato, tam magnifi-

co,

co, ut Constans Constantini filius non sine stupore illud viderit Romam ingressus.

Triarius, Orator, Scaurum de ambitu accusavit. Ita Cic. ad *Att. l.*4. *Ep.* 16, et ad Q. Fr. *Ep.* 1. *l.* 3.

Corollaria.

Tribunus Plebis (de quo in *Specimine*) Plebejus esse debebat, et idcirco Imperatores post C. J. Caesarem sibi arrogantes praecipuorum Magistratuum auctoritatem, et potentiam, *Tribuni plebis* nunquam sunt appellati, licet Tribunitiam potestatem sibi adjudicarent, quia ea potestas erat sacrosancta, et inviolabilis, annosque numerabant Tribunitiae potestatis in numismatum, et lapidum Inscriptionibus.

Tribunus Aerarius dicebatur, teste Varrone de *Lingua Latina*, qui tributum a populis exigebat pro stipendiis militum.

Tribunus Militaris erat, qui multis Centuriis Militum praeerat, sub se habens Centuriones. Inter Militiae principes numerabantur Tribuni Militares, et tabernaculum suum in castris habebant prope Consulem, vel Exercitus Ducem in loco, quem *Principia* appellabant. Sub Romulo Tribunus Militaris *Tribunus Celerum* appellabatur, quia Equitum Centuriis praeerat, et secundum veluti locum post Regem in Urbe habebat, ut Magister Equitum post Dictatorem.

Tribuni etiam appellabantur, qui praeerant Tribubus, seu partibus tribus, in quas Urbem Romulus divisit, quique tributum a Populo exigebant.

Tribus. Partes 3, in quas Urbem initio divisit Romulus, *Tribus* appellabantur. Postea, crescente incolarum numero in Urbe, et agro Romano, numerus *Tribuum* auctus est adeo, ut, Ciceronis aevo, 35. *Tribus* fuerint, quarum nomina ex Cicerone, Varrone, Livio, et aliis Romanis Scriptoribus, ut etiam ex aliis monumentis, recenset Manutius in suis *Additamentis ad Calepinum*. Ex his Tribubus 4 erant Urbanae: ceterae Rusticae, quae praeferebantur Urbanis in ferendis suffragiis, cum Comitia *Tributa* habebantur: ut notum omnibus fieret, quanto in pretio Agricultura apud Romanos esset, et quia *Tribus* Rusticae milites dabant, qui robur Romani exercitus erant. Robustiores quippe sunt Agricolae ad Militiae labores sustinendos Urbana plebe, quae artes sedentarias exercet, et inter Urbis delicias versatur.

Tri-

Tributum. Romana Respublica ex Provinciis, quas extra Italiam habebat subjectas, nempe ex Sardinia, Corsica, Sicilia, duabus Hispaniis, Asia, Aetolia, Macedonia, Illyrico, Dalmatia, Africa, Achaja, duabus Galliis, Cilicia, Bithynia, Ponto, Creta, Syria, Cypro, *Tributum*, seu censum annuum percipiebat, teste Plutarcho, octuagies quinquies decies centena millia: quae summa ascendebat ad 85. *milliones*, ut puto, aureorum. Hoc *Tributum* colligebant Publicani, et Quaestores Provinciarum, vel per se, vel per suos Administros. Sed Publicani forsitan de Vectigalibus, et Portoriis solum curabant, cum Quaestores, et Caesarum Procuratores alii erant in Provinciis. Italiae continentis tractus extra Galliam Togatam seu Cisalpinam, inter Provincias non censebatur. Vide *Tribunus Aerarius* supra, et *Publicanus* in P. De *Tributis*, et Vectigalibus, quae Salomoni pendebantur a Regno suo, vide Menochium *Cent.* 2. *cap.* 20. *Tributa* illa aucta fuerunt a Successore non sequuto Seniorum consilium, quod in caussa fuit divisionis regni, ut habetur in *libris Regum*. Carus Imperator Romanus licet Ethnicus Thessalonicensem Ecclesiam, quam Sacrosanctam appellat, Rescripto suo a tributis liberavit.

Triconius, seu potius *Ticonius*, Donatista, scripsit, et edidit *Commentarios* in *Apocal.* multa permiscens sui dogmatis venena. Ita Cassiod. *Divin. Lectionum c.* 9. Vide *Ticonius* in *Specimine*.

Trio (Fulcinus). De eo Tacitus *Annalium lib.* 2. *Celebre inter Accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famae malae.* Vivebat sub Tiberio, et Libonem Drusum accusavit apud Principem, quod res novas moliretur. Contendebant de jure contra Reum orandi in Senatu Trio, Catus, alter Accusator, Fontejus Agrippa, et C. Livius, qui omnes Oratores erant. Ita Tacitus. *Libo* se occidit, cum a militibus quaereretur, a Senatu damnatus.

Corollarium.

Triumphus. In more positum Romae erat, Milites, triumphante eorum Imperatore, dicteria, et ridicula, ab eo patrata, in eum canere, et scommatibus, jocisque eum apud populum vexare, ne nimium triumpho efferretur, et tanto honore superbiret. Vide in Suetonio *Vitam C. J. Caesaris*, et in ea cantilenas Militum in eum triumphantem, licet Militibus suis esset valde charus.

Try-

Tryphon, Medicus, Scribonii Largi Praeceptor, citatus a Largo *cap.* 44.

Tryphon, Alexandrinus sub Aug. Rhetor, scripsit de *copia Orationis*, *de Orthographia*, et quaedam alia, quae omnia desid. Diversus ab hoc fuit *Tryphon*, cum quo disputavit S. Justinus M., de quo in *Specimine*.

T U

Tubero (Q. Aelius) adolescens, Ciceronis propinquus, cujus ingenium, et docrinam laudat Tullius, ut item ejus patris, qui fuerat Ciceronis condiscipulus, et in bello contubernalis. *Tubero* filius accusavit Ligarium apud J. Caesarem, rerum potitum. Ligarium defendit, et eripuit Cic. Vide hujus *Orat. pro Ligario*. *Tuberonis Actio* contra Ligarium desid. Seneca *Ep.* 99. laudat Q. *Aelium Tuberonem*, eum appellans virum priscae frugalitatis, eo quod paupertatem, et se dignam, et Capitolio judicavit, fictilibus in coena publica utens, ostendensque, iis contentos esse debere homines, quibus Dii in Sacrificiis contenti erant. De aliis *Tuberonibus* vide in *Specimine*.

Tubullus, Praetor exsilio multatus, quia pecuniam pro re judicanda aperte ceperat, quin id diffiteri posset. Ita Cic. de *Finibus lib.* 2. De eodem *l.* 5. *de Nat. Deorum*, et in fragm. *Orationis pro Scauro* eum sceleratissimum, et audacissimum ex omnium memoria appellat. De hoc *Tubullo* est sermo in Epistolis Giphanii ad Muretum: ubi de emendando A. Gellio in *c.* 7. *lib.* 2. *Noctium*.

Tuditanus Historicus, citatur a Gel. *l.* 6. *c.* 4. ubi de Attilio Regulo agit. *Diversus* hic est a *Tuditano*, quocum Cethegus Cos. fuit, et, ut arbitror, a *Tuditano*, Catuli affine, quem insanum fuisse ait Cic. in *Lucullo*.

Tulliola, Ciceronis filia, saepe a Patre laudata in *Epistolis* ad Att. peperit filium septimestrem imbecillum. Ita Cic. ad Att. *l.* 10. *Ep. ult.* Cic. fatetur se ineptum esse in cogitatione, et consilio construendi fanum, in quo ut Dea coleretur Tulliola filia defuncta. Sic enim ad Att. in *Epist. l.* 12. *Hae meae tibi ineptiae (fatebor enim) ferendae sunt. Non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te.* Vide *Apotheosis* in *Specimine*, et Verbo *Tulliola*.

Tullius (M.) Patricius, et Cos. 10. *an.* post exactos reges, cum Ser. Sulpicio. Ita Cic. in *Bruto*.

Tullius (L.), Scribarum Magister, et Verris familiaris. De ejus *Epistt.* Romam missis ad Carpinatium, quas Romae

mae invenit Cicero, loquitur hic in *Verrinis*. Videtur foenerator fuisse pecuniae, quam Verres ex rebus raptis, quae vendebantur, cumulabat, cedentibus omnibus usuris in Verris lucrum. Non satis constat, fueritne is *Tullius* Scriba, de quo Cic. ad Att. *Ep.* 4. *libri* 5, et *Ep.* 27. *libri* 13. Neque arbitror, fuisse hunc *Tullium Cymbrum*, valde carum C. J. Caesari, qui alter ex conjuratis contra Caesarem fuit.

Tullius (Servius), Rom. rex (de quo in *Specimine*) distribuit Pop. Rom. in 6. Classes pro solvendis tributis, et bellicis expeditionibus. Prima ditissimos continebat: secunda minus divites: caeterae minorum facultatum Cives, servata proportione. Singulae Classes plures continebant Centurias, quarum unaquaeque divisa erat in senes, et juvenes. His ita ordinatis, facilius peragebatur census tum ad Exercitum conscribendum, tum etiam ad lustrandum Populum. Vide *Aetas*: *Lustrum*: *militaris Ars* in suis litteris.

Turbo, rei militaris scientia praestantissimus. Nunquam domi, etiam morbo laborans, in otio est visus. Adriano, eum monenti, ut quiesceret, respondebat, Praefectos Rebuspublicis stantes mori oportere. Hic nempe solum in sepulcro quievit, ut quidam *Stabilinus* Ferrariensis, cujus sepulcro inscriptum legitur apud S. Mariae in Vado celebre Monasterium, seu Canonicam, ut vocant, quia Canonicorum Regularium:

Hoc Baptista jacet Stabilinus marmore:
Vivus nunquam quievit: quiescit mortuus.

Turranius (D.) laudatus a Cicerone ut litteris deditus non vulgaribus. Ita *Ep.* 5. *lib.* 1. *ad Att.* Cum Cicero hanc *Epist.* scribebat, diversabatur in Tusculano praedio cum Pomponia, Attici sorore, et cum Q. Fratre Ciceronis, ejus marito.

Tutilius, Rhetor, cujus filiam uxorem habuit Quintilianus, ut colligitur ex Plinio juniore. Is enim *Tutilii* neptem, Quintiliani filiam, in gratiam patris, cujus discipulus Plinius fuerat, dote auxit, ut Senatori nubere posset. De eo in *Specimine*.

T Y

Corollarium.

Typographia. Quam utile fuerit disciplinis augendis *Typographiae* inventum, facile demonstrat, quod ante usum Ty-

po-

pographiae, libri non nisi a divitibus emi poterant: quo ostenditur, quanto sapientiae studio flagrarent veteres Romani, et Graeci, qui facultates suas in libris manuscriptis emendis ingenti pretio impendebant. Gellius narrat *lib.* 3. *c.* 17, Platonem, etsi admodum tenui familiari pecunia esset, 3 Philolai Pythagoraei libros 10 millibus denariorum emisse: quam summam ei dono datam dicunt a Dione Syracusano: Aristotelem autem paucos Speucippi Philosophi libros post ejus mortem emisse talentis Atticis tribus, idest aureorum tribus millibus. Timon amarulentum *librum* edidit *Syllos* inscriptum, in quo Platonem notat, eo quod *Timaeum* suum ex libris Philolai concinnasset.

De *Typographia*, et ejus inventoribus egregium *Opus* edidit Cl. Mehermans, Nobilis Batavus, in quo de initio, progressu, et perfectione *Typographiae*, deque lite inter Harlamenses, Argentinates, et Colonienses, vel Magontinos de primis hujus Artis inventoribus disserit: quae inventio contigit circa medium seculum 15. anno Christi 1440 plus minusve. Lectionem praefati *Operis* debeo DD. Gregorio Majansio, Auctoris amico, qui ex patria Oliva illud ad me, Gandiae, in regno Valentino, degentem, misit. Contra Mehermanni sententiam pro Harlemensibus legi digna est doctissima *Dissertatio* Cl. Tiraboschii, quae exstat in *Prodromo ad Italam Encyclopaediam*, (quae inchoata Ferrariae mansit), ubi de *Typographiae* Inventoribus. Sunt qui dubitent, plus ne mali, quam boni Typographiae inventum attulerit Reipublicae. Auctor *Dissertationis* Sophisticae, qua ostendere conatur, Mundo plus damni attulisse Scientiam, quam Ignorantiam (eam non legi) multa, ut puto, contra Typographiae inventionem disputat. Illud miror, Divionenses Academicos hanc Auctoris *Dissertationem* probasse, et praemio singulari Auctorem affecisse. Nulla nempe fatuitas sine Patrono.

Tyrannion, Ciceronis Libertus, doctrinae non vulgaris, docebat Cicerones pueros in aedibus M. Tullii. Ita Tullius *Ep.* 4. *l.* 2. ad Q. Fr. in qua *Epist.* narrat fratri, ejus filium egregie erudiri. Ibidem puerum optimum eum appellat. Vide *Cicero* in C. Scripsit *Tyrannion Comment.* de *Scholio metro* rogatu J. Caesaris. Ita Coel. Rhodig. *l.* 12. *c.* 15. *ll. Ant.* Vide de eo alia in *Specimine*.

Tyranni. Fere omnes Rom. Imperatores Ethnici, qui tyrannice imperarunt, infelici, et violenta morte occubuerunt. Quod animadvertit Juvenalis canens in *Satyris*:

Ad

Ad generum Cereris, sine caede, et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte Tyranni.

Christiani patienter Imperatorum Ethnicorum tyrannidem ferebant, quin in eos, etiam cum jam magno numero erànt, rebellarent: quod annotant antiqui Apologistae Christianae Religionis, ut etiam inter conjuratos nunquam ullum ex Christianis inventum fuisse.

Tyrio citatur a Plinio *H. N. l.* 19. quis, et unde fuerit? non dicit.

V

VAlens (Vectius), Medicus, alter ex Messallinae Imperatricis adulteris. Supersunt ejus nonnulla de *Astrologia* fragmenta.

Valens, Episcopus Arianus, a Concilio Sardicensi damnatus, et Sede Murso dejectus, Arianismum, datis poenitentiae libellis, una cum Ursacio item Ariano, Singidonis Episcopo abjuravit, et retractationis calumniarum in S. Athanasium scriptum testimonium in prima Mediolanensi Synodo an. 347. celebrata sub Julio Papa, et Constante Imperat. dedit; sed postea ambo, ut gratificarentur Constantio, Ariano Imperatori, ad vomitum redierunt, et fraudibus suis Arianam perfidiam promoverunt in Conciliabulis Arianorum. Vide de eo in *Specimine*.

Valens, Arianus Imperator. De eo vide apud Agiographos quae in *S. Basilii Vita* narrantur. Imperavit crudeliter, praesertim vexando Catholicos, *annos* 14, et meritas luit poenas, in rustica casa a Gothis, quos ad Arianismum per Arianos Episcopos eorum in Christiana Religione institutores traxerat, concrematus subjecto casae igne. Vide de eo alia in *Specimine*.

Valentinianus I. Valentiniani secundi, et Gratiani pater (de quo cum laude doctrinae in *Specimine*) si vera narrat Socrates, polygamiam permisit in Rom. Imperio. Ita Socrates *lib.* 4. *Hist. c.* 27. Hac permissione honestare voluit libidinem suam. Cum enim uxorem Severam duxisset; Justinam, cujus amore captus fuerat, superinduxit uxorem contra legem Evangelicam, eam secum matrimonio copulans.

Valeria, *Copiola* dicta, Emboliaria, reducta in Scenam fuit

fuit annum agens 104. in ludis votivis pro salute Augusti. Ita Plin. *l.* 7. *c.* 48. *H. N.*

Valerianus (Curtius) scripsit de *Orthographia* ante Cassiodorum. Nonnulla ex ejus Scriptis citat, et affert Cassiodorus de *Orthographia* agens. De *Valeriano* Imp. diximus in *Specimine*.

Valerius, Mimographus, citatur a Plinio *l.* 9. *H. N.*

Valerius, Antias (ut puto patria, non nomine) Historicus, citatur a Gellio *l.* 3. *c.* 8. *Noctium Att.* ubi de Pyrrho, et Fabricio agit. Idem Gel. *l.* 7. *c.* 9. eum citat, dicens: eum lib. 12. *Historiarum* usum fuisse praeterito *Spepondi* ab *Spondeo*. Vide ibidem ejus verba de Tib. Graccho. Citat demum ejus *lib.* 45. in quo a *Posco* fecit *Peposci*. *Valerii Historiae* desiderantur. Ab hoc diversum arbitror *Furium Antiatem* Poetam, qui *Annales* scripsit, de quo in F.

Valerius (P.) eloquenti Oratione Romanam plebem armatam contra Patricios, et ab his ad flumen Anienem seditione facta, divisam pacavit.

Valerius (L.) Trib. pl. oravit contra Catonem Censorium Cos. qui pugnabat in Senatu pro Lege Oppia, qua cautum erat, nequa mulier ultra semiunciam auri ad ornatum gestaret; ne veste versicolore uteretur: ne carpento, aut lectica per Urbem, aut vicina oppida ad mille passus veheretur, nisi ad Sacra publica. Ea lex lata fuerat in medio ardore belli Punici a C. Oppio Trib. pl. Praeter Catonem, pro Lege orarunt M. et P. Junius Brutus, Tribb. pl. *Orationes Valerii*, et Catonis affert T. Livius initio *lib.* 34. *Histor.* De praefata Lege agit Tacitus *lib.* 3. *Ann.* de *Lucio Valerio* mentionem faciens. Tandem Matronae, importunis precibus, et clamoribus contra eam Legem, accedente nimia in eas Maritorum indulgentia, antiquari Legem Oppiam impetrarunt, et luxus Romae auctus, luxuque tandem Roma perdita fuit. Vide *Luxus* in L.

Valerius alter ex Praetoribus, qui Ciceronis reditum ab exsilio procurarunt. Forsitan hic est *Valerius* Jurisconsultus, ad quem est jocosa *Epistola* Ciceronis in fine *libri* 1. *Epist. famil.* cui *Epistolae* videtur principium deesse. De *Valerio* supra dicto, Ciceronis fautore, agit Cic. in *Orat. post reditum*.

S. *Valerius*, ex Consulari *Valeriorum* familia Caesaraugustae in Hispania ortus, et ejus Urbis Episcopus, vir sanctitate, et doctrina insignis, sed ob tarditatem linguae praedicationi incumbere non valens, Vincentium discipulum, et Diaco-

co-

conum suum huic ministerio destinavit. Uterque sub Diocletiano, et Maximiano Imperatt. pro fide passus est. S. *Valerius*, jam senex in exsilio sanctissime obiit. S. Vincentius diris tormentis pro fide toleratis, Valentiae martyrii palma ornatus occubuit, multis miraculis a Deo insignitus. S. *Valerius* Concilio Eliberitano an. Christi 305. celebrato subscripsit.

Valgius (C.) eruditione spectabilis, post Catonem de Virtute herbarum medica *Volumen* affectum reliquit, inchoata etiam religiosa ad Augustum *Praefatione*. Ita Plin. *H. N. l.* 25. *c.* 2.

COROLLARIUM.

Varietas. Nihil pulchrum (ajebat Quintilianus de varietate in compositione oratoria loquens) quod non reficit *Varietas*. De stylorum in scriptis Operibus *Varietate* agit Seneca in una, et altera ex suis Epistolis. Romani Imperatores ludorum, et spectaculorum *Varietate* populum oblectare solebant, ut patienter servitutem ferret, et non cogitaret de recuperanda libertate. Mundus infinita rerum *Varietate* pulcherrimus evadit, et ea sole clarius ostenditur summa sapientia Conditoris, adeout mens per gradus creaturarum, quarum genera variissima sunt, et alia aliis perfectiora, et pulchriora facillime ad Deum cognoscendum, amandum, et laudandum ascendere possit. Vide Card. Bellarminum in insigni, et piissimo *Tractatu* de *Ascensu mentis ad Deum*.

Varius (A.) Jurisconsultus, habitus est Judex nimis durus. Ita Cic. de *Finibus lib.* 1.

Varro (Q. Rubrius) Orator acer, et vehemens Accusator, qui a Senatu hostis cum C. Mario judicatus fuit. Ita Cic. in *Bruto*.

Varro (P. Terentius) *librum* edidit de *Ratione habendi Senatum* ad rogatum CN. Pompeii in primo suo Consulatu. Eum *librum* legebat Pomp. et secundum eum, Senatum habebat. Vide Gel. *l.* 14. *c.* 7. *Liber* hic, vivo *Varrone*, jam perierat, ut *Varro* testatur in *Epist.* ad Oppinianum. *Libri* titulus erat: *Commentarius Isagogicus*, et illum citat *Varro* in libris *Epistolicarum QQ.* De eo in *Specimine*.

Varus, Pergaeus Phil. Quadrati discipulus. Ejus pater Callicles ex potentissimis Pergaeorum erat. Ita Philostratus.

Varus, sive *Varius* (Quintilius) (de quo alia in *Specimine*) Syriae fuit Praefectus. Vell. Paterculus de eo ait *lib.* 2. *Hist.* *Syriam divitem pauper ingressus, dives pauperem reliquit*.

Va-

Vates Foeminae, seu quae de futuris vaticinabantur, etiam inter Christianos primi Ecclesiae saeculi non defuere. Tales fuerunt quatuor Philippi Diaconi filiae Virgines, de quibus in *Actibus Apostol. cap.* 21.

Vatia, sive *Vacia*, vir Praetorius, valde dives, qui nulla laudabili re notus Romae erat; at otio, et desidia nemini ignotus. In agro Romano consenuit, et hoc felix habebatur a nonnullis, qui ei dicebant: *O! Vacia tu solus scis vivere*. Verum, ut ait Seneca, haec narrans, *latere sciebat*, *non vivere*. In Villa sua viventi a praetereuntibus dici poterat etiam vivo: *Vacia hic situs est*. Ita Seneca, quo indicat Stoicus, otio indulgentes, et desidiae, non vivos, sed mortuos esse.

Vatinius, Cos. Ejus Consulatus adeo brevis fuit, ut Tullius, ad facetias, et acuta dicta propensus, de eo dixerit: *Magnum ostentum anno Vatinii factum est*: *quod*, *illo Consule*, *nec bruma*, *nec ver*, *nec autumnus fuit*. Ita Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 3. De eo in *Specimine* alia.

V E

Vectianus (Q. Vectius) ex Marsis, Ciceroni notus Orator, Vir prudens, et in dicendo brevis. Ita Cic. in *Bruto*.

Velina (T. Annius) Orator prudens, et in privatis Caussis tolerabilis. Ita Cic. in *Bruto*.

COROLLARIUM.

Venationes theatrales, Romae, seu certamina hominum cum belluis ferocibus, *Actus detestabiles* appellat Theodoricus Gothus, Italiae rex, qui eas describit. Vide *Epist.* 42. *Variarum lib.* 5. Cassiodori. Ex quo intelligitur, barbaros Gothos humaniores cultis Romanis fuisse. Utinam barbarum hunc morem per Hispanias a Romanis, eas dominantibus, olim propagatum, e medio tollere, et extirpare potuissent Gothi reges, qui Romanis Hispanias eripuerunt. Pugnant enim adhuc, partim lucri, partim inanis gloriae cupidi in Amphitheatris Hispani nonnulli audaciores, velocitate sua, et arte confisi, cum tauris ferocissimis, populo plaudente, et ludos aleae plenos spectante cum voluptate. Prudentius contra Symmachum Ethnicum, Urbis Praefectum, et Virum doctissimum scribens, hortatur Honorium Augustum, ut vetet haec certamina, ad quae delinquentes damnabantur ad Populi oblectamentum canens:

Nullus in Orbe cadat, cujus sit poena voluptas:
Tu mortes miserorum hominum probibeto litari.

Corollarium.

Venerea lues videtur ignota non fuisse Medicis Romanis antiquis, qui alteram ex leprae speciebus eam credebant. Verisimile est, hac lepra laborasse Tiberium Caesarem, eamque in facie ejusdem apparuisse, et verisimilius hoc facit libidinosissima ejus vita. Vide Suet. in *Tiberio*. Capo di Vacca, Medicus Patavinus testatur se medendo iis, qui hac lue infecti erant, 18. millia scutorum, et eo amplius lucratum fuisse. Unde ortus, et frequens factus hic morbus, et quo tempore in Europa? vide Menochium *Cent.* 2. *c.* 83. et Astruc in Opere de hoc morbo, qui ab anno 1493. magnas strages agit in Europa.

Venustas: vide *Forma*, *Pulchritudo*, *Elegantia* in suis litteris.

Veranus, qui de *Verbis Pontificalibus* scripsit, et de quo in *Specimine*, a Coelio Rhodig. non *Veranus*, nec *Veratius*, ut ab aliis, sed *Veranius* appellatur. Affert Coelius ejus verba de *Arboribus infelicibus libro* 10. *c.* 7. *lect. Antiq.* Eas felices, ut reor, dicebat, quae Diis dicatae, seu sub tutela Deorum erant, vel fortasse eas, quae fructus afferunt salutares. Et infelices, quae infructuosae sunt, vel fructus noxios afferunt. De Arboribus, quae sub tutela Deorum credebantur, vide Phaedrum in *Fabula lib.* 3. Ex illis Olea a Minerva lecta fuit, ut esset in tutela sua propter fructum utilissimum, quem affert; cum reliqui Dii legissent arbores steriles, vel minus fructuosas: ob quod laudata fuit a Jove dicente:

O nata! merito Sapiens dicere omnibus:
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

Verba: vide *Vocabula*. An sit in *verbis* virtus aliqua ad morbos sanandos? vide Plin. *lib.* 28. *c.* 2. qui ridet credulitatem multorum circa vim verborum salutarem, et noxiam urbium, et mortalium felici statui. Vide *Verba* in *Specimine*.

Veritas: vide *Falsitas* in F. Quanta sit vis *Veritatis*? vide Esdrae *lib.* 2. non canonicum *c.* 3. vide item Ciceronem in *Orat. pro Coelio*, et Sen. *l.* 2. *de Ira c.* 22. Pythagorae symbolicum Praeceptum erat: *Ne loquaris contra Solem*. Vide Menochium *Cent.* 1. *c.* 58. *Veritas* temporis filia dicitur, et Thales, alter ex 7 Sapientibus, aiebat: Tempus esse omnium sapientissimum, quia per illud omnium cognitio pro-

prodit. Vide *Sapientia* in S. Phaedrus *lib.* 3. *Fab.* 10. postquam dixisset, et exemplis probasset, periculosum esse credere, et non credere, addit:

Ergo exploranda est veritas multum prius,
Quam stulte prava judices sententia.

Ammianus Marcellinus Historicus ajebat, *Veritatem* ab Historico corrumpi, vel mendacio, vel silentio. Cognitae *Veritati* resistere scelus maximum contra Spiritum Sanctum inter vere Christianos habetur. An hujus sceleris rei peragi possint multi nostri aevi Antichristiani Philosophi, in Christiana Religione educati? judicent qui eorum scripta, vel legerunt, vel nota habent.

Verres (C.) Jurisconsultus, et Vir Praetorius; repetundarum accusatus a Cic. Siculorum, quibus Verres praefuerat, nomine, exsilio sibi consuluit, quin Hortensius, ejus Patronus, potuerit eum contra Ciceronem tueri. Fautores Metellos habebat; ast eum reliquerunt, postquam Cicero Judicibus palam fecit, *Verrem* in Legatione, et Quaestura Asiatica, ut etiam in Praetura Urbana, et Sicula furem, et sceleratum fuisse. Non omnes *Verrinae*, quae leguntur, recitatae fuerunt a Cicerone, quia *Verres* ad priores recitatas, solum vertit.

Verrius (Cloatius) a Gellio citatus, scripsit *de Verbis latinis ex Graeco sumtis*: quo in *Opere* ait Gellius, non pauca curiose, et sagaciter conquisita tradit: neque non tamen alia futilia, et frivola. Opus istud desideratur. De in eo *Specimine*.

Versiones in latinum Comoediarum Graecarum Menandri, Posidippi, Apollodori, Alexidis, de quibus Gel. *l.* 2. *c.* 23. desiderantur. Vide alia in *Specimine* verbo *Versiones*. Cicero in Bruto ait *Odysseam Homeri* in latinum versam fuisse. Forsitan loquitur de antiquissima versione facta a Livio Andronico, vel Ennio.

Versus. Cic. in *Bruto* ait: Nostri veteres versus ubi sunt?

Quos olim Fauni Vatesque canebant,
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat, cet. Haec ex Ennio. Vide *Poeta* in P.

Vespasianus, Imperator Romanus, unus ex Imperantibus fuit, qui in principatu melior esset, quam privatus. Facile inimicitiarum obliviscebatur, et filiam hostis sui Vitellii, liberalissime dotavit: De eo narrant Ethnici Historici, attactu suo morbos aliquos sanasse, quod etiam de Pyrrho dici-

tur: haec Ethnici, ut opponerent Christianorum miraculis in aegrotis sanandis. Non defuerunt ex Hebraeis adulatores, qui eum esse Messiam, a Prophetis promissum, affirmarent. Templum Pacis construxit omnium Romanorum templorum pulcherrimum, et ditissimum, in quo reposita fuerunt ornamenta, et vasa omnia domus, et templi Salomonis post expugnatam, et deletam a Tito Hierosolymorum urbem. Vide Lucium Faunum in *Roman. Antiquit. l.* 2. *c.*17. Herodianus tradit, sub Commodo igne absumptum fuisse. Vide de eo alia in *Specimine*.

Vestales, vivae defossae in *Campo Scelerato*, ob incestum admissum, recensentur a T. Livio variis in *libris* suarum *Historiarum*. Prima, *Oppia*. 2ª. *Minutia*. 3ª. *Sextilia*. 4ª. *Tuccia*, 5ª. *Opimia*. 6ª. *Floronia*. 7ª. *Aemilia*. 8ª. *Lucinia*. 9ª. *Marcia*. De his distribute Livius in libris 2. 8. 14. in Flori Epitome (nam hic liber in *Livio* desideratur) 20. 22. 43. Plutarchus describit ritum servatum in sepeliendis Vestalibus stupri convictis, prope portam Collinam, ubi Campus Sceleratus erat. De nonnullis per calumniam accusatis, vel in gratiam propinquorum liberatis, quas inter soror Terentiae, Ciceronis uxoris, agunt Romani Historici. De dotibus requisitis, ut virgo aliqua in *Vestalem* a Pontifice Max. *caperetur*: vide Gel. *lib.* 1. *cap.* 12. ubi fuse de hac re, et cur *Amata* a Pont. Max. *Vestalis Capta* appellaretur. Jussu Augusti *Vestales* in theatro locum separatum habebant e regione Tribunalis Praetorii. Ita Suet. in *Augusto c.* 44. Plin. *l.* 28. *H. N.* tradit, *Vestales* precatione sua, seu verbis quibusdam prolatis, retinuisse mancipia fugitiva, quae nondum Urbe excesserant. Ita credi Romae narrat Plinius. Sed proculdubio haec fuit vulgi opinio, cui vix crediderim, assensum fuisse Plinium, vel id Daemonis opera impetrabant. De aliis ad *Vestales* spectantibus, et maxime de honore et privilegiis earum: vide in *Specimine* v. *Vestales*. In nonnullis Inscriptionibus Sepulcralibus inveniuntur hae siglae *V. V. Max.* quae indicant Vestalem Praesulem, seu Virginem Vestalem Maximam.

COROLLARIUM.

Vestitus. In eo mediocritas laudatur a Cic. in *lib.* 1. *de Off.* Nero nunquam eadem veste bis induebatur: Julia Augusti filia modeste vestita patri placebat; displicebat nimis ornata. Cum nonnemo ei diceret, melius facturam, si ad exemplum paternae modestiae se componeret; superbe respon-

de-

debat: *Pater obliviscitur, se Caesarem esse: ego memini, me Caesaris filiam*. Ita Suet. in *Augusto*. Vestis Romanorum erat Toga super tunicam duplicem, cum hiems erat. Subtilior tunica, et carni proxima, quam lineam fuisse puto, Interula, Indusium, vel Subucula dicebatur. Servi, et inopes tunica induebantur sine toga. Vide *Stola* in S.

Vestorius, cujus non semel meminit Cic. in *Epist.* ad Att. alienus erat, et remotus a Dialecticis; at in Arithmeticis probe exercitus erat. Ita Cic. *Ep.* 12. *l.* 14. *ad Att.* Cum hanc dedit *Epist.* Cicero apud *Vestorium* accumbebat.

COROLLARIUM.

Vetera. Vide *Antiqui* in A: *Malignitatis humanae est, vetera semper in laude: praesentia in fastidio esse*. Ita in *Dial.* de *Antiquis, et novis Oratoribus*.

Vetulanus (Egilaus) Libertinus genere, magnae famae Agricola, et in agrorum culturae arte peritissimus. Ita Plin. *l.* 14. *c.* 3.

Veturia, Augusti Caesaris neptis, Ali uxor, Poetria, quae de *Pudicitia* versus edidit. Vixit annos 40. m. 10. d. 4. Ita ex antiqua *Inscriptione* testibus Mazzochio, Appiano, et Amantio. In eadem narrabatur, eam 8 filios superstites, et filias 6 habuisse, quae ei monumentum cum *Inscriptione* posuerunt. Eruta fuit haec *Inscriptio* ex monte Jordano apud Dominos de Ursinis. Ibidem erat Ali' *Inscriptio* praecedenti proxima, in qua multa de ejus publicis muneribus, et in ejus laudem legebantur. De *Veturia*, Coriolani matre, dictum est in *Specimine*.

V I

Vigilius, Afer Antistes, scripsit *Comment.* in *Apocal.* citatos a Cassiod. *Divin. Lectionum c.* 9.

Vincentius, Monasterii Lirinensis in Gallia Presbyter, in sacris, et profanis litteris probe eruditus, scripsit sub Honorio *Commonitorium adversus Haereticos*, cujus *Operis*, quia secundi Libri maximam partem a quibusdam ereptam furto perdidit, in *Epitomem* sensus, et sententias paucis sermonibus redegit. Opus edidit sub *Peregrini* nomine. Diversus hic est a *Vincentio* Pelagiano, qui contra S. Augustinum scripsit, quidquid Vossius contrarium suadeat. De nostro magna cum laude agunt Baronius, et Bellarminus.

Vindex (L. Caecil.) scripsit de *Orthographia*, et citatur a

Cassiodoro de *Orthogr.* scribente, cujus aevo *Vindicis* opus proculdubio exstabat.

Vindicianus, Medicus, sub Valentiniano Imp. ad quem scripsit *librum* de *expertis remediis*. Vide alia de eo in *Specimine*.

Vinicius, Vir Consularis, mitis admodum ingenii, et comptae facundiae, teste Tacito: quod indicat, studiorum, et litterarum amantem fuisse. Ei dicavit Vellejus Paterculus suam *Historiam*. Occisus fuit jussu Messallinae, cui suspectus erat, quia relegaverat, et postea occiderat Juliam, neptem Tiberii, ejus uxorem, et quia obsequi ejus libidini noluit. Ita Dio Cassius.

Virgines Romanae. Vide *Saltatio* in S: *Vestales* superius.

Virgilius Maro inepte Aeneam laudavit. Vide *Sacerdotes* in S. Reprehensus ab Hygino, ibidem. Octavia, soror Augusti, jussit dari Virgilio 10 sestertia pro singulis versibus, quos in laudem Marcelli filii, parum antea defuncti, ei, et Augusto recitaverat. Licet *Virgilius* multis ornetur laudibus a Lacerda Jesuita Hispano in suis *Commentariis*, ab Scaligero, Matthaeo Toscano, aliis; ab Scarronio scurrili Poeta Gallo, in suo *Virgilio transformato*, ridetur, eoquod Heroem suum ferocem bellatorem, ad lacrymas valde propensum, seu lacrymosum faciat, addens, Aeneam fundando Coenobitarum Ordini, vel Monasterio aptiorem, quam Romano Imperio, a Virgilio depingi. Poeta *Scarronius* Galliarum reginae valde probatus fuit, et quia morbo, nescio quo, laborabat, *Aegrotus Reginae* appellabatur. In Hispania legi Opera Gallice ab eo edita, quae Ferrariae non inveni. De aliis *Virgiliis* in *Specimine*.

COROLLARIUM.

Virtutes. Vide *Vitia* infra. Insignes Virtutes etiam improbi mirantur; at saepe invidiam, et odium in probos pariunt, quia vitiosorum, et otiosorum sunt tacitae reprehensiones. Ast non propterea virtutum exercitia deserenda: nam, ut recte Horatius, qui virtutem deserit ad placandam invidiam, contemnitur.

Invidiam placare paras, virtute relicta,
Contemnere miser.

Alibi Hor. ait; nos virtutem incolumem odio habere; sublatam ex oculis quaerere. Alicubi docet, virtutem in medio vitiorum fere sitam. Alibi virtutem laudari; sed algere. Vide Odem *lib.* 3. in qua multae in virtutis commendatio-

nem

nem praeclarae sententiae, et multae etiam contra vitia, et vitiosos, quos raro deseruit poena, licet haec pede claudo eat, seu tarde sequatur. Persius optat, ut vitiosi virtutem videant, et, ea relicta, intabescant. De Severo Imperatore cecinit Ausonius:

Punica origo illi; sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, dum valet ingenium.

Minutius Felix in *Octavio*: *Omnes pari sorte nascimur: sola virtute distinguimur*. Vell. Paterc. *Optimus quisque nobilissimus*. Juven. *Sat*. 8.

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria: nobilitas sola est, atque unica Virtus.

De *Virtutibus* Moralibus *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudine*, et *Temperantia* agit Ethica, seu Moralis Philosophia. Plutarchus insignem habet *Tractatum de Virtute Morum*. Horatius, qui monet, esse modum in rebus, ait Ep. *6*. lib. 1.

Insani sapiens nomen feret, aequus iniqui
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.

Cicero in *libris de Off*. multo sapientius, licet Fidei lumine destitutus, et solo rationis lumine instructus, de hisce *Virtutibus*, et vitiis contrariis disserit, quam nostri seculi Antichristiani Philosophi *suam sapientiam buccis crepantibus* (ut ait S. Augustinus de Ethnicis) *ventilantes*, qui *hominibus audent dicere* (licet Virtutis inane nomen putent, et Vitia Virtutes appellent): *Nos sequimini: sectam nostram tenete, si vultis beate vivere*: Beatam nempe vitam in sectandis voluptatibus statuentes. De Virtutibus Theologicis *Fide*, *Spe*, et *Charitate*, vitiisque contrariis agit Christiana Theologia, divinae revelationi, seu divinis eloquiis nixa. Novi Philosophi Religionis, ut ajunt, Naturalis Sectatores, et Revelatae Osores, quin a limine Theologiam salutarint, audent de Theologicis disserere: quod non minus ineptum est, quam si Theologus, Geometriae, et Astronomiae expers, vellet de Geometricis, et Astronomicis judicare. Nonnulli ex his Philosophis adeo rerum Theologicarum, de quibus agere non verentur, expertes sunt, ut ne vocabula quidem Theologica sint illis nota, nec si norint, sciant eorum significata. Hinc fit, ut ideas omnes pervertant, et risum, aut commiserationem, etiam Tironum in Theologia sibi concilient, et multo magis eruditorum Theologorum, qui eorum exagitant errores. Volterius, magnus Volterius, si superis placet, Romanos Pontifices appellat *Christi Successores* (saltem sic S. Petrum appellat) quos, si ignarus Theologiae non esset,

Christi Vicarios appellaret. Ea nempe quae ignorant blasphemant lucubrationibus suis, quae quamvis ineptae, et erroribus crassissimis circa divina, et humana scatentes, ut a caecutientibus editae, ab aeque ineptis, et caecis eorum admiratoribus cum plausu leguntur. Caeci nempe caecos ducunt, et omnes in foveam errorum, et impietatum cadunt. Vide *Meritum* in M. *Novi homines* in N. *Philosophi* in P. Ovidius *Eleg.* 3. *l.* 2 *de Ponto* cecinit:

Non facile invenies multis e millibus unum,
Virtutem, pretium, qui putet esse sibi.
Ipse decor recti, facti si praemia desint,
Non movet, et gratis poenitet esse probum.

Viscus, bini ejusdem nominis fratres, docti Poetae, filii Vibii Visci Augusto cari, qui licet valde dives in equestri ordine manere voluit, cum filios Senatores fecisset. De illis cum laude Hor. *Sat. ult. lib.* I.

Vispillo (Q. Lucretius) Orator in privatis Caussis, et acutus, et Jurisperitus. Ita Cic. in *Bruto*.

Corollarium.

Vita humana Comoedia est, et homines Comoedi, seu Comoediae Actores in Mundi theatro. Ita Epictetus in *Praeceptis* suis, haec monens: *Memento Actorem te esse Fabulae, quamcunque is velit, qui docet: brevem si brevis: si longam longae. Si mendacem agere te velit, et tunc ingeniose ages: si claudum: si principem: si privatum. Ad te enim pertinet, datam tibi personam bene agere: eligere, ad aliam.* Idem Epictetus ajebat: *Si quis cordi habeat, et observare curet verba duo: Sustine, et abstine, vitam vivet sanctissimam, ac tranquillissimam, et impeccabilis fiet.* De *Brevitate Vitae librum* scripsit Seneca. De *Vita longaeva* nonnullorum post diluvium Plin. *Histor. Natur. lib.* 7. *cap.* 48. *et* 49.

Vitellius, Orator, accusavit Pisonem maleficii in Germanicum, quem veneno sustulisse e medio probabat, eo quod cor defuncti cremari in rogo nequiverit. Ita Plin. *l.*11. *c.* 37. *H. N.* De eo in *Specimine*.

Vitellius, Imperator, notabilem patinam ad luxuriosa sua convivia, imperii initio, fieri jussit. Ei faciendae in campis fornax fuit constructa 200 sextertiis: unde *Patinarum Paludes*, gravi probro *Vitellio* objectae fuerunt a Muciano Cos. Vespasiani amico, de quo in *Specimine*. Vide *Luxus* in L, et Coel. Rhodig. *lib.* 9. *c.* 11. *ll. Antiq.*

Co-

Corollarium.

Vitia. Fortasse *Vitium*, de quo quereris, et in aliis reprehendis, si te diligenter excusseris, in sinu tuo invenies.' Ita Seneca *lib*. 7. *de Benef*. *c*. 28. Vide *Virtus* supra.

Ex vitio alterius Sapiens emendat suum. Ita P. Syrus,
Peras imposuit Jupiter nobis duas.
Propriis repletam vitiis post terga dedit:
Alienis ante pectus suspendit gravem:
Hac re videre mala nostra non possumus.

Ita Phaedrus *lib*. 4. *Fab*. 9. Vitia duo esse omnium gravissima, et teterrima ait Epictetus, *Intolerantiam*, et *Incontinentiam*: quae vitantur, si duo verba observemus: *Sustine*, et *Abstine*. Ex duobus illis vitiis cetera profluunt, et illis devitatis, devitantur omnia. Vide *Vita* humana supra. *Vitia*, seu mali habitus, in moribus reddunt homines persimiles belluis: vide Boethium *lib*. 1. *de Consol*. *Phil*. *metro* 3. Idem docuere multi Philosophi, et Poetae Ethnici, lumine Fidei destituti. Vide Horat. *Ode* 24. *l*. 3. *Scelerum si bene poenitet Eradenda prava cupidinis sunt Elementa, et tenerae mentes asperioribus formandae studiis*. Ita Horatius serio scribens. Qui *Vitia*, et virtutes ex aequo habent, et honesta putant omnia, quae utilitatem, et voluptatem afferunt, ut multi ex nostri saeculi Philosophis, in lumine hujus seculi caligantes, devitandi omnino sunt tanquam pestes humani generis, tanquam eversores humanae societatis, tanquam opprobria hujus aevi, et tanquam corruptores, carcinomata, et pestilentia nostrae aetatis. Ab illis nihil non timendum, ut et ab infectis eorum doctrina, si clanculum nocere aliis possint, dummodo ex aliorum calamitate, et pernicie emolumentum aliquod, vel voluptatem, sine poenarum legitimarum metu, percipere valeant. Non enim poenas alias timent *Ingenia* haec *fortia*, quam quae humanis legibus sunt sancitae pro notis delictis; cum de Dei Providentia, et justo Judicio vel dubitent, vel praefracte ea negent, Animorum Immortalitatem, ac aeterna supplicia, quae Sacrae Litterae sceleratis comminantur, ut fabulas irridentes, ac satyricis scommatibus cavillantes. Secularem, et Ecclesiasticam Potestatem *Tyrannidem* appellant, et commendare non cessant ingenitam omnium aequalitatem, et libertatem, quae nullis legibus debet temperari. Interea tamen scelerum suorum occultorum poenas taciti luunt, conscientiae clamores diu, noctuque, licet inviti audientes, dubiique de

aeter-

aeternorum suppliciorum immanitate, quam merentur, sustinenda, postquam in voluptatibus breves dies suos duxerint, in puncto ad tartara, ubi sempiternus horror inhabitat, descendendo. Illic doctrinae suae fructus colligent absynthio amariores: tuncque inanis, et falsae suae Philosophiae damna sentient, sese non Philosophos, sed insanissimos fuisse sero agnoscentes. Et vero si insani non essent, haec cogitarent, dum falsa, et sacrilega scribunt: Quid lucramur hisce impiis, ac ab omnibus sapientibus, et probis viris rejectis nostris opinionibus? Si verae, brevi, et multis miseriis immista fruimur in hac vita felicitate. Si falsae, suppliciis nullum finem habituris torquebimur, et aeternum sumus futuri infelices: vide *Voluptas* in V. Horat. *Ode* 24. *l.* 3.

Quid tristes querimoniae
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus vanae proficiunt?

Vide etiam *Odem* 1, et 2. ejusdem *libri* 3.

Vitrum, vide *Metalla* in M. Menochium in *Storeis*, *Cent.* 2. *c.* 52, et *Vitriaria Ars* in *Specimine*. Olim Christiani Sacerdotes in vitreis calicibus Sacrificia conficiebant: quod postea Pontificum Roman., et Conciliorum Decretis prudentissime vetitum fuit.

U L

Ulpianus, Rhetor, Demosthenis Commentator. Ita Cael. Rhod. *l.* 5. *c.* 3. *LL. AA.*

V O

Vocabula nova, a Cic. conficta, parum probanda a Romanis putabat Cicero, licet tunc Latina lingua viva, ut ajunt, esset. Idem Cic. laudat Varronem, quod nova finxerit *Vocabula* ad res philosophicas exponendas: quod etiam Graeci fecerant, et adhuc faciebant. In *Academ.* *QQ.* inducit Varronem dicentem, in omnibus artibus esse nomina, seu *Vocabula* illis propria, et non publica: aut enim, inquit, rerum novarum nova facienda nomina, aut ex aliis transferenda: additque Tullius, benemeritum de suis civibus Varronem futurum, si eos non modo copia rerum auxerit, ut faciebat, sed etiam verborum. Ita *lib.* 1. *Acad.* *QQ.* Ex quo intelligere est, Criticos, qui sugillant Scholasticos, et barbaros eos appellant, eo quod nova *Vocabula* pro novis vel rebus, vel Ideis rerum finxerint, vel Ciceronem non legisse,

gisse, vel si legerunt, parum aequos Judices in ferenda contra Scholasticos sententia esse.

Voconius, teste Gennadio, Castellanorum in Africa Episcopus, scripsit contra Judaeos, Arianos, et alios Haereticos

SERMO FIDELIS AD EPICUREOS NOSTRI SECULI.

Voluptas. Egregiam de corporeae *Voluptatis* damnis *Orationem* Architae Tarentini, vide apud Cic. de *Senectute c.* 3: quam utinam legerent nostri seculi Voluptuosi Epicurei Philosophi, ut, quoniam Sacrarum Litterarum lectionem aversantur, qua ad veram, et solidam Sapientiam, si hanc amarent, deducerentur; saltem ab Ethnicis sapientioribus edocti ad bonam mentem redirent. Non parum autem ipsis prodesset aures praebere verbis Scipionis ad Massinissam, Sophonisbae insano amore captum, devicto Syphace rege. Ea Livius affert *lib.* 30. Meliorem sua doctrinam de *Voluptate* discere possent ex *lib.* 2. et 18. ejusdem Livii de Hannibale disserentis, ut etiam ex Sen. *Ep.* 51, ubi de vitandis irritamentis *Voluptatis*, et ex Cic. *lib.* 1. *de Off.* Multa de *Voluptate* ad mentem Epicuri a Torquato Epicureo dicta adducit Cic. *l.* 1. de *Finibus*. *Voluptatum* sensilium sectatores, et Doctores, quos sugillat Plutarchus de *Virtute morum*, dicunt

Gratia quae? vel quid jucundum si Venus absit
Aurea? Curae hae, cum mihi non erunt, moriar.

Illud item, teste eodem Plut.

Bibere, et esse, et venere uti:
Caetera additamenta voco.

Cic. de *Legibus l.* 1. Imitatrix boni *Voluptas*: *malorum autem mater omnium*. De eadem ait in omni sensu implicatam insidere. Antisthenes summum malum *Voluptatem* putabat. Ejus est illud: *Insanirem potius*, *quam oblectarer*. Ita Gel. *lib.* 9. *c.* 5. Sallustius in *Bel. Jugurt. c.* 2. haec habet: *Itaque miranda, et detestanda est pravitas eorum, qui dediti gaudiis corporis, in luxu, atque ignavia aetatem agunt*. Critolaus Peripat. ajebat, et malam esse *Voluptatem*, et multa mala ex se parere: injurias puta, dissidia, obliviones, ignavias. Hierocles Stoicus, quem virum sanctum, et gravem vocat Gellius, dicere solebat: *Voluptatis finis meretricis dogma: tolle Venerem, et nullum meretricis erit dogma.*

ma. Haec semper in ore habebat Taurus Phil. cum agebat de Epicuro. Quod argumento est, eum vulgatam de opinione Epicuri circa *Voluptatem* tenuisse Sententiam. Vide Gel. loco citato, qui aliorum opiniones de *Voluptate* refert. Quid Silius Italicus de ea senserit? vide *Deistae* in *Specimine*. Vide etiam *Epicurei: Materialistae* in suis litteris. Dixi jam, et saepe dicendum, Epicureos nostri seculi, non legentes sacros Codices nisi forsitan ad eos irridendos, non parum profecturos, vel saltem multo minus deliraturos, si legerent saniores Poetas, Historicos, et Philosophos Ethnicos, qui solo rationis naturalis lumine illustrati de Virtutibus, et Vitiis, ut et de Passionibus, judicant. Discerent nempe, et intelligerent, illis lectis, se stultissime, et contra Rationem naturalem, quam tantopere extollunt, ponere summum bonum seu hominis felicitatem in ea, quae tot malorum fons est, et origo, *Corporis Voluptate*. Tollatur e medio *Corporea Voluptas* in ventre sita, et Venere, et meretricium dogma nostrorum Philosophorum in fumum abibit, cessabitque in nostris Philosophis pruritus scribendi. Vel clarius: Tolle Venerem, seu voluptatis Idolum, cui thus adolent, et alios ad idem praestandum hortantur, nostri Epicurei Scriptores; et pisce mutiores evadent; cum de rebus seriis solidisque agere nesciant, vel si scribant, aut loquantur, incassum verba fundent, frustra libros edent, paucos habituri auditores, lectores, aut sectatores. Si Christiana Religio non damnaret Venerem, et ejus Idololatras, nullos haberemus Revelatorum Mysteriorum, et Sacrae Paginae impugnatores, et Histrionicos Irrisores. Sed ohe: jam finis sit declamandi in Tenebriones illuminati nostri seculi, qui Philosophorum nomen per se illustre affectantes, illud dehonestant, et infamant impudicis dicteriis, conviciis, et blasphemiis sacra, et divina omnia, quae non capiunt, insectando. *Illud mirum* (sunt Musonii, gravis Philosophi verba apud Gellium, de quibusdam Pseudo-Philosophis), *quod ista animalia spurca, atque probra nomen usurpent sanctissimum, et Philosophi appellentur. Athenienses antiqui nomina juvenum fortissimorum Harmodii, et Aristogitonis, qui libertatis recuperandae gratia, Hippiam Tyrannum interficere adorsi erant, ne unquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt: quoniam nefas ducerent, nomina, libertati patriae devota, servili contagio pollui. Cur ergo nos patimur, nomen Philosophiae illustrissimum in hominibus deterrimis exordescere?* Vide Gel. *lib. 9. c. 2. NN. AA.*, ex quo haec: quae dicta volo sine

con-

convicio in nostri aevi falsos Philosophos: cum ea Musonius de falsis sui temporis Philosophis dixerit. Nolo enim Philosophos nostri seculi iratos habere, et a me eos exigere urbanitatem, et charitatem. Si quid acrius contra illos a me in decursu hujus *Lexici* scriptum invenerint, aequi bonique consulant, oro, et intelligant, charitatem in eos ursisse me ad eos opportune, et importune arguendos secundum S. Paulli monitum, si forte impetrem, ex illis unum aliquem ad sanam mentem, et ad veritatem revocare: nihil enim fortius Anima desiderat, ut ait S. Augustinus *Tractatu* 24. *in Joannem*, quam veritatem. Et licet illi *Ingenia fortia* appellari velint, intelligent tandem fortiorem illorum Ingeniis esse veritatem. Quod si illi dure tractatos a me arbitrentur increpitosque acerbius, et idcirco eorum dicteriis, scommatibus, et facetiis pateam, ut multi alii, qui benignius cum eis se gesserunt; sciant, me ad eos sanandos Medicorum exempla secutum prudentiorum, qui cum blanda remedia non prosunt, praescribunt, et adhibent asperiora, et fortiora. Multi, qui contra eos scripserunt, mitiori, et suaviori stylo usi sunt, eos monendo, ut ad se redeant, errores suos agnoscant, et falsa, et impia dogmata ejurent. Sed aera verberarunt, et surdis verba dederunt. Cum caecum, et surdastrum videmus, qui ad puteum, vel patentem abyssum properat, et sese imprudentem praecipitaturum pertimescimus, magnis clamoribus, ut alio gressus dirigat, vel ut consistat, eum admonemus, ne pereat: lethargo itidem vel alto sopore correptos, imminente periculo vitae, non blandis sermonibus, non rationibus, sed elata voce, sed vellicatibus, sed punctionibus, et cauteriis etiam, Medici excitandos eos saepe praescribunt. Phreneticos autem, et minis, et ictibus, et flagris caedimus, et vinculis constringimus, ut quiescant, ne ex alto se dejiciant. Notum autem est, Antichristianos hujus seculi Philosophos alios caecitate, alios lethargo, phrenitide alios laborare, et in extremo periculo aeternae salutis versari. An non igitur prudenter, an non amice, an non christiana charitate cum illis agit, qui acribus remediis adhibitis, post tentata incassum mitiora medicamina, sanitatem, et firmam valetudinem eis reddere satagit, ac pristinum robur in fide Chrisiana bonamque mentem illis procurat? an non aequo, et grato animo esse debent adversus illos, qui clamoribus eos admonent, qui eos stimulis exagitant, qui cauteriis verborum cruciant, ut eis medelam afferant, et sani fiant? Tu lector judica. Non ignoras, Cretenses, quoniam mendaces, ma-

malae bestiae, ventres pigri, voluptatum patroni erant, dure increpandos fuisse secundum S. Paulli monitum in *Epist.* ad Titum, ut *sani in fide* essent. Quid putas nunc diceret de novis Philosophis, deque ratione cum illis agendi? res ipsa clamat. Porro licet, qui fidem christianam amisit, judicatus jam sit, preces ex intimo cordis nostri ad Deum jugiter fundamus, ut Antichristianorum Philosophorum mentes Paraclitus Spiritus, qui a Patre filioque procedit, illuminet, ac inducat ad omnem, quam Dei filius Jesus Christus promisit, veritatem. Dicteriorum, et conviciorum plaustrum in me conjecturos non dubito obstinatiores Pseudo-Philosophos, qui haec legerint. Appellabunt me inurbanum, ineptum, importunum, insipientem, fanaticum cet.: nihil moror: aequo animo, et tranquillo haec feram; modo unus saltem aliquis ex iis, quos seduxerunt, fidelibus sermonibus meis ab Orci faucibus liberetur, et per viam salutis aeternae iterum gradiatur.

UR

S. *Ursicinus*, professione Medicus, Ravennas patria, sub Paullino Judice martyrii palmam adeptus. Eum in tormentis titubantem confirmavit Vitalis miles, postea Christi Martyr, qui ei dixit: *Ursicine Medice, qui alios curare solitus es, cave, ne te mortis jaculo conficias.* Fuit *Ursicinus* alter Romae a factione sua electus Summus Pontifex contra S. Damasum legitimum Pontificem. Illi favebat Symmachus Ethnicus, Urbis Praef. qui jussus fuit *Ursicinum* turbas excitantem, et schisma facientem Roma ejicere: quod praestitit obsequutus Christiano Imperatori, id praecipienti per Epistolam, quae exstat, ad Symmachum directam.

US

Corollarium.

Usus, et Experientia Parentes Artium, et Sapientiae sunt: Vide *Sapientia* in S. De *Usu* Columella, initio sui Operis de *Re rustica* ait: *Usus, et Experientia dominatur in Artibus, nullaque Disciplina sine peccato addiscitur.*

XE-

X

*X*Enocles, Adramitensis, summus in Asia Orator, cum Cicero Asiam peragrabat, et cum Asiaticis Oratoribus exercebatur.

Xenophon, diversus ab eo, qui de *re Equestri* scripsit, Claudii Caesaris Medicus, et ei valde carus (de quo in *Specimine*), infecisse jussu Agrippinae dicitur veneno boletum, quo Cladius periit.; at verisimilius puto, scelus istud Locustae veneficae adscribendum.

Z

*Z*Ena, Legisperitus, S. Paulli discipulus, de quo S. Paullus in *Epist. ad Titum* meminit.

Zeno, sive *Xeno*, Phil. Athenis notus Ciceroni, et ejus fratri Quinto. De eo, et de Aristone item Philosopho, agit Cic. *Ep.* 10. *libri* 5. *ad Att.*

Zeno, Cyprius, celebris Medicus, qui complures Alumnos in Medicina habuit, inter quos Oribasius recensetur, Juliani Apostatae Medicus, et Medicorum sub eo Princeps.

Zenodotus, insignis Statuarius a Nerone Romam accitus, ut ejus colossum fabricaret. Vide Plin. *H. N. l.* 34. *c.* 7.

Zenophilus, Philosophus insignis sub Constantino M. memoratus in *Actis S. Sylvestri*, quae quamvis olim a Gelasio Papa adprobata, nunc corrupta leguntur, et a Criticis non probantur. In dictis *Actis* dicitur, una cum Cratone arbitrum fuisse in disputatione habita coram Constantino, et Helena inter S. Silvestrum, et Judaeorum Doctores.

Zephyrinus Papa, et Martyr, patria Romanus, sub Severo electus, et passus sub Antonino Imper. multa sancivit ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia. Inter alia, ut sacris initiandi ordinibus, opportuno tempore, ac multis praesentibus Clericis, et laicis, ac non nisi docti, atque spectatae virtutis homines ad sacros ordines promoveantur: quod postea in variis Conciliis sancitum fuit. Item, ne Patriar-

chae,

chiae, Metropolitae, Primates sententiam ferant adversus Episcopum, nisi fulti Apostolica auctoritate. Tandem, ut rem divinam faciente Episcopo, sacerdotes omnes adstent. Vixit in Pontificatu an. 18, et dies 18.

ZO

Zopyrus, Gordiensis Medicus, hospes Scribonii Largi citatur a Largo, cui dono dedit in scripto antidotum, vel remedium contra morsum rabidi canis, quod remedium nondum expertus fuerat Largus, cum hoc narrabat in Opere suo. Largi Scripta ex parte desiderantur; opus enim de *Compositione medicamentorum* integrum non est. In *Specimine* dixi hoc Opus desiderari: addo nunc *ex parte*; nam major pars exstat.

NON-

NONNULLA, QUAE LOCUM SIBI JURE VINDICANT IN HOC *LEXICO*, PER INCOGITANTIAM IN SUIS LITTERIS PRAETERMISSA.

In A

Adauctus, natione Italus, Magister Officiorum in Aula Imperatoris, cujus munus erat curare de scholis, et aedificiis publicis. Martyrio laureatus fuit una cum incolis civitatis cujusdam Phrygiae flammis traditae jussu Maximini Imperatoris, quia, exemplo Adaucti, Viri Primarii Diis sacrificare constantissime recusarunt. Ita Eusebius *Hist. Eccl. l.* 8. *c.* 11.

Alexander, Alexandriae Episcopus, qui Arium damnavit, et fidelium communione privavit, de quo in *Specimine* fit mentio, scripsit 70 *Epistolas Encyclicas*, quarum nonnullae supersunt apud Socratem, et Theodoretum, et multae desiderantur.

Anastasius, Rom. Pontifex sub Honorio, et Arcadio, damnavit Origenistas. Multa scripsit in Caussa Origenistarum, et Donati Sectatorum, ut etiam de *Incarnatione Verbi Dei*, cujus Operis fragmenta nonnulla apud Liberatum leguntur. Ruffinum Aquilejensem Presbyterum ad se venire tergiversantem ut Origenistam damnavit.

Anthemius, Praef. Praetorii Orientis sub Theodosio Juniore adhuc puero, et Imperii pro eo Gubernator, Vir sapientissimus inter suae aetatis homines, nihil inconsulto decernebat, sed adhibito multorum consilio de rebus agendis tractabat. Vir iste Constantinopolim muro maximo cinxit, et firmavit. Ita Socrates.

Antiochus, Samosatae Praesul, avunculi sui S. Eusebii successor, cujus opera pro divinis dogmatibus celebrata, quis enumerare sufficiat? Ita Theodoretus. Exsul etiam jussu Valentis Ariani ductus fuit in Armeniam.

Aquilinus, Causidicus, in Caussis forensibus Sozomeni sodalis. De eo miraculose sanato a gravissimo morbo, loquitur Sozomenus *cap.* 19. *lib.* 2. *Hist. Tripartitae*.

Aquilius (C.) videtur *Historiam* scripsisse, in qua narrabat, in cloacis Romanis reficiendis Censores 100 talenta impen-

disse. Citatur a Dionysio Halicarnassensi. *Aquilii* Scripta desiderantur. Diversum arbitror a C. *Aquilio* Jurisconsulto, et Judice apud Romanos magnae auctoritatis, de quo in *Specimine*.

Arcadius, Jurisconsultus in *Pandectis* refert immunitates ab Imperatoribus concessas Oratoribus, et Grammaticis, ut tranquillius possent studiorum meditationi vacare.

Arumphis, Aegyptius, Philosophus, et Magus, M. Aurelio Antonino Philosopho familiaris, cum Romani siti laborarent, effecit, ut subito obscurae nubes existerent, quae ingentem pluviam effuderunt cum crebris tonitruis, et fulgoribus. Ita Suidas. Alii hoc tribuunt Juliano Chaldaeo.

Asterius, Sophista, complures *libros* edidit pro Ariana haeresi. Ambiebat Episcopatum, quem impetrare non potuit, quia Christianus factus, in persecutione fidem negavit. Contra eum scripsit Marcellus Episcopus, sed mensuram oppositionis excedens favit erroribus Paulli Samosateni, ob quod fuit Episcopatu privatus. *Asterium* hunc diversum censeo ab *Asterio*, qui sequitur.

Asterius, Sophista haereticus, Cyri Episcopatus invasor. Is captiosis argumentationibus, et sophismatibus veritates Catholicas impugnans jam inde a Concilio Nicaeno. Ecclesiae pacem turbavit. Hujus lucubrationes, quae perierunt, recenset S. Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* scribens.

Atticus, Constantinopolitanus Episcopus, sub Theodosio Juniore annum aetatis 8 agente, Vir clarus, et eruditus, venerabilis ac prudens dicitur a Socrate. Ille non a solis suae fidei personis, sed ab haereticis etiam sapientiae miraculum putabatur. Inter haec non negligebat eloquentiam. Omnibus omnia factus, gratissimus cunctis erat etiam haereseos labe maculatis, quos vexari nolebat, sed suaviter reducere. Ita Socrates *Hist. Tripartitae l.* II. *c.* I.

In B

S. *Basilius*, Ancyranae Ecclesiae Presbyter, Vir studiosus, et circa dogmata probatus, sub Constantio Imp. Arianis doctrina sua resistebat: ob quod Arianus Episcopus Eudoxius ab Ordine Ecclesiastico eum removit. Sub Juliano Christianos publice commonebat, ut proprium dogma servarent, et Paganorum superstitiones devitarent; honores, a Principe oblatos, pro nihilo haberent: temporales nempe eos, causasque aeternae damnationis futuros. Propterea compre-

prehensus, et Provinciae Judici traditus, illustri martyrio fuit coronatus. Ita Sozomenus.

Blesilla vidua, S. Paullae filia, docta Graece, Latine, Hebraice, cui S. Hieronymus *Ecclesiasten* est interpretatus.

Bonifacius, Comes Imperii, natione Thrax, vir militari arte clarus, S. Augustini amicus, et plusquam mediocriter eruditus, ut constat ex Augustini ad eum *Epistolis*, et ejusdem dubiis Augustino per litteras expositis. Adjunctus fuit ab Honorio Imp. Castino Duci exercitus Imperii, ut ambo contra Wandalos, et Alanos pugnarent. Cum Castinus eum rejecisset, ut solus gloriam victoriae haberet; fugatus, et victus fuit a Wandalis, ut praedixerat Bonifacius, qui in Africa vitam Christiano dignam egit. In Italiam reversus, et Magister militum factus paullo post victoriam de Aetio reportatam, obiit an. Christi 433.

In C

Callistion, Tatiani Romae discipulus, scripsit nonnulla de Tatiano, memorata ab Eusebio *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 13.

Callistus, Poeta, Juliani Apostatae familiaris, in ejus exercitu militans, scripsit versu heroico Vitam Juliani. Hoc *Poema* intercidit, vel latet.

Cassianus quidam, antiquus Auctor, citatur a Clemente Alexandrino in *Stromatibus*, tanquam *Chronicorum* Scriptor. Haec *Chronica* desiderantur, et me latet fueritne Christianus, an Ethnicus.

In E

Ecebolus, Sophista, et Christianus Rhetor, Magister Juliani Apostatae in puerili aetate.

Eunomius, Sophista insignis, Auxentii Ariani Episcopi amicus, sub Valente Imperatore Ariano missus fuit Cyzicum, ut inde Episcopum Eleusium ejiceret, et in ejus locum intraret. Verum a Cyzici incolis fuit ipse expulsus, quia Cyziceenses ejus fastum, et sophisticam garrulitatem ferre non poterant. Fuit Aetii, qui Atheus vocabatur, Notarius, et ab eo didicit Sophismata, quibus veritatem oppugnabat, et Aetii, et Arii errores promovebat. Scripsit septem *Volumina* in *Epist.* S. Paulli ad Rom. ejus sententias perperam exponens: scripsit etiam *libros* alios valde contemptibiles, teste Socrate in *Hist. Tripartita l.* 7. *cap.* 19. Opera praefata periere, vel latent.

Eusebius, Samosatensis Episcopus, de quo multa Theodoretus, sub Valente Ariano militari habitu incedebat ad confirmandos in fide Catholicos. Fuit Vir doctissimus in exsilium pulsus, et martyrio coronatus. Curavit, ne Samosateni scirent, sibi jussum exsilium, ne Ministrum ab Imperatore missum occiderent. Videtur de suo exsilio apud Histrum scripsisse, ut indicat Theodoretus *l. 7. Hist. Trip. c. 16.*

In F

Flavius (Q.) *Q. F. Suc. Herculanus*, *Augur*, *Magister Caeremoniarum Sacr. Fac.* Ita in Veteri *Inscriptione*, quam affert Cellarius in sua Orthographia.

Flavianus, Monachus, Vir sapentissimus, et nobilissimus multa patiens pro Catholica doctrina sub Valente, non domi solum, sed etiam publice Haereticis resistens, retia eorum facile perrumpebat ostendens eorum argumenta esse telas aranearum. Ita Theodoretus *lib.* 8. *c.* 3. *Hist. Tripartitae*. De eodem narrat ministrasse scripta Doctoribus ad confundendos Haereticos.

In G

Gelasius, Caesareae in Palaestina Episc. De eo ait Sanctus Hieronymus, esse sermonis accurati, et limati Scriptorem, sed celare, quae scribit. Theodoretus in *Dialogis* eum virum admirabilem vocat, et addit, Caesareensem agrum diligenter excoluisse.

Geminus, Mathematicus, qui floruit Ciceronis aevo circa an. Urbis conditae 677. ut ex ipso demonstrat Petavius in Opere de *Doctrina temporum*. Reliquit opus aliquod, in quod Notas edidit Petavius. An alia Opera ejus extent? ignoro. Ad manum non habeo Petavium de *Doctrina temporum*, ex quo forsitan alia de Gemino dare possem.

Glabrio Acilius, militari arte, et consilio Antiochum regem bello superavit sub Trajano, et ei bracteata auro statua erecta Romae fuit.

Gregorius, S. Basilii frater doctissimus, eruditione ei paene par, teste Rufino in Continuatione *Hist. Eccles. Eusebii*. Edidit luculenta aliquot Opuscula, quae Rufini aevo legebantur.

In H

Hellanicus, Tripoleos Antistes, *ineruditus*, et *haereticus* ab Ario appellatus in *Epist.* ad Eusebium Nicomediensem, quia Arianum dogma impugnabat.

Hel-

Helvidius, haeresiarcha, refutatus a S. Hieron. diversus fuit, et longe prior aetate *Helvidio* haeretico, contra quem S. Ildefonsus Toletanus Praesul scripsit; sed uterque *Helvidius* eadem impia dogmata docuit contra Virginitatem Christi Matris sanctissimae. Hanc diversitatem non indicavi in *Specimine*, et unius tantum *Helvidii*, refutati a S. Hieronymo, et S. Ildefonso mentionem feci.

In I

Instantius, Episcopus Priscillianista, damnatus, licet absens, in Concilio Caesaraugustano an. Christi 381.

In M

Macarius, Hierosolymorum Episcopus, *haereticus*, et *ineruditus* appellatur ab Ario in *Epist.* ad Nicomediensem Eusebium, quia Arianum dogma rejiciebat. Sollemnis hic est mos haereticorum, et Philosophorum Deistarum nostri Seculi, ineruditos appellare quotquot eorum errores rejiciunt. De hoc *Macario* narratur, veram Christi Crucem S. Helenae patefecisse, et a latronum crucibus discrevisse adhibitis crucibus foeminae primariae morti proximae, quae sanata repente fuit attactu S. Crucis, postquam duae aliae adhibitae frustra fuissent.

Malchio, Antiochenus Presbyter, doctissimus, disertissimus, et virtutibus omnibus ornatus, qui Oratoriam Antiochiae docuerat, in Concilio Antiocheno contra Paullum Samosatenum congregato, cum Paullo disputans, eum haereticum esse palam fecit. Ejus cum Paullo *Disputatio*, a Notariis excepta, edita fuit, et admirationi erat omnibus Eusebii aetate. Nunc desideratur.

Mares, Chalcedonis Episcopus, vir senex, et caecus, ad Julianum Apostatam, Fortunae sacrificantem Constantinopoli adductus, eum impium, Atheum, et Apostatam palam, et alta voce appellavit. Julianus eum audiens, et affectans clementiam, solum ei improperavit caecitatem dicens: *Deus tuus Galilaeus curare te non potuit, et a caecitate liberare*. Illico respondit *Mares*: *Ego Deo meo gratias ago, quod caecus sim, ne te videam pietate nudatum*. Julianus nihil reponens abscessit.

Marinus, Arelatensis Praesul, doctrina clarus, electus fuit judex in Caussa Caeciliani, una cum Materno Agrippinensi Episcopo. Ambo sub Constantino M. florebant.

Marinus, Honorii Dux strenuus, et militari arte clarus, fu-

fugavit Heraclianum Africae Tyrannum, qui ingenti exercitu ex Africa comparato cum 3 mil. 700 navibus Romam properabat (*a*). Hic numerus navium incredibilis videtur; cum nec Alexander M. nec Xerxes tot naves habuisse legantur. Verum haec tradunt Historici. Vide in *Lexico* dicta de *Marcellino* in M. Heraclianus fugatus occisus fuit a suis militibus. Ab Honorio decretum fuit, ne Heracliani vocabulum, nec privatim, nec publice ulla memoria teneret. Marinus revocatus ex Africa, vitam privatam egit. Vide Orosium illius aetatis Historicum.

In O

Onkelos, doctus Hebraeus, qui *Paraphrasim* lucubravit, et edidit in *Vetus Testamentum* paullo post Hierosolymorum devastationem per Titum. Ferunt, *Onkelon* filium fuisse filiae Vespasiani, qui eam forsitan habuit ex Hebraea aliqua, cum Dux Romani exercitus in bello contra Judaeos in Judaeorum Provincia degebat. Vide Petrum Gregorium de *Repub. lib.* 12. *c.* 5. Partem saltem hujus *Paraphraseos* in *Thalmudo* exstare crediderim.

In P

Paullinus, Tyri Episc. Ad eum scripsit *Epist.* Eusebius Nicomed. post susceptam Arii *Epistolam*, ei suadens, ut scribat in favorem Arianismi, aegre ferens ejus silentium, eo quod taciturnitas tanti Viri ei videatur partium Arianismi convictio. Eum ut valde sapientem Eusebius laudat, et secum sentire orat.

Philogonius, Antiochenus Praesul, haereticus ab Ario vocatur, quia ei resistebat doctrina sua.

Polemon, Philosophus. Ejus imago visa Scortum ab impudenti proposito deterruit. Ita S. Greg. Nazianz.

In R

Ruffinus, Aquilejensis Presbyter, in latinum non solum vertit, et auxit libris duobus Historiam Ecclesiasticam Caesa-

(*a*) Petavius in *Rationario temporum* 760 naves solum ei tribuit, et 3 militum millia; sed videtur error esse in numero vel navium, vel militum.

sareensis Eusebii, sed denas ferme Oratiunculas SS. Gregorii Nazianzeni, et Basilii ex Graeco Latinas fecit. Ita Ruffinus ipse *Hist. Eccles. l.* 11. *c.* 9. De simultatibus ejus cum D. Hieronymo, et aliis ad eum spectantibus, vide in *Specimine*, et verbo *Anastasius* supra.

In S

Salvianus Episcopus Hispanus, Priscilliani errores promovens, damnatus fuit, licet absens, in Concil. Caesaraug. an. 381.

Sozomenus, Gazaeus, Sozomeni Historici avus ex patre Ethnico Christianus factus cum tota domo sub Juliano Apostata una cum Alaphionis familia, opera S. Hilarionis, qui a Daemone Alaphionem liberavit Christi nomine invocato. Floruit Sozomeni avus in expositione, et interpretatione Sacrarum Scripturarum. Erat enim ingeniosus, et scientia praeditus, ac utilis Ascalonitis, et Gazensibus ad solvenda dubia circa Sacrae Scripturae intelligentiam, et idcirco valde illis, et vicinis Christianis gratus; nec Arithmeticae expers erat. Ita Sozomenus nepos *cap.* 28. *lib.* 6. *Hist. Tripartitae.*

In T

Theotimus, Philosophus, Tomitarum, et Scyticae gentis Episcopus. Barbari trans Histrum flumen habitantes eum Romanorum Deum appellabant ob miracula, quae patrabat imperante Theodosio. Ita Sozomenus in *Historia* sua.

Troilus, Sophista, erat a consiliis Anthemii, Praefecti Orientis, et praecipui Administri Theodosii Junioris in puerili ejus aetate imperante Honorio in Occidente. *Troilo* maxime se credebat Anthemius, Vir doctissimus, et prudentissimus. Fuit *Troilus* in *Oratoria* Magister Socratis Historici Constantinopoli Honorio imperante.

Tryphillius, Berithi celebris Juris Interpres, et publicus Professor, postea Ladrensis in Cypro Episcopus, fuit omnium suae aetatis eloquentissimus, teste S. Hieronymo. Adfuit Nicaenae Synodo, in qua reprehensus fuit a S. Spiridione Trimituntis in Cypro Episcopo, miraculorum, et vitae sanctitatis gloria notissimo, eo quod citans Evangelii verba illa a Christo prolata: *Tolle grabatum tuum, et ambula*, elegantiori vocabulo ausus fuerit lectulum aegrotantis appellare. Eum interrogavit S. Spiridion, an melius sciret rerum

vocabula propria, quam Christus? Non solum *Tryphillius* aequo animo tulit S. Spiridionis reprehensionem, sed eum licet parum eruditum in humanis litteris, voluit Magistrum in rebus Ecclesiasticis habere. *Acta S. Spiridionis* versu scripsisse *Tryphillium* ejus discipulum, tradit Suidas; verum haec *Acta* a *Tryphillio* edita desiderantur.

Finis Lexici.

MATTHAEI AIMERICHII

OPUSCULA

NONNULLA HISTORICA, ET CRITICA

DE

REBUS AD ANTIQUOS ROMANOS

Ante Honorii Imperium ſpectantibus,

QUIBUS ACCEDUNT

Q. MODERATI CENSORINI

ADNOTATIONES.

MATTHAEUS AIMERICHIUS

LECTORI S.

FIDEM meam heic loci haud invitus libero, Lector erudite. Promiseram *Lexici* initio *Opuscula* aliquot de argumentis ad res antiquorum Romanorum spectantibus, quae inseri potuissent suis locis ex ordine litterarum in *Lexico*, quemadmodum factum est in *Specimine* a me nuper Ferrariae edito, ubi nonnullae *Dissertationes* suis locis ex ordine litterarum insertae sunt. Verum quoniam doctis amicis, quorum judicio multum tribuo, visum est, ea prolixitate sua *Lexicon* interruptura, et parum id gratum *Lexicon* versantibus futurum; ad *Lexici* calcem pro coronide ea typis dare statui, ut palam fiat, me amicorum

sen-

sententiae acquievisse, et per omnia Lectorum commodis inservire voluisse. Post singulas Dissertationes addere placuit Q. Moderato Censorino *Adnotationes* uniuscujusque illarum §§, seu Sectionum numeris respondentes. Eas si legeris, tibi forsitan non displicebunt. Vale.

DISSERTATIO I.

HISTORICO-POLITICA

Utrum Status Politicus, a Romulo institutus in Urbe condita, fuerit Monarchicus, an vero Democraticus, seu Popularis?

§. 1. OPINIO est receptissima inter Litteratos, speciosis non destituta rationibus, Imperium Romae a Romulo fundatum, et legibus stabilitum, initio Monarchicum fuisse, ab unius arbitrio pendens, seu unius subditum potestati. Quotus enim quisque est in Romana Historia nonnihil versatus, qui nesciat, per 200, et eo amplius annos a Roma Condita Romanum Imperium, seu Romae, et Romanae ditionis Regimen, sub Regibus fuisse? Id testatur Titus Livius: id Dionysius Halicarnassensis: id Florus: id Corn. Tacitus: id veteres alii, qui vel *Historias*, vel *Annales* scripsere. Iidem narrant, ejectis Regibus ob crudele regimen Tarquinii Superbi, et notum filii scelus in Lucretiam, Tricipitini filiam, et Collatini uxorem, constitutam Rempublicam Romanam sub Statu, ac Regimine Populari, seu Democratico, creatis ad annum Consulibus, qui rem Romanam administrarent.

§. 2. Tunc scilicet immutatus apparuit Politicus Status Romanorum, qui ad ea usque tempora Monarchicus videbatur. Jam vero Popularis haec Imperii Constitutio, qua populo libertas asserebatur, duravit usque ad Corn. Syllae tempora, qui odio in Plebem accensus, vi, et armis omnia ad se traxit, assumto Dictatoris titulo, et nomine, quo indicabatur summa, ac veluti regalis dignitas, sub qua silebant omnes Magistratus, ac in Plebis odium Tribunatum Plebis abrogavit. Mortuo Sylla, seu potius cum se Dictatura sponte sua abdicavit; rediit popularis administratio, restituta in integrum Tribunitia potestate, et cum ea optata pristina libertate, quae paullo post a C. J. Caesare Dictatore perpetuo oppressa, vel penitus extincta fuit, quin deinceps a Romanis recupera-

perata fuerit, ne extincto quidem Caesare, qui rerum potiebatur.

§. 3. Verum de regali ab initio Romana institutione, licet res indubitata sit, et litteratis nota, juvat hic nonnullorum clarissimorum Scriptorum testimonia adducere, ut res tota innotescat etiam parum eruditis. Jam vero Titus Livius *Histor. Romanarum lib.* 1. narrata nece Remi fratris Romuli ex nata altercatione inter eos, qui Remo, et eos qui Romulo favebant, utrumque Regem sua factione consalutante, addit: *Ita solus potitus imperio Romulus, condita Urbe a conditoris nomine appellata*. Post pauca narrat, Romulum jura, seu leges Populo dedisse, et venerabilem, augustioremque insignibus Imperii ac cetero habitu, et 12 lictoribus sumptis in publicum processisse. Florus autem dividens initio sui Operis Romanum Imperium, ut hominis Vitam, in aetates quatuor, ait: *Prima aetas sub regibus fuit per* 200 *prope annos*. Cornelius Tacitus initio *lib.* 1. *Annalium* ait: *Urbem Romam principio reges habuere: libertatem, et Consulatum L. Brutus instituit*. Accedit Ovidius, qui res Romanas optime noverat *Metam. lib.* 14. ubi inducit Martem cum Jove loquentem, eique dicentem:

.... quoniam fundamine magno
Res Romana valet, dum Praeside pendet ab uno.

Haec de Romulo, et parum antea,

Occiderat Tatius, populisque aequata duobus,
Romule, jura dabas.

§. 4. Idem aliis in locis suorum Poeticorum Operum indicat Ovidius cum Historicis consentiens. Omnes enim testatum reliquerunt, Romulum primum Romanorum Regum fuisse, eumque ad constabiliendum Romanum Statum Politicum leges tulisse, quarum nonnullas affert Dionysius Halicarnassensis in suis *Romanis Antiquitatibus*: quod argumento est, eum summum Romae tenuisse Imperium, idque in posteros Reges transmisisse cum regalibus insignibus, et corporis custodibus, quos *Celeres* appellavit. Quemadmodum enim Romulus Rex constitutus leges condebat, et ferebat, suumque esse arbitrabatur, exercitum scribere, bellum indicere, et hostibus inferre: pacem, foedera, inducias, societatem cum populis aliis inire, cum e re publica erat; ita Reges alii Romuli Successores haec ad se spectare non dubitabant: ut item civium censum facere, pecuniam cudere, et tributa secundum uniuscujusque facultates imperare. Quin etiam urbem ampliare, supplicio criminosos, praemio benemeritos afficere, ad ope-

opera publica otiosam plebem, vel invitam cogere: cum id ex usu Reipublicae esse judicabant. Quod fecisse constat Tarquinium Priscum Regem, quem *Bonum* Romani appellabant. Is enim cloacam maximam, cujus vestigia adhuc supersunt, aliaque publica aedificia constructurus, Plebem Romanam aerumnosis adeo laboribus addixit, ut multi sibi necem consciscerent, quo a tam duris imperiis se subtraherent; cui malo ut mederetur, jussit, cadavera suicidarum cruci affigi. His addi posset, Romulum, icto foedere post varia bella cum Sabinis, Tatium eorum Ducem, et Principem Romam accivisse, et cum eo Urbis, et Romanae ditionis regimen communicasse, Sabinosque cives Romanos fecisse: quod sine summa in Populum Romanum auctoritate, et Monarchico Principatu, atque supremo Regimine praestare neutiquam valuisset.

§. 5. Haec cum ita sint, exploratum videtur, Politicum Romanorum Statum a Romulo stabilitum, et a consecutis post eum Regibus administratum, Monarchicum, seu ab uno pendentem fuisse, ac solum post ejectos Reges Popularem, seu Democraticum viguisse: dubiamque fortassis hanc caussam habendam pro decisa atque finita in favorem Monarchici Principatus a Romulo Romae stabiliti. Et decisa quidem jamdiu videri potest a Corn. Tacito tum verbis superius allatis ex *libro* 1. *Annalium*, tum etiam ex *lib.* 3. hisce verbis: *nobis Romulus, ut libitum, imperitavit; dein Numa religionibus, et divino jure populum devinxit*.

§. 6. Nihilominus qui rem Romanam diligentius investigasse arbitrantur, in ea sunt sententia, quae Popularem seu Democraticum facit Politicum Romani Imperii Statum, talemque fuisse ab initio a Romulo constitutum censent, temperie scilicet quadam inter Plebejos, et Nobiles stabilita; licet non inficias eant, Romulum, et Successores usque ad creatos Consules Regum titulo fuisse decoratos: adduntque, non satis adhuc liquere, quid statuendum in hac caussa, et de ea judicium esse ampliandum, quantumvis non pauci putent, eandem jam decisam atque finitam. Nec opinio ista pro Statu Populari seu Democratico, quae paradoxi nonnihil habere forsitan videbitur, solidis fundamentis est destituta, quae exponere non piget, ut Lector possit de re tota, auditis partibus, judicare: quisquis enim una tantum parte audita judicat, licet aequum statuat, ut ait Seneca, non aequus est Judex.

§. 7. Et primum quidem, qui pro Romanorum Democratico

tico primo Statu opinantur, haud diffitentur, Romulum, ac 6 Reges, qui Romulo successerunt usque ad Consulum creationem, et Reges dictos, et regalibus insignibus, et apparatu regali ornatos fuisse. Verum contendunt, tunc temporis Regis nomen Monarchicum Principatum neutiquam indicasse, sed summum praecellentis in Civitate, et Republica apicem dignitatis. Id firmare se posse putant variis exemplis, tum antiquis, tum etiam recentibus, quibus palam fit, Populos liberos, seu quorum Status vel Aristocraticus, vel Democraticus, vel mistus apud omnes habetur, non recusasse Regis nomen, et regalem apparatum eis tribuere, qui primatu potiebantur in Concilio publico, quique bellicis praeerant, et in exercitu, cum instabat bellum, dominabantur, quin tamen eos sinerent de rebus publicis in civitate pro arbitrio decernere, easque administrare. Nunc, inquiunt, in Europa plures Reges sunt, quam Monarchae: pluraque Regna vulgo recensentur, quae Monarchiae non sunt, seu quorum Status Politicus a Rege non pendet, sed vel ab Optimatibus, seu Regni Proceribus, vel a Plebe, vel ab utrisque attemperatis, ac proinde Monarchicus dici non debet, quamvis sub Rege esse dicatur.

§. 8. Haec autem Regiminis forma, de qua Aristoteles in *Politicorum* libris agit, sumpta videtur a Graeciae antiquae Urbibus, quorum Status Politicus liber proculdubio fuit. Ille enim, qui bellicis praeerat, *Rex*, seu vocabulo idem significante appellabatur: regali apparatu procedebat in publicum, quin tamen res civiles administraret. Publicis quidem Conciliis, cum non urgebat bellum, et in Urbe residebat, praefuisse crediderim cum jure referendi, seu de politicis, et bellicis negotiis populum aut Senatores consulendi: quod Romae Consulibus post Reges ejectos, tanquam Primoribus, seu Principibus in Senatu concedebatur, quin tunc vigeret Monarchica Dominatio.

§. 9. Qui in Graecorum Historia peregrinus non fuerit, recensitos in ea inveniet multos, et quidem insignes inter Athenienses, Spartiatas, et Thebanos Reges. Iis autem sola armorum cura, et res bellicas ordinandi, ac Exercitum moderandi, cum bella gerebantur, auctoritas, et potestas erat commissa, quin civilia sibi arrogarent. Ne vero hanc Reipub. partem attingere ambirent, *Ephori* apud Spartiatas erant summi civiles Magistratus, ac Athenis Archontes, qui, ut Romae Tribuni plebis, populi libertatem tuebantur contra Regum, vel Polemarchorum ambitiosos conatus: quod proculdubio servabant etiam Thebani, et Dorienses, ne Duces,

et

et Principes armati pro Repub. aliquod afferrent libertati detrimentum, ac tyrannidem in suos, quod nonnunquam Athenis accidit, sibi assererent, aut pertentarent. Idem in Carthaginensium Repub. factitatum novimus, in qua Politici Magistratus *Suffetes* dicti, ad annum electi, ut Romae Consules, res domesticas, et civiles procurabant, cum belli Duces Imperium in Hispania, et Italia, aut tueri, aut protendere contra Romanos, ac hostes alios armato milite studebant.

§. 10. Romulus autem (ut ad eum redeamus) teste Halicarnassensi Dionysio, Romanum Regimen instituit ad normam Graecarum Rerumpublicarum, quarum instituta non ignorabat, et in quibus vigebat vel Democraticus, vel Aristocraticus, aut ex utroque mistus Principatus. Res vero in Urbe sua ita temperavit, ut Summates publica obirent munia; ita tamen, ut Plebs, ab ipso in Curias, Tribus, et Centurias divisa, Magistratus designaret, et leges ferret a Magistratibus rogata: qua temperie Plebejorum consuluit libertati. Haec libertas Plebi concessa, et a Legislatore, et Conditore Urbis prudentissimo stabilita, ex vicinis civitatibus, et pagis complures ad incolendam novam Urbem attraxit: quo brevi Roma et civium multitudine, et viribus aucta est: quod Romulus maxime optabat. Verisimile autem non est, vicinos incolas patriam suam reliquisse, ut Urbem incolerent, in qua populus liber non esset, seu in qua esset sub unius potestate; cum tunc temporis in Italiae vicinis populis non Monarchica, sed Popularis, vel multorum esset dominatio, sub qua difficilius est excidere ab stabili libertate. Nemo enim libenter cum servitute commutasset eam, qua gaudebat, immunitatem.

§. 11. Illud in Romulo prudentioribus displicuit, quod, ut Coloniam suam novis incolis augeret, *Asylum* constituerit in sacro luco, quod *Quercetum* appellabatur inter Capitolium, et Palatium. Hoc namque *Asylum*, quod securitatem omnibus flagitiosis dabat, proximarum Urbium faecem, seu homines nequam, et supplicio dignos Romam adduxit, qui Romam suis vitiis, et generis ignobilitate inquinarunt, eamque bene institutis, et nequitiae osoribus civibus aliarum Urbium, parum commendabilem reddiderunt: adeout nemo vellet ex vicinis gentibus bene morigeratis sanguinem, et genus cum Romanis miscere: quod in caussa fuit, ut Sabinorum filias virgines fraude, et vi raptas in Ludis publicis, ad hunc finem institutis, uxores suas facerent, ac negata illis antea connubia, ut prolem relinquerent, celebrarent.

§. 12. Verum, quae magis ostendunt, primum Politicum Romanorum Statum non Monarchicum, sed Democraticum fuisse, ea sunt, quae Romulus fundata Urbe disposuit tanquam caput Senatus, ac prudentissimus Legislator. Ipse enim contentus belli tempore exercitui imperare, et belli pericula pro salute omnium subire, Regis nomen, ac Regis insignia assumere noluit, donec consensu, ac suffragiis Populi, regalis titulus, et regalia insignia ei tribuerentur: quibus impetratis, non distulit Regis insignia ab Etruscis mutuata suscipere, hastam puta pro sceptro, lictores 12, (a) Velites, seu corporis custodes, et trabeam, quae Regum propria vestis erat, quaque ab aliis distinctus Populi obsequia, et venerationem, adscita majestate, sibi conciliaret.

§. 13. Qui pro Monarchico Romanorum Statu, seu Regimine opinantur, magnum momentum ad firmandam opinionem suam se habere putant, quod Romulus, et in regno Successores, leges tulerint, quibus Populus tenebatur, citantque Romanos Historicos, et Annalium Scriptores, qui leges a Romulo, et Regibus consecutis latas tradunt; adeout legum Regiarum (quarum nonnullae in 12. Tabulas insertae fuerunt) concinnatus Codex fuerit a Sexto Papirio Jurisconsulto sub Tarquinio Superbo, qui *Codex Papirianus* appellatur. Nec silent, quae jam superius dixi, Sabinos a Romulo in Urbem admissos, ascitumque in regni socium eorum ducem Tatium: quae dubitare non sinunt, Romulum, et consecutos Reges rem Romanam pro arbitratu administrasse.

§. 14. At nec Tatius assumptus est in regiminis cum Romulo partem, nec Sabinis intra Urbis moenia domicilium concessum, nec leges a Romulo, et Successoribus latae, nisi de Senatus Consilio, et consentiente atque adprobante Populo, eoque antea rogato, ut leges illas ratas haberet, quemadmodum postea factum sub Consulibus, cum Populus integra, et minime dubia fruebatur libertate. His addo, neque Romulum, neque Reges alios Romulo posteriores, neque Senatum Magistratus creasse, aut Sacerdotia pro arbitratu contulisse, sed in Comitiis, Populi suffragiis omnia munia publica, et honorifica Patriciis benemeritis attributa, prout Romulus constituerat, ut concordiam inter Nobiles, et Plebejos stabiliret. Nobiles nempe publica obibant munia ex Populi consensu, et Plebeii in agris excolendis, in militaribus exer-

(a) Vide dicta in Annotatione *ad* §. 3. de Regum insignibus, et Regali apparatu.

exercitiis, in mercatura, et artefactis utilibus, ac necessariis, privatisque domesticis curis tempus conterebant, otiumque devitabant: hocque pax, et tranquillitas in nova Urbe regnabat, quin Potentiores tenuiores incolas vexarent, aut Plebeii muniis publicis obeundis se ingererent: quae demonstrant, quanta cum prudentia, et moderatione Statum Urbis a se Conditae Romulus temperarit, quantumque in Politicis emineret: quantumvis nonnulli eum numerent inter opicos, et rerum imperitos.

§. 15. Etenim statim atque Potentiores, et Summates Romuli institutorum obliti, Plebem, seu minutum vexare Populum aggressi sunt, tum discordia, et turbae inter cives exortae Civitatem, et Statum optime constitutum, et temperatum labefactarunt non sine vicinorum gaudio, qui novae urbis potentiam, et incrementa invisa habebant, et formidabant. Plebeii namque excitati, ut arbitror, a Tribunis plebis Senatui semper infestis, Patriciorum auctoritatem ob publica, quae obibant munia, suspectam arbitrantes, et aequo animo non ferentes, Senatorum item arrogantiam animadvertentes, veriti, ne eorum libertati insidiarentur, et Aristocratiam in Democratiae locum inducerent; consortes Patriciorum in Sacerdotiis, Magistratibus, et Connubiis esse voluerunt, et tandem, invitis Patribus, impetrarunt. Illis enim, secessione facta, militiam detrectantibus, et tributa solvere renuentibus, nisi postulata eis concederentur; quantumvis indigna postulata ea Patricii reputarent, et valde difficiles in concedendis, quae Plebs optabat, se praeberent, videntes se auctoritate quidem praestantiores, sed viribus impares ad multitudini resistendum; ab hac superati, Plebejorum clamoribus, et minis cedere decreverunt. Nec vero aliud Populum ex Patriciis, et Plebeiis constantem moverat ad Reges expellendos, nisi quia hi multis victoriis elati, et militum, quos sibi obstrictos, et obnoxios devictorum hostium spoliis fecerant, viribus confisi, militari imperio non contenti in tyrannidem vergere, et popularem ingenitam libertatem deprimere tentarent, omnia pro arbitratu etiam in civilibus disponere ambitiose cupientes.

§. 16. Haec libertas Romani Populi, qua Romulus Urbem suam munivit, quaeque fundamentum fuit Imperii longe lateque Romanorum armis, et prudentia per orbem diffusi, adeo chara Romanis fuit, ut, ea vel adempta, vel oppressa post Julium Caesarem, Imperatores, qui post eum Imperii gubernacula susceperunt, ausi non fuerint, nec Domi-

ni, nec Regis, nec Dictatoris nimis ambitiosa, et superba nomina assumere, formamque antiquam Reipublicae, et simulacrum quoddam libertatis eis relinquere studuerint, ut hac falsae libertatis imagine contenti, nihil moverent, dum ipsi pro libito omnia moderabantur. Affectabant quippe, ut Populo imponerent, homines politicarum artium non ignari, se omnia, quae gererent, Populi consensu, atque arbitrio gerere, transmissa in eos Populi auctoritate. Et quamvis Imperatoriae majestati, quae militaris erat, Consularem, Proconsularem, Tribunitiam, Censoriam, et Pontificiam in sacra potestatem adjunxissent, omnia haec Senatus, Populique beneficio se obtinere gloriabantur: quod ex Lege vulgo dicta *Regia*, cujus tenor in *Fastis Capitolinis* legitur, et sub Vespasiano repetita traditur, satis apparet.

§. 17. Ac revera Nobiles, et Plebeii bellis Civilibus fessi, ac Caesareae factionis post devictum Pompejum armis territi, visi sunt sponte sua omnia arbitrio victoris reliquisse, et antiqua sua jura in eum transmisisse, quin animum intenderent ad recuperandam pristinam libertatem. Ut vero Plebem delinirent, ac jugum ei impositum levius, suaviusque redderent Imperatores, imagine simulatae libertatis Populo relicta, multis largitionibus, et variis spectaculis, ad quae furore quodam, ut ait Plinius, Romani ferebantur, Populum oblectabant: hocque astu impetrarunt, ut otio, et deliciis indulgens feroces animos deponeret, ac hisce veluti praestigiis attonitus, et excaecatus praesentia, et impendentia mala non cerneret, nec praevideret, immemorque fieret deperditae, et amissae pristinae libertatis.

§. 18. In Senatu, ut ostenderent Imperatores, se non flocci facere Senatorum judicia, ac ne viderentur incassum eos convocasse, consilium in rebus gerendis, et occurrentibus negotiis a Senatoribus exquirebant, ac facile, aequoque animo patiebantur in rebus levioris momenti, et de quibus parum erant solliciti, sibi contradici, ut cum Tiberius de Christo inter Divos referendo ad Senatum retulit: quod Senatores non probarunt. Verum siquis in Senatu esset, qui sententiam suam contra seriam Imperatoris voluntatem jam indicatam nimis libere more antiquo diceret, non deerant adulatores, qui eum multis, aut tanquam imperitum, aut nimis audacem, ac importunum refellerent, et saepe variis quaesitis praetextibus jussu Imperatoris, vel exsilio, vel capitis sententia, reus Majestatis peractus, tandem multabatur, ut metus Senatoribus aliis impatientibus indigni servitii nuper

per

per inducti, aliorum exitu incuteretur, et in omnibus illi Imperatoris nutui obsequerentur.

§. 19. Tunc scilicet Status Politicus Romani Imperii Monarchicus evasit, cum omnia tum Militaria, tum Civilia in unius arbitrium reciderunt, umbra solum Democratici remanente in Senatu, et Magistratuum antiquorum nominibus, in Comitiis etiam, quae nonnunquam cogebantur, ut quae placerent Imperatoribus, Tribus, et Centuriae deliberarent, emissariis exponentibus seriam, indubiamque Imperantis voluntatem: quae omnia fiebant ad solatium Romanorum, quibus servitus extremum malorum videbatur. Haec autem Regiminis commutatio non Romanorum desidia, aut neglectu Democratici Status accidit, sed nimio studio conservandae, ac in immensum augendae libertatis, quam patrimonium ipsis relictum a Majoribus existimabant.

§. 20. Etenim Plebs ambitiosis studiis divisa in potestatem recidit Potentiorum, qui factionibus, et multitudinis cupiditatibus astu, audaciaque sua velificabantur, ut ad absolutam dominationem, ad quam velis remisque contendebant, tandem Plebe parum cauta nihil tale cogitante, pervenirent. Factiones namque singulae suos duces ex Primoribus Urbis sibi constituentes, ac eorum consiliis, et nutibus obsequentes in certamen venerunt non sine multo sanguine civilibus in bellis sparso, quem pro Patriae salute, et libertate profundere solebant. Victrix autem factio, una cum contrariae factionis partibus jam profligatis, illius se permisit potestati, cujus ductu, et consilio vicerat, ac cujus imperio olim obtemperarat. Is vero fraude Plebem, ut sibi pareret inductam, et ejusdem imperiis diu assuetam militari metu in eadem servitute continuit, effecitque, ne ad pristinum statum adspiraret.

§. 21. Idem nempe Plebi Romanae accidit, quod in Apologo quodam de Equo cum Cervo pugnante Aesopus narrat. Equus nempe pugnaturus auxilium ab homine petiit sibi ferri, quod cum homo super Equum insidens, fraeno eum gubernans, praestitisset, sub hominis imperio mansit, amissa pristina libertate. Etenim Plebs studio ducta opprimendae factionis contrariae, ab eo oppressam se sensit, per quem, seu cujus auxilio adversas partes opprimere, et superare nitebatur, quin illi reliquum esset ex Statu Democratico praeter falsam quamdam imaginem expressam in exteriori Senatus pompa, ac in priscis, et splendidis nominibus Magistratuum. Non enim ignorabant Imperantes, ferocem Po-

pulum non facile obliturum jura libertatis, in qua altus erat, et innutritus, nolebantque in offensionem multitudinis incurrere ei penitus auferendo opinionem licet falsam antiquae libertatis: et hanc ob rem noluerunt abolita Magistratuum vocabula, licet Magistratuum omnium munia praecipua ex Populi consensu, et legitimis suffragiis sibi arrogarent, ut omnia ex Populi voluntate se agere in Reip. administratione viderentur.

§. 22. Quin etiam Populi libertatem in ore semper habentes, ambitionem, et despoticam dominationem suam tegere conabantur. Qua in re Tiberius astutissimus Imperator eminebat, si Cornelio Tacito fidem habemus. Cum enim nonnulli de ejus administratione male sentirent, et libere de ea loquerentur, maledicta dissimulabat: cumque obtrectatores ei ab Assentatoribus deferrentur, et rei majestatis agerentur; delationes contemnebat, dicere solitus, oportere in libero Populo, etiam linguas liberas esse, nec ora civium esse occludenda: quod Tyranni in Sicilia facere solebant. Interea ipsi praeter Patris patriae titulum, quem libenter assumebant, ut Populi benevolentiam captarent, et paternam suam curam in Subditos ostentarent, Tribunitia potestate muniti Plebis se tutores profitebantur contra Patriciorum, et Potentiorum injurias, ac sacrosancti, atque inviolabiles evadebant. Censoria potestate morum pravorum emendatores: Pontificatus Max. munere Sacrorum Custodes, et rituum Praefecti audiebant: Consulari item, ac Proconsulari dignitate Senatui, Urbi, et Provinciis praeerant, et de negotiis publicis referebant Senatores consulendo, qui animum, et vota Imperatoris non ignorantes, secundum ejus voluntatem omnia decernebant. Id ipsum in Provinciis Praesides ad eas missi, vel inviti praestabant, quin vel latum quidem, ut ajunt, unguem ab imperantis jussu discedere auderent, ne a Provinciae regimine amoverentur, ac Romam acciti, Rei male administratae Provinciae ab aemulis agerentur, et poenas saepe immeritas subirent. Imperatoris demum titulo, et militiae imperabant, et conscriptum exercitum contra hostes Imperii quo opus erat ducebant. Nihilominus novus Imperator non semel ab Exercitu in castris procul ab Urbe proclamatus, Senatus adprobationem postulabat, quin se legitimum Imperatorem reputaret, licet a militibus electus, donec Senatus, et Populus electionem militum adprobarent, ratamque haberent.

§. 23. Quod si unus aliquis ex Imperatoribus tyrannice se ge-

gereret, vel aperte nimis *Despotismum* exerceret, et crudelitate, rapacitate, et vitiis aliis in odium Senatus, ac in Populi offensionem incurreret, male Rempublicam administrando; vel a privato aliquo, vel a conjuratis, vel jussu Senatus, ut Patriae hostis occidebatur, vel eo rejecto alius in ejus locum eligebatur, et ejus Decreta, et Acta rescindebantur. Nec desunt in Romana Historia exempla, quibus ostenditur, Senatus-Consulto, nonnullos Imperatores hostes patriae judicatos, qui vel se interemerunt, ut acerbae, et ignominiosae mortis sententiam devitarent, vel Senatus jussu in Gemonias tracti, vel missis percussoribus poenas Reipub. dederunt: quo indicabant Senatus, et Populus, se non amisisse penitus primigeniam auctoritatem, et libertatem, licet ea consopita ad tempus fuisset, ad majora mala devitanda, quae olim experti fuerant ob nimium studium libertatis. Illud vero notatu dignum, inter conjuratos in vitam crudelium Imperatorum, qui Christianos variis tormentis, et vexationibus insectabantur, et cruciabant, inventum non fuisse Christianae religionis professorem. Noverant quippe Apostolorum doctrina, et praeceptis instituti, obtemperandum esse etiam discolis Dominis, et nequam Imperatoribus.

§. 24. Haec habui, quae dicerem in proposita Quaestione de primordiali Statu Politico Romanorum. Tuum erit, Lector, vel pro Monarchico, vel pro Democratico judicare. Mihi satis fuerit Dubium istud Politicum exposuisse, et momenta pro utroque Regimine adduxisse: cum ad Theologum non spectet de rebus politicis controversis decidere, sed sententiam in Jure Romano, et Historia eruditorum exspectare. Illud miror, nonnullos Criticos nimis confidenter dubia ista, litesque decidere, de quibus oportet aliorum judicium exquirere, et rationes diligentius examinare: saepe enim de rebus ab aevo nostro remotis, atque obscuris, post longum, et accuratum examen parum liquet, deque illis est ampliandum judicium, ne praepostera, ac parum aequa sententia de illis proferatur.

Q. MODERATI CENSORINI
ADNOTATIONES
Respondentes §§, seu Numeris hujus Dissertationis.

Adnotatio 1. respondens §. seu Num. 1.

Licet nonnemo ex antiquis Romanis Scriptoribus tradiderit, Romam 800. *ante Romulum annis fundatam fuisse, communissima Romanorum persuasione pro certo habetur, a Romulo, et Remo fratribus fuisse fundatam, et occiso Remo, Romulum regem electum Statum, seu Regimen Urbis instituisse, et Rempub. ordinasse. De anno fundatae Urbis, et de annis, quibus regnavit Romulus, deque Regibus successoribus usque ad Consulum electionem, vide in Auctoris* Specimine Veteris Romanae Litteraturae deperditae, vel latentis cet. *in Littera* R, *verbis* Romani : Romulus.

Adnotatio 2. respondens Num. seu §. 3.

Multi Historici tradunt, Romulum regem electum solum hastam pro sceptro, et Celeres, seu corporis custodes in signum supremi Imperii habuisse, et magnifica Regalis Majestatis insignia, lictores 12, sellam curulem, trabeam cet. solum post devictos a Tarquinio Prisco 12 Etruscorum populos a Regibus Romanis fuisse usurpata ad sibi conciliandam majorem populi venerationem.

Adnotatio 3. respondens §. seu Num. 15.

Ex discordia inter Nobiles, et Plebejos, et ex ambitione dominandi orta fuerunt intestina, seu Civilia bella gravissima, et crudelissima inter Potentiores, quorum alii Plebi, alii Senatoribus, et Nobilitati favebant. Praecipua fuerunt furialia bella, ut ait ille, inter Marium, et Syllam, et non multo post inter Caesarem, et Pompejum. His bellis multa centena millia civium Romanorum, et Municipum perierunt, et Populi libertas, vel depressa, vel extincta fuit.

Adnotatio 4. respondens eidem §. seu Num. 15.

Tribuni plebis erant Custodes Democratici Regiminis in Repub. Poterant illi intercedere, seu nullius valoris reddere Senatus Decreta, quae ut valida essent, et Populum obligarent, adprobatione Tribunorum pl. indigebant. Tanti fiebat Plebis Tribunatus, ad quem adspirare non poterat nisi Plebejus, ut multi ex Patriciis fierent Plebeii, ut Tribuni plebis eligi possent, et ut affectum plebis sibi conciliarent. Saepe tamen specie, seu praetextu favendi Plebi, ambitioni suae velificabant, et multas turbas seditiosis suis Orationibus *in Repub. excitabant in suspicionem venientes affectatae Tyrannidis, quod ipsis non semel tragicum finem afferebat ut fratribus* C. *et Corn. Gracchis, de quibus in* Specimine.

Adnotatio 5. respondens §. seu Num. 16.

Quamvis Regis nomen exosum Romanis esset, mansit tamen post Consulum electionem Rex Sacrificiorum, *et ejus domus* Regia *appellabatur. Verum hic ad nullum Magistratum adspirare poterat, et ejus munus erat Sacra facere, quae olim Reges faciebant.*

Adnotatio 6. respondens §. seu Num. 22.

Sub Diocletiano, et Maximiano, ac sub consecutis Imperatoribus, Senatus auctoritas adeo depressa fuit, ut nulla ejus ratio haberetur in creandis Caesaribus, et proclamandis Imperatoribus.

Adnotatio 7. respondens §. seu Num. 24.

Non pauci ex Romanis Imperatoribus, qui nimis graves erant Reip., vel quia libertatem civium nimium deprimebant, vel quia male Remp. administrabant, vel quia crudeliter, et tyrannice se gerebant, tandem conspiratione nonnullorum, vel Senatus decreto interfecti fuerunt. Inter quos recensentur C. J. *Caesar,* C. *Caligula, Nero, Galba, Domitianus, Elagabalus. Nero, hostis patriae judicatus, se occidit, ne vel ad* Gemonias *traheretur, vel diro supplicio coram populo afficeretur. Vide Suet. in* Caesaribus.

DIS-

DISSERTATIO II.

HISTORICO-CRITICA, ET THEOLOGICA

De Duplici Constantini Magni Baptismate, Romano uno, Nicomediensi altero.

§. I. CUM de rebus ad Constantini Magni Baptisma spectantibus, deque ipso Baptismate agere instituo, aleae plenum opus aggredior, a multis agitatum, sed adhuc valde obscurum, et Criticorum dissidiis impeditum. Argumentum istud nihilominus explanare, et illustrare pro captu meo hac Dissertatione conabor. Faxit Deus, ne conatus meos irritos reddant praejudicatae opiniones, quas inter se pugnantes conciliare discupio, quantumvis nonnulla, quae in hanc caussam afferam, paradoxa sint a nonnullis judicanda: ab illis praesertim, qui litem de Constantini M. Baptismate decisam contra Baronium, et ejus partes arbitrantur. Judicium istorum aequo animo feram, modo viris eruditis, quae dixero, probabilia a me reddita videantur. Multa quippe sunt, quae et parum verisimilia, et falsa etiam olim videbantur, quae acriori adhibito examine, et verisimillima, et verissima nunc habentur etiam ab iis, qui valde pertinaces fuerunt in eisdem falsissimis reputandis. Sed ad rem propositam veniamus.

§. 2. Constans fuerat usque ad posteriora haec secula in Romana Ecclesia, et in toto Occidente satis communis virorum eruditorum persuasio, M. Constantinum Romae baptizatum, ac, sacro lavacro a S. Silvestro ministrato, a lepra fuisse divinitus mundatum. Haec testantur lectiones Romani Breviarii in Festo S. Silvestri, erutae ex *S. Silvestri Actis*, a S. Gelasio Papa adprobatis in Concilio 70 Episcoporum: ex Concilio item Romano, vel ante, vel non multo post Nicaenum coacto, cui, S. Damaso teste, sub ipso S. Silvestro 270 Patres interfuerunt. In his enim et Constantini Baptisma a S. Silvestro collatum legitur, et a lepra fuisse mundatum Constantinum affirmatur, quae etiam in *Liberii Papae Actis*, et in postrema Nicaena Synodo narrantur.

In

In hac opinione fuerunt S. Gregorius Turonensis : in hac Venantius Fortunatus: in hac Anastasius Bibliothecarius, et multi alii ex latinis: ex Graecis autem et S. Theophanes Graphus, et Nicephorus, et Cedrenus, et Glycas, et Zonaras, et Dalmatianus, qui Acta Nicaenae primae Synodi collegit, et *Orationem* Constantini retulit, in qua Constantinus se profitetur baptizatum cum ad Patres Nicaenos orabat. In hac demum opinione fuerunt Syri, et Armeni, quorum Historici antiqui Romanum Constantini Baptismum testantur, et ejus a lepra per susceptum Baptisma miram curationem.

§. 3. In Oriente hanc Romanae Ecclesiae persuasionem dubiam reddidit Eusebius Caesareensis Praesul, sub cujus nomine edita fuit *Vita M. Constantini* libris 4. exarata. Auctor enim hujus Vitae *lib.* 4. morti proximum Constantinum in Villa Nicomediae vicina fuisse baptizatum satis obscure, ac valde ambiguis verbis a verbo *Baptismus* abstinens, et verbo *Lavacrum* utens rhetoricando magis, quam historice tradit, quin dicat se Baptismati interfuisse, nec a quo oculato teste fide digno id acceperit, nec a quonam ex Episcopis, qui Constantino graviter aegrotanti aderant, fuerit illi Baptisma administratum, nec demum quinam essent Episcopi, apud quos, et a quibus sacrae caeremoniae fuerint peractae. Illud autem in animo habuit Eusebius *Vitae Constantini* Auctor, cum haec narrabat, (quod indicat S. Hieronymus in Chronico) ut crederetur, Imperatorem fuisse ab Eusebio Nicomediensi Antistite, Arianorum Coryphaeo, baptizatum, licet id non asserat expresse Caesareensis in Arianismo socius, et intimus amicus Nicomediensis, quidquid non nemo scripserit, a Caesareensi nempe affirmari, dum Nicomediense Baptisma narrat.

§. 4. Eusebii testimonio fidem adhibuisse videntur nonnulli ex Occidente antiqui Scriptores, nimis benigne arbitrati (qua benignitate utuntur Critici nostri aevi non pauci) incredibile esse tam perfrictae frontis fuisse Nicomediensem Eusebium, qui id per Epistolam Caesareensi renunciasset, si verum non fuisset, ac tam imprudentem Caesareensem, qui narraret, quod non haberet exploratum. Qui parum fidunt Eusebiorum testimonio, et in hoc facto fidem non mereri existimant (quos inter etiam Graeci non pauci antea citati numerantur) dicunt, utrumque Eusebium Arianismi labe infectum (licet uterque sub Constantino errorem suum occuleret) in his, quae vel directe, vel indirecte Arianae Sectae

pro-

promovendae inservire poterant, praesertim Constantino M. fatis functo, neutiquam audiendos, sed mendacissimos aestimandos, quod Photius non dissimulat de Caesareensi agens. Suspecti itaque sunt ambo in ea de Baptismate Nicomediensi narratione, qua indicare voluerunt, Constantinum morti proximum ad partes Arianorum accessise, ac Baptisma ab Ariano, et sub Ariana formula accepisse: maxime cum *Constantini Vita* scripta, et edita fuerit sub Constantio Imperatore Constantini M. filio, qui ab Eusebiis per Acacium Luscum Eusebii Caesareensis discipulum, et Eunuchos deceptus, Ariana haeresi infectus erat.

§. 5. In hanc ego de Eusebiis pertinacissimis, etiam post Nicaenam Synodum, Arianae impietatis assertoribus opinionem., Baronio assentiens, propendeo, quantumvis nonnulli Critici post Papebrochium nimis confidenter affirment, litem istam contra Card. Baronium, et contra Historicos, pro Romano Baptismate pugnantes, decisam esse, ac Eusebii, insignis Historici, in aliis narrandis satis accurati, et veridici Scriptoris, et rerum Constantini testis narrationi fidem derogari non debere. Quidquid isti dicant, ego cum M. Baronio, cum Cardinali Polo, cum Melchiore Cano (qui mihi unus pro multis Criticis est, quique hac in re mendacem Eusebium putat) et cum innumeris aliis Graecis, et Latinis satis mirari non possum, Viros Catholicos tam benignos sese cum Eusebiis praestare, ut putent, hoc in negotio, quod Arianismo favere non parum poterat, a mendaciis eos abstinuisse; cum constet, in iis, quae Nicaenam fidem infirmare poterant, et auctoritatem conciliare sectae suae, (quam metu Constantini in Nicaena Synodo non corde, et mente ejuraverant) nihil intentatum etiam calumniis, et mendaciis impudentissimis adhibitis eos reliquisse, ut mittam, a Gelasio Papa *Historiam Vitae Constantini* rejectam multos putare, licet ejus *Historiam Ecclesiasticam*, et *Chronicon* non omnino improbarit: quorum tamen nonnulla caute legenda sunt ob defensum Originem, et alia quaedam in illis tradita parum probata: ut mittam etiam, a nonnullis credi, eam Historiam de Vita Constantini, non ab Eusebio, sed ab Acacio impudentissimo Ariano, et Arianorum post Eusebios coryphaeo editam fuisse.

§. 6. Et vero, quot mendacia, quot calumnias in vulgus non sparserunt contra S. Athanasium, quem praecipuum Nicaenae fidei propugnatorem, et Arianae sectae eversorem arbitrabantur, ut etiam contra S. Eustathium, et alios Episco-

pos

pos catholicos, qui Arianos oppugnabant, et ab eorum impiis dogmatibus abhorrebant? Mitto tumultus sub Constantio eorum fautore in variis Synodis, et urbibus ab eis excitatos, ut cogerent Catholicos Episcopos ad Arianae formulae fidei, vel aperte haereticae, vel ambiguae subscribendum, quo suam sectam firmarent, et promoverent. Mitto foedus cum Meletianis, et Donatistis ictum, ut majori conatu catholicam de Verbi divinitate doctrinam oppugnarent, et Synodi Nicaenae definitionibus contradicerent. Et mirabimur, eos in narrando Constantini Baptismate fuisse mentitos, licet mendacii possent convinci, modo suae sectae auctoritatem ex eo Baptismate conciliarent? Mihi mirum est, quod mentiti non fuerint impudentius, et quod aperte non dixerint, Constantinum in Arianismo vitam finivisse, seu a Nicaena fide recessisse. Sed forsitan nondum Constantius eorum dogma amplexus fuerat, et idcirco ab aperto hoc mendacio sibi temperarunt. Vide Canum *lib.* 11. *c.* 5. *et* 6. in *Locis Theologicis*.

§. 7. Quicumque *Historiam Ecclesiasticam*, et *Vitam Constantini* attente legerit, illico agnoscet pravum Auctoris animum, et malam fidem, ut etiam studium celandi, quae Romae in favorem Romanae Ecclesiae munificus Imperator egit, et quae in Nicaena Synodo pro catholica doctrina contra haeresim, et blasphemias Arianorum cum Constantini plausu fuerunt a Patribus definita. Si amotis dolo, et fraude scripsisset Eusebius *Vitam Constantini*; narrasset proculdubio notabiliora, et graviora, quae coram ipso, et coram Constantino in dicta Synodo gesta fuerunt. Talia sunt Nicaenae Synodi decreta, et definitiones, ac unanimis consensus Patrum 300. in damnandis Ario, et asseclis, asserendaque Verbi seu Filii divini vera filiatione, et *consubstantiali* divinitate. Nihil omisisset ex iis, quae decrevit Constantinus contra nonnullos refractarios, in quorum numero ambo Eusebii fuerunt, qui poena a Constantino sancita territi, aegerrime sacrae illi Synodo subscripserunt. Narrasset quin etiam, non sine laude Constantini, ejus jussu combusta fuisse cum Porphyrii Operibus Arii Scripta, et Arianos, quos Constantinus *Porphyrianos* appellabat, qui subscribere definitis in Concilio recusarunt, missos in exsilium, ne simplicium mentes suis erroribus inficerent. Verum de his ne verbum quidem in *Vita Constantini*, et in ea parcissime de Nicaena Synodo loquitur, in qua aliquot supra 200. Patres sedisse narrat; cum constet, supra 300. eidem interfuis-

fuis-

fuisse. Decretum de Paschate celebrando in Ecclesiis omnibus eodem die praeter morem Hebraeorum, quia hoc nihil nocebat caussae Arianorum, fuse exponit: caetera callide praetermisit: forsitan eo fine, ut posteritas inde argumentum *negativum*, ut ajunt, haberet, cui posset inniti ad inficiandum, vel dubitandum de iis, quae contra Arianos fuerunt in Synodo illa definita. Veritas autem, ut adnotat Ammianus Marcellinus, ab Historico corrumpitur tum mendacio, tum silentio, et ex dictis patet, silentio affectato corruptam ab Eusebio veritatem. Corruptam item mendaciis, postea videbitur. Sed juvat hic adnotare, ne quis legendo latinum Eusebii *Chronicon*, vel latinam illius versionem in errorem inducatur, nonnulla, quae in *Chronico* Eusebii leguntur de Actis in Nicaena Synodo, quae Catholicis favent, et revera contigerunt, a S. Hieronymo, vel ab alio viro catholico addita fuisse: ea nempe, quae Eusebius callide praetermisit: nonnulla etiam, vivente Constantino, tradidit, egitque, ut se catholicum simularet, et ne gratiam Constantini amitteret.

§. 8. Ast quae mihi omnino suspectam reddunt Eusebii narrationem de Nicomediensi Baptismate Constantini, quaeque suspectam eam reddere poterant SS. Hieronymo, et Ambrosio, qui videntur Eusebio credidisse, illa sunt, quod nec nominat Episcopos, qui manus supra aegrotantem Constantinum imposuerunt, nec eum, qui ei Baptismum administravit: nec an in templo, an in palatio, an stans, an in lecto aeger decumbens sacro fuerit lavacro initiatus? an item publice, anve privatim? quae, ut puto, consulto omisit, ne possent mendacii convinci tum Nicomediensis Eusebius, qui vel per Presbyterum Arianum testamenti Constantini ad Constantium latorem, vel per Epistolam Caesareensi Baptismum nunciavit, tum ipse Eusebius Caesareensis, qui Baptismi illius notitiam tradidit posteritati, de vita, et obitu Constantini scribens. Si enim nominasset Episcopos, vel laicos praesentes, facile potuissent mendacii convinci, Episcopos, et laicos interrogando, vel ostenso, Episcopos illos aegrotanti Constantino non adfuisse. Nec silentio praetermittendum, Eusebium sibi aperte contradicere, et mendacem facere Constantinum in illius facti narratione, cum inducit Constantinum dicentem, vel indicantem, se ante susceptum Nicomediae Baptismum cum fidelibus in Ecclesia non orasse, et fidelium orationum, ac sacrorum mysteriorum neutiquam participem fuisse, quamvis antea *cap.* 22. *lib.* 4. *Vitae Constantini* scripserit: *Ipse vero, utpote sacrorum mysteriorum parti-*

ti-

ticeps etc. ac paullo post in eodem *Capite: In ipsis autem salutiferae festivitatis diebus* (loquitur de Paschali festo) *disciplinae, atque exercitationum vigorem intendens, cunctis corporis, et animi viribus collectis, Pontificis, atque Hierophantae munere fungebatur. Et ipse quidem caeteris praeibat ad festi celebrationem.* In altera ex versionibus latinis Eusebii legitur *cum caeteris pernoctavit. Capite* autem praecedenti scripserat: *Ille in palatio quandam veluti Ecclesiam constituit. Ac diligentia quidem, et alacritate praeibat cunctis, qui in eandem Ecclesiam erant adscripti. Postea solemnes preces cum universo Aulicorum coetu recitabat*. Item in Concilio Nicaeno hymnum gratiarum actionis recitatum a Patribus praesente, et comprecante Constantino. Ita Eusebius *Vitae Constantini lib. 3. c.* 11. Vide *Serm. Prosphoneticum* Constantini apud Gelasium Cyzicenum, ubi ipse Constantinus id testatur.

§. 9. Idem Eusebius narrat, ante susceptum Baptisma Helenopoli permansisse dies aliquot, et in martyrio, seu templo supplices preces ac vota Deo obtulisse, et peccata sua illic humiliter confessum fuisse. Caecum vero esse oportet qui non videat, haec omnia conferens cum iis, quae narrat, ut dicta, cum ante, tum post susceptum Baptisma a Constantino, Eusebium sibimet contradicere, et mendacii reum Constantinum egisse. Neque solum in his secum pugnantem animadverto Eusebium. In *Vita Constantini* affirmat, primum omnium Imperatorum, qui Christianam Religionem amplexus fuerit, et Baptismo initiatus, Constantinum fuisse, et *lib. 6. Historiae Ecclesiasticae cap.* 34. tradiderat, Philippum Arabem Rom. Imperatorem, qui multo ante Constantinum imperavit, Christianum fuisse, et ab Episcopo (Romano nempe, ut arbitror,) propter gravia patrata post Baptismum crimina, a mysteriorum participatione rejectum, ad Poenitentium classem redactum fuisse, et peccata sua humili confessione expiasse. Ex quo verissimum apparet vulgatum dictum: *Oportere mendacem memorem esse*. Sed haec parvi momenti, quibus mendacem Eusebium Caesareensem in hisce narrandis suspicemur, et ad majora veniamus, quae palam faciunt, haud immerito utrumque Eusebium in iis, quae suae Sectae favere possunt, mendacii accusari.

§. 10. Jam vero cum in memoriam revoco strophas, et atroces calumnias, quibus Arianorum isti Coryphaei apud Constantinum M. et postea apud Constantium filium, reum egerunt S. Athanasium, et quibus impetrarunt, ut vir iste

san-

sanctissimus exsilio multaretur, ac ab Alexandrina sede ejiceretur: quoties lego fabulas, probra, et maledicta, quibus aulico favore abutentes, primum contra S. Alexandrum, et postea contra S. Eustathium, acerrimos Arianorum hostes, sub Constantino, Constantioque invecti sunt, non possum non mirari eorum audaciam, et impudentiam. Quoties item turbas ab Eusebianis contra Nicaenae fidei propugnatores excitatas, et ferociam, qua multos ex Episcopis, errori adversantibus, vel exsilio, vel bonorum direptione, vel morte affecerunt: quoties, inquam, haec in *Ecclesiae Annalibus* non sine horrore lego praeter malas artes, quibus in Episcoporum Conventibus, ab Ariano Constantio, Arianorum Eusebiorum instigatione coactis, Catholicos Praesules ad Arianae formulae subscribendum vel coegerunt, vel ut id praestarent adnisi sunt; valde verisimile arbitror, in narrando Constantini Nicomediensi Baptismate Eusebios veridicos non fuisse. Multum quippe momenti caussae suae deploratae accessurum putabant, si semel Constantio, Constantini filio jam imperanti, et aliis suaderent, Constantinum M. in Arianorum fide obiisse, et a definitis in Nicaena Synodo in fine vitae recessisse, vel in Arianismum propendisse: quod facile erat suspicari, si, ut putavit S. Hieronymus, Eusebii testimonio innixus, *a Nicomediensi Eusebio* praecipuo Arii, et Sectae Arianae Patrono fuisset baptizatus.

§. 11. Quod dicebam de mendacissimo Eusebii Caesareensis ingenio, lectori verisimilius fiet, si noverit, eum in Diocletiani persecutione propter Christianam professionem vinctum, et in carcerem inclusum, incolumem e vinculis evasisse, vel dissimulato, vel negato christiano dogmate: quod in conciliabulo, cui Eusebius praeerat, ei objecit S. Potamon, Heraclaeae Episcopus una cum Eusebio in carcerem trusus, ex quo exiit uno orbatus propter Christum oculo, et tormentorum vi poplite succiso claudicans, quin Eusebium factum inficiari ausus sit. An credibile non est, eum, qui in re gravissima mentiri, vel verum celare non est veritus, nefas non putasse, in re levi factum comminisci? praesertim cum sua interesse agnoscebat, fucum lectori facere, ut falsis assentiretur, et Sectae suae fautor putaretur Constantinus, qui olim eidem infensissimus hostis erat.

§. 12. Sed video Lectorem exspectare, ut de calumniis, et mendaciis, quibus assuetus erat uterque Eusebius, quaeque a S. Athanasio, a Theodoreto, Sozomeno, Socrate, et Rufino vel indicantur, vel memorantur, nonnulla dicamus:

ex

ex quibus intelligi possit, quantum, et quale in illis fuerit veritatis studium, maxime in iis narrandis, quibus Arianorum Factio, et Caussa posset sublevari, et contra Catholicam Doctrinam Nicaenorum Patrum praevalere. Ac primus in scenam prodeat, qui Arianorum Princeps videri voluit, et habitus, est Nicomediensis Eusebius, de cujus nomine Arii sectatores fuerunt *Eusebiani* appellati.

§. 13. Ac praetermissis multis, quae contra S. Athanasium machinatus fuit, ut illi Constantini odium conflaret; insignis hic doli, et scelerum immanium artifex detineri occulte procuravit Episcopum Arsenium, atque accusatores, et testes subornavit, qui Athanasium apud Constantinum, et Episcopos Tyri coactos criminantes, affirmarent, ab Athanasio fuisse Arsenium trucidatum, et amputatam, ac retentam ejus manum, qua ad magicas artes uteretur, manumque occisi pro evidenti indicio, et probatione inducerent, quam congregatis in Synodo illa Patribus ostentarent. Comparuit reus Athanasius jussu Constantini, ab Eusebiis decepti, in Tyri conciliabulo, ut causam diceret. Atroci accusatione audita, respondit se sequenti die de se deque innocentia sua rationem redditurum. Forte ea nocte ex carcere, in quo detinebatur, (et in quo proculdubio strangulatus fuisset, ne mendacium iniquissimum contra Athanasium confictum pateret) aufugerat, et ad Athanasium diverterat Arsenius. Athanasius postera die ad Concilium se stitit una cum Arsenio, cujus pallium ex utroque latere removens, et ejus dexteram apprehendens: en, inquit, vobis dexteram Arsenii manum. Apprehendens postea sinistram: en, inquit, vobis sinistram: nunc accusatores interrogate, cujusnam sit manus amputata, quam ostendunt? Ego vero lectorem percontor, an verisimile non sit, Nicomediensem Eusebium, qui tam atrocem calumniam, ut Athanasio noceret, confinxit: an, inquam, minora commentum fuisse non sit verisimile, cum ad sodalem Caesareensem, et in Arianismo socium de Constantini Baptismate scripsit, ut eleganti suo stylo fabulam istam fictam adornaret, ac traderet posteritati?

§. 14. Nec Caesareensis Eusebius passus est in Arte sycophantias, et calumnias struendi a Symmista cognomine superari. Etenim in Synodo Antiochena, una cum Theognide, Nicaeae Praesule, et nequam aliis Episcopis, Ariano, et Meletiano dogmate infectis, in Eustathium doctissimum, et sanctissimum Antiochenum Patriarcham (quem, utpote acerrimum Catholicum, cane pejus oderant) foeminam impudi-

eàm subornarunt, quae in medio Patrum consessu reum ageret Eustathium, eo quod infantem, quem in ulnis ipse gestabat, ex se progenuisset, et educationis impensas facere recusaset. Alii sine probationibus eum accusarunt; quod de Imperatoris matre fuisset sinistre locutus. Verum foemina illa facti poenitens Praesulis innocentiam declaravit, et calumniam, ad quam mercede corrupta ab Eusebio, et aliis inducta fuerat, solemniter coram multis retractavit, ut Theodoretus testatur.

§. 15. Simili calumnia adorti sunt, et reum egerunt Eusebiani M. Athanasium in quodam Conciliabulo, inducentes mulierem, quae eum accusaret de vi sibi vel illata, vel intentata. Verum Timothei opera Athanasii innocentia, et accusatorum nequitia omnibus innotuit cum infamia Arianorum, qui in foveam, quam viris sanctis paraverant, dedecoris, et ignominiae inciderunt. Mitto facta alia Eusebianorum contra S. Athanasium, ut calumniam de calice fracto, et altari everso, de frumenti ex Aegypto Constantinopolim transmissione a S. Athanasio impedita vel impedienda, ut Constantinum ei infensum redderent, quod a Constantino, Arianorum occultorum pravi animi nescio, tandem impetrarunt. Consulto item brevitati studens, praetereo alia, quae nobis narrant Ecclesiastici Scriptores de viris veritatis amantissimis Eusebiis, qui in factis comminiscendis contra Catholicos Praesules Nicaenae Synodi assertores, ac in Ariano dogmate, a Nicaenis Patribus damnato, per fas nefasque promovendo; tam similes fuere, ut nec lac lacti, nec ovum ovo magis simile sit (*a*).

§. 16. Eodem veri studio, quod in hisce narratis, et expositis Eusebianis calumniis apparet, usos fuisse crediderim veteratores Eusebios in scribendis iis, quae e re suae Sectae erant, inter quae Constantini Nicomediense Baptisma, ab uno, ut credere fas est, collatum, et per Epistolam, vel per Presbyterum, qui testamentum Constantini ad Constantium attulit, nuntiatum, ab altero eleganter, et ambiguis verbis de-

---

(*a*) Arius in *Epistola* ad Eusebium Nicomediensem, quam affert Theodoretus, Eusebium Caesareensem fratrem Nicomediensis appellat. *Et quoniam*, inquit, *Eusebius frater tuus Caesareensis, et Theodotus, et Paullinus* cet. An veri fratres fuerint Eusebii? ignoro. Forsitan vinculo aliquo sanguinis conjuncti erant. Forsitan fratres appellat, quia et nomine, et ingenio valde similes erant. Si ob munus Episcopale Caesareensem *fratrem* Nicomediensis appellasset, Episcopos ceteros, quos nominat, Theodotum, Paullinum, alios, fratres etiam Nicomediensis dixisset: quod non facit.

descriptum recenseo: licet nonnulli ex Graecis, et Latinis Scriptoribus tale Baptisma Nicomediae administratum pro certo habeant, existimantes, credibile non esse, Eusebium tam insanum fuisse, vel tam impudentem, ut ea scriberet, quae possent mendacii convinci. Ast hi non animadvertunt, saepe alias fuisse mendacii convictum, ac sub Constantio, Arianorum Alumno, et Patrono *Vitam Constantini* exarasse: scripto autem illo voluisse Sectae suae auctoritatem conciliare, Ariano ritu ab Ariano Episcopo baptizatum divulgando Constantinum: quod licet verbis non expresserit, pronum cuivis erat, lecta ea narratione, arbitrari. Illud mihi mirum, et captu difficile, Criticos, qui Socrati narranti S. Paphnutii in Nicaena Synodo 1. pro Sacerdotum conjugio habitam *Orationem* non credunt, quia Historicus ille Novatianus erat; fidem non derogare Eusebio Caesareensi narranti Nicomediense Baptisma, quo Sectae Arianae multum auctoritatis accedebat, quantumvis sub Constantio aperte Arianus esset, et quantum posset Catholicorum partes insectaretur. Quam consequenter, et qua cohaerentia? Lector dijudicet.

§. 17. Sed esto: verum sit, Constantinum sacro lavacro initiatum Achirone in loco satis obscuro prope Nicomediam, eum posset facile Nicomediae coram innumeris spectatoribus in primario templo cunctis fidelibus exultantibus baptizari. Verum sit, vel ab ignoto Episcopo, vel a Nicomediensi Praesule, vel a Presbytero, sibi a Constantia sorore valde commendato, et cui testamentum suum commisit, fuisse Constantinum in fine vitae baptizatum. Verum item sit, sacras ceremonias, ante, et post Baptismum peragi solitas, ab ignotis Episcopis, qui ei aegrotanti aderant, fuisse peractas (vide quam liberaliter me geram cum iis, qui fidem Ariano Scriptori habent). An idcirco Romanum Baptisma a S. Silvestro collatum, et a Baronio, et doctis Criticis antiquis, et recentibus propugnatum fabulam a Romanis confictam arbitrabimur? An non potius existimandum, duplici ablutum Baptismate Constantinum, ab occultis Arianis deceptum: altero Romano legitimo, et salutari, altero inani? An nescimus Religioni non fuisse Arianis, et Donatistis, quibus eum foederati erant Ariani contra Catholicam Ecclesiam, Baptisma, praesertim a Catholicis collatum, quia invalidum putabant, iterare? Mirum igitur esse non debet, si Nicomediensis Praesul Eusebius, vel Presbyter a sorore commendatus, quibus Arianismum occulentibus mul-

tum tribuebat Constantinus, ut item nonnullis aliis Arianis, quorum pus, atque venenum in corde tectum Constantinus ignorabat: si inquam, aegrotanti, et in extremis agenti Constantino, viro minime malo, et doli nescio, in subtiliori Theologia peregrino, persuaserit, ut iterum baptizaretur: quo ab omni noxae labe mundatus ejus Spiritus, solutis corporis vinculis, ad Caelum avolaret, quod piissimus Constantinus maxime optabat. Quibus autem speciosis subdolisque rationibus id impetrare potuerit Nicomediensis Eusebius, licet illi constaret, fuisse Romae baptizatum, et Constantinus iterato Baptismo repugnaret? postea videbimus, cum ostensum erit atque firmatum, revera fuisse Romae multis antea annis sacro lavacro, et Christianis mysteriis initiatum, ac valde probabile reddiderimus a lepra fuisse, recepto Baptismate, mundatum.

§. 18. Sed quaenam, inquies, sunt rationes istae tam validae, quibus post Papebrochium, Pagium, et alios viros doctissimos, qui contra Romanum Constantini Baptisma strenue pugnant, et litem hanc contra Baronium, et alios qui pro eo stant, decisam putant, in eam persuasionem a recentioribus Criticis explosam inducar? En illas.

§. 19. Prima sit. Constantinus, teste Eusebio *lib. 3. c. 47. Vitae Constantini* matrem Helenam ad Christianam Religionem traxit, cum antea idolorum cultrix esset, et veri Numinis ignara: ac adeo piam, et religiosam effecit, ut ab omnium Servatore instituta videretur; ipse autem Constantinus, ut tradit Sozimus Ethnicus Historicus, suasore quodam Aegyptio, seu Mago (nam Ethnici Aegyptios Magos etiam appellabant) qui ex Hispania Romam venerat, (quem Baronius putat Hosium fuisse) Christianum se palam professus est, et talis habitus non a Christianis solum, sed etiam ab Ethnicis Romanis, qui aegre ferebant, ab Ethnicorum sacris, et avita religione recessisse, ut videre est apud Sozimum, et Eunapium Ethnicos Historicos, qui multa probra, et maledicta contra Constantinum, eo quod Christianis sacris initiatus esset, evomuerunt. Quis autem credat, Constantinum nondum baptizatum, nec catechumenum adeo in Christianis Mysteriis, et Christiano dogmate peritum, ut matrem suam non modo ad Christianismum traxerit, sed eam ita in Christianismo instituerit, tantaque pietate, et religione eam imbuerit, ut, non dico ab Apostolo aliquo, sed ab ipso Christo instituta videretur? cum notum sit ex antiqua Ecclesiae disciplina, ne Catechumenos qui-

quidem ad Sacrorum Mysteriorum notitiam, et participationem admissos fuisse, ac proinde alios in Christianis sacris, et pietate instruere nequivisse. Quae omnia persuadent, Constantinum tunc baptizatum, et in Christiana religione institutum, seu verum perfectumque Christianum, ut testatur Sozimus, fuisse. Nec id solum, sed eum in mystica Theologia versatum extitisse.

§. 20. Et sane ridiculum esset, Christianum perfectum eum existimare, ac divina luce perfusum (quod de Constantino ante Baptismum Nicomediensem affirmat Eusebius) qui neglexerit, in Christiana religione jam institutus Baptisma suscipere, ac multo minus, si ne Catechumenus quidem fuerit, cujusmodi Constantinus usque ad vitae finem dicitur a Criticis, qui Eusebio credunt, et veridicum putant. Scio quid reponant confidenter adversarii, Constantinum scilicet de veritate Christianae religionis persuasum, affectu, et studio in Christum, et Christi doctrinam, licet baptizatus non esset, potuisse Christianum censeri, et appellari. Si haec satis fuerint, ut Constantinus Christianus diceretur, cur non item Tiberius Caesar Christianus censebitur, qui optavit, et Senatui proposuit, ut Christus tanquam Deus coleretur, jussitque, ne quisquam auderet Christianos insectari? Cur Severum Alexandrum, Mammaeae Christianae filium, et Romanum Imperatorem, qui in Larario suo Christi simulacrum colebat, Christianum non dicimus? Cur non Carum Romanum Imperatorem, qui Thessalonicensem Ecclesiam in Rescripto quodam suo *Sacrosanctam* appellat, et a tributorum gravamine liberavit, Christianum non appellamus? Cur non Gallienum, qui Christianis favit? Poterit quin etiam Hebraeus religione appellari Julianus Apostata, licet incircumcisus, eo quod bene affectus in Hebraeos fuerit, adeo ut eis permiserit Hierosolymorum templum reaedificare, impensas ex aerario suo fecerit, ac Architectos dederit ad illud excitandum. Poterunt item nonnulli ex Romanis Provinciarum Imperii Praesidibus, ut Plinius Junior, Bithyniae Praefectus sub Trajano, Christiani appellari, cum in favorem Christianorum, et in eorum commendationem *Epistolas* scripserint ad Romanos Imperatores, licet Christianis sacris non essent initiati. Poterimus demum Borussiae prudentissimum, et fortissimum Regem Federicum II. fatis functum inter Catholicos Principes recensere, quia impensissime Catholicis in suo regno favit, eosdemque multis magnisque beneficiis cumulavit.

§. 21. Secunda Ratio. Incredibile est, matrem Helenam baptizatam, et Episcopos, quos institutores habuit in Christiana religione, et in sua ab Idolorum cultu ad Christum conversione Constantinus, eum hortatos non fuisse ad suscipiendum Baptisma sine dilatione, postquam de hujus Sacramenti necessitate ad aeternam salutem eundem monuerunt, Evangelii doctrinam ei exponentes: praesertim cum tot periculis sine Baptismate moriendi sese committere oporteret, bella contra hostes Imperii aggrediendo, praeter non praevisa alia vitae discrimina, in quae passim homines incurrunt. Mihi certe nemo persuadebit, Constantinum non ignarum salutaris effectus Sacramentorum Confirmationis, Poenitentiae, Eucharistiae voluisse usque ad vitae finem, non recepto Baptismo, tot tantisque spiritalibus divitiis privari, et in originali aliisque *personalibus* peccatis, ex humana fragilitate contractis persistere cum periculo amittendae aeternae felicitatis, quam tanto studio, et matri suae, et aliis innumeris procurabat eos ad Christum trahens; cum pro certo haberet, eum solum, qui renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto in regnum caelorum ingredi posse, et solum illum, qui crediderit, et baptizatus fuerit, salutem consecuturum: quod in Evangelio proculdubio non semel legerat, in sacris libris valde versatus.

§. 22. Tertia Ratio. Nec S. Helena, nec alii ante Constantinum, quos sciamus, usque ad vitae finem, semel in Christiana doctrina instituti, distulerunt Baptismum suscipere, nec novimus, hujusmodi praxim Apostolorum aetate, vel proximis seculis viguisse, vel adprobatam unquam ab Ecclesia fuisse: quinimmo in variis Conciliis Clinicorum Baptisma reprehenditur, et qui Baptisma usque ad vitae discrimen differunt, ad Presbyteratum, et sacros ordines promoveri prohibentur. Putabantur enim hi Baptismum distulisse, ut in peccatis persisterent securius, et per Baptismum, mortis metu magis, quam pio animo susceptum, peccata omnia eis, etiam quod ad reatum attinet, remitterentur, et aeternam salutem hoc astu impetrarent, postquam in vitiis vitam duxissent. Cum itaque contra Ecclesiae disciplinam semper fuerit Baptismi, Confirmationis, et Poenitentiae Sacramentorum usque ad vitae extremum dilatio; nec ipse Eusebius credere potuit, hanc dilationem Constantino probari potuisse: cum teste eodem Eusebio tanto flagraret studio Ecclesiasticae disciplinae observandae, et promovendae, ut Episcopis eam impense, praesertim quod ad interiora spectabat, commendaret, seque

appel-

appellaret Episcopum exteriorem, ut ostenderet, se coadjutorem Episcoporum futurum, ut exterior disciplina, in Conciliis stabilita, et ab Apostolis tradita servaretur. Credere, inquam, ne Eusebius quidem potuit, in hac parte gravissima Ecclesiasticae disciplinae Constantinum omissum cum multorum scandalo fuisse, nisi si voluerit, pura putaque mendacia a nobis existimari, quae in laudem Constantini ipsemet scripta reliquit.

§. 23. Omissus certe non fuit Constantinus in procuranda aliorum salute, et hac disciplina Ecclesiae in aliis tuenda: cum constet, ejus filiam Constantiam, quam alii Constantinam appellant, Sanctae Agnetis ope a leprâ mundatam, illico Baptismum cum multis aliis ex familia Imperatoris Sanctae Helenae aviae exemplo, ac, ut puto, patris, et aviae hortatu suscepisse, et vel ipsam ex proprio peculio, vel Constantinum templum magnificum Deo sub Sanctae Agnetis titulo cum Baptisterio extruxisse. De filiis aliis pro indubitato habetur, usque ad vitae finem Baptismum non distulisse. Quinimmo ejus filius Constantius, licet Ariana labe infectus, tanto studio Baptismum suscepit, cum integra valetudine esset, ut ad bellum contra Magnentium profecturus noluerit militem ullum secum ducere, qui non esset sacro Baptismate ablutus. Quis autem tam imprudentem, tamque sui oblitum, et salutis suae negligentem Constantinum arbitrabitur (si noverit, eum tam sollicitum in procuranda filiorum, et aliorum salute per Baptismi sine dilatione susceptionem) ut tantum bonum non sine magno periculo illud amittendi usque ad finem vitae distulerit, gravata praesertim tot parricidiis conscientia ex crudeli nece Crispi filii, et uxoris Faustae, ac aliorum, quae poterat, et debuit, suscipiendo Baptismum, expiare, si ante Baptismum ea scelera patravit, non ignorans, per sacrum illud lavacrum peccata omnia dimitti, et veniam a Deo impetrari.

§. 24. Quarta Ratio. Non solum aeterna suorum salus Constantino cordi erat, sed et Episcoporum, sed et Aulicorum, ac militum, sed et populi omniumque sibi subjectorum: adeout nihil omitteret, quod ad Supremi Numinis agnitionem, et cultum, et ad Evangelii doctrinam, et Catholicam Religionem promovendam conduceret, quo omnes aeternam felicitatem consequerentur. Episcopos et verbo, et de scripto hortabatur, ut gregis ipsis commissi curam haberent, ac salutari doctrina eum pascerent, concordesque, amotis dissidiis, inter se essent. Cum Aulicis, et familiaribus in palatii sui templo orabat, et libros sacros legebat. Pro mili-

litibus preces ad verum Deum composuit, quas die Solis, seu Dominica in campo puro, ac sermone latino recitare jubebat, quibus profitebantur, se supremum Numen victoriarum de hostibus reportatarum Auctorem, ac bonorum omnium largitorem agnoscere, eidemque pro acceptis beneficiis gratias agebant, iisdemque pro salute, et incolumitate Imperatoris et filiorum orabant.

§. 25. In Concionibus ad populum, ad quas magna hominum multitudo, ut audiret concionantem Imperatorem suum, concurrebat, primum Ethnicorum errores refellebat: deinde de Dei Omnipotentia, et Justitia in puniendis sceleribus, quae, vel occultissima, Deo nota erant, ac de extremo judicio disserebat, quibus Auditores ad poenitentiam, et cultum veri Numinis excitabat. In praecipuis Ecclesiae festis, et solemnitatibus ipse populo praeibat, et sacros ritus statui laicali non repugnantes obibat, ut omnes ad Dei ferventem cultum exemplo suo efficacius permoveret. Haec omnia narrat Eusebius in *Vita Constantini*, quae Apostoli cujusdam magis, quam Imperatoris videri possunt. Et putabimus, haec agere potuisse hominem sceleribus inquinatum, pacem cum Deo, et tranquillam conscientiam non habentem, ac sine gratia, et virtutibus per Baptismum, et Sacramenta alia impetratis? Ego certe nunquam adducar, ut credam, sine singularibus, et extraordinariis Spiritus Sancti donis, ea praestitisse. Docet enim nos Christus, ex fructibus, ut arborem, hominem aestimare.

§. 26. Quinta Ratio. Verisimile non est, Politicum Principem, cujusmodi erat Constantinus, Baptismi, et Confirmationis Sacramentis non susceptis, seu gratia Spiritus Sancti, et quidem singulari destitutum contra omnem terrenam Politicam tanto studio, et affectu in Christum, et Christianam doctrinam, ac Religionem flagrasse, ut templa Romae in Superstitionis emporio, et in aliis Imperii Urbibus, Idololatriae deditis, Christo Domino, et Apostolis erigeret, Idolorum templa solo aequaret, cultum Idolorum, et Sacrificia interdiceret, Christianorum templa donariis pretiosissimis, et reditibus ditaret, Christianos Sacerdotes, frementibus Idololatris, privilegiis, et multis benevolentiae, et honoris signis ornaret, Episcopis tantum tribui in toto Imperio juberet, ut lites in laicorum Judicum tribunalibus decisae, in Episcoporum examen remitti a laesa parte possent, et ad Episcoporum judicium a litigantibus provocari, quodque Episcopi judicarent ratum esset.

§. 27.

§. 27. Quid dicam de humilitate, qua se conservum Episcoporum appellabat, quorum item dicta ut a Deo prolata reverebatur, *Deos* etiam eos vocans? Quid de precibus, quas, remotis arbitris, solus cum solo Deo loquens fundebat, eaque, quibus ipsi opus erat, postulabat? Quid de Synodis loquar non sine magnis expensis, convocatis ex toto Imperio Episcopis, ad extirpandas haereses, et compescendos haereticos, pacemque, et disciplinam in Ecclesiis firmandam coactis? Nec commemorare necesse est bella gravia, et periculosa, quae contra Tyrannos, collegas suos, Christianorum contra promissa persecutores, strenue aggressus est, et feliciter confecit. Haec, et multa alia pro asserenda Ecclesiae pace, pro Idololatria ex toto Romano Imperio evellenda, ac pro cultu veri Numinis amplificando, et firmando nulli labori parcens egit Constantinus, quin tumultus, et machinationes, quin insidias contra vitam suam, vel secuturam provinciarum rebellionem, quin odium, quod in se concitabat et Procerum, et Sacerdotum Idololatriae addictissimorum ob immutata sacra, et contemtam, atque abrogatam veterem religionem pertimesceret, licet non ignoraret, Praedecessores suos in Imperio Philippos Arabes Patrem, et Filium, Imperio, et vita privatos a Decio ob susceptum Baptisma, et cum eo professam Christianam Religionem. Charitas nempe Constantini in Christum, et Ecclesiam, in cor ejus ab Spiritu Sancto per Sacramenta suscepta diffusa, foras misit timorem; et erit Criticus si haec noverit, et attenta mente reputarit, qui arbitretur, haec omnia gessisse pro Christo, et Ecclesia, pro salute Imperii, et subditorum suorum Constantinum sub Daemonis potestate, et servitute, non suscepto Baptismate, constitutum? Et erit qui credat, hanc constantiam, hanc animi firmitudinem in heroicis, et difficillimis factis exequendis potuisse homini in Historia versato, et Politicis artibus instructo, homini, inquam, discrimina omnia, quibus se committebat, praevidenti contingere, quin roboratus esset Sacramentorum gratia, et virtute, magnoque fervore in Deum, et proximos Charitatis? *Credat Judaeus apella.*

§. 29. Sexta Ratio. Nunc temporis, cum disciplina Ecclesiastica indulgentior est, quam fuerit primis Ecclesiae seculis, ne benigniores quidem Casuistae a lethali noxa excusarent Principem affectu Christianum, et Christianis dogmatibus institutum, qui usque ad vitae finem, praesertim si bellator, et saepe cum hostibus sibi pugnandum esset, Baptismum suscipere differret. Quod si pius, et valde religiosus

esset,

esset, ac disciplinae Ecclesiae tuendae studiosissimus, si item in devexa jam aetate, cujusmodi erat, teste Eusebio, ante Nicomediense Baptisma Constantinus; absurdum esset, et ridiculum de tali Principe arbitrari, in hac parte disciplinae, quae ad ejus aeternam salutem maxime pertinebat, et cujus observantia sub peccato gravi eum urgebat, minus religiosum velle videri Baptismum differendo usque ad vitae finem non sine periculo, baptismo non suscepto, cum peccatorum sarcina moriendi, et salutem aeternam non assequendi, quin illum excusaret, quod optasset, in Jordane baptizari, etiamsi ad id voto se obstrinxisset; cum votum illud utpote majus bonum impediens, ad quod erat obligatus, irritum omnino esset, et sine piaculo non posset adimpleri.

§. 30. Postrema Ratio sit Traditio Romanae Ecclesiae tot muneribus, tot sacris ornamentis, tot reditibus, tot templis magnificis, et aliis monumentis ornatae per Constantinum, de quibus altum silentium in *Constantini Vita*, ab Eusebio edita, quo indicavit pravum suum animum in Romanam Ecclesiam, quae Arianam haeresim in variis Conciliis damnavit. Sed unde, inquies, haec Traditio, quae solidis fundamentis niti debet? Niti utique debet firmis fundamentis, ne a recentioribus Criticis Baptismum Romanum impugnantibus rejiciatur, utque fides ab eis extorqueatur. Praeter momenta a me adducta pro Constantini Baptismate multo ante mortem ei ministrato, en alia ex Scripturis exaratis Constantini aevo, vel non multo post. Id testantur, ut initio dixi, *S. Sylvestri Acta*, a Gelasio Papa in Concilio 70. Episcoporum laudata, et approbata, quin ea rejecerit ad apocryphas Scripturas, quod de Historicis libris Eusebii Pamphili statuit. Idem testatur Concilium Romanum 270 Antistitum, ex variis Ecclesiis a S. Silvestro, vel ante, vel paullo post Nicaenum congregatum. Testantur praefatum Baptisma *Liberii Acta*, et postrema Nicaena Synodus, praeter Historicos Graecos, et Latinos, qui idem ante hanc Synodum tradiderunt.

§. 31. Non me latet, quid his reponant adversarii: *Acta* nempe, non repugnante, sed fatente Baronio, fuisse vitiata, et Romanum illud Concilium valde dubium esse ex Consulum, et annorum falsa adnotatione. Item ignotum adhuc esse dicunt adversarii, a quonam fuerint *Acta* illa exarata. Verum Adversarii non probant, *Acta* illa in narratione Baptismi Constantini, in quam ea conveniunt, vitiata fuisse. Nam quod in nonnullis depravata fuerint vel malitia, vel incuria exscribentium, non evincit, ea in omnibus fuisse vitiata: nisi si

dica-

dicamus, Sacros Codices, Opera SS. Patrum in omnibus rejicienda, seu in omnibus esse dubiae fidei, quia in nonnullis vel ab haereticis, vel ab imperitis, vel parum accuratis librariis fuerunt depravata. Certe depravata ea Acta in hoc facto non putarunt nec S. Gregorius Turonensis, nec Venantius Fortunatus, nec Patres postremae Nicaenae Synodi, nec Graeci Scriptores, qui, lectis proculdubio *Actis* illis, Constantini Romanum Baptisma asseruerunt, licet ex his nonnulli parum affecti in Romanam Ecclesiam essent.

§. 32. His addo, Mosen Choronensem Historicum Armenorum scribentem paulo ante medium seculum 5 Ecclesiae, seu paulo post Honorii excessum, qui *c.* 8. *l.* 2. suae *Historiae* post narratam Constantini lepram, et remedium ipsi a Magis praescriptum sanguinis innocentium statim ab eo rejectum, ut inhumanum, ait: *Cujus ille facti compensationem a Deo accepit in somniorum visis, ab Apostolis jussus lavacri salutaris lavatione per Silvestrum Romae Episcopum purgari, qui ob vexationem se in montem Saraptium* (*Soractem* dicere voluit homo ignarus locorum Urbis) *abdiderat, per quem edoctus fidem suscepit, omnesque Deus adversarios ejus amovit, ut te breviter Agathangelus docet*. Haec debeo magnae spei adolescenti, Oratorii S. Philippi Nerii Venetiis alumno, Joanni Baptistae Biasiutti. Quae addere placuit iis, quae Ferrariae lucubrata Venetias attuli ad editionem hujus Dissertationis. Vide *Agathangelus* in A. hujus *Lexici*. Et saltem Gelasii Papae Concilium ea *Acta* laudans, et in variis Ecclesiis ea legi affirmans neutiquam censuit ea viriata, quod ad Baptismum Romae a Constantino susceptum attinet, licet postea in aliis fuerint inquinata. Quod si Critici exigant, ut dicam, a quo fuerint *Silvestri Acta*, ac *Liberii Papae* exarata, ab eis vicissim exigam, ut dicant, a quonam fuerint in Constantini Baptismatis narratione corrupta? Id certe non praestabunt adversarii, et ego dicere possum non temere, a Romanis Notariis, qui ad scribenda notabiliora, quae in Romana Ecclesia contingebant, designati erant, fuisse exarata, licet postea paulatim fuerint a nonnullis descriptoribus vel ignaris, vel parum accuratis corrupta, ut in iteratis *Historiarum* descriptionibus solet evenire. Nec silendum, Dalmatianum Cyzicenum Episcopum, qui *Acta Nicaenae Synodi* collegit, *Orationem* a Constantino ad Patres habitam afferre, in qua Constantinus testatur, se Christianum esse, et Baptismate initiatum. Addo etiam, Sozomenum, qui initio 5. Ecclesiae seculi scribebat, testari Constantinum non a Sozimo solum, sed ab aliis etiam Ethni-

thnicis, Baptisma suscepisse Romae Constantinum fuisse existimatum. Addo demum, Eusebium Pamphili diserte affirmare Constantinum perfectum, et consummatum Christi Sectatorem fuisse multo ante Nicomediense Baptisma: quod affirmare non poterat de eo non baptizato, et in fide non confirmato, etiamsi Catechumenus fuisset.

§. 33. Non acquiescunt his adversarii, adduntque, narrationem illam de Constantini Romano Baptismate vitio non carere, quia conjuncta cum fabula illa Milesia de Constantini lepra, et balneo ex puerorum sanguine a Medicis praescripto, quo a lepra sanaretur. De his nempe ne verbum quidem Eusebius in *Vita Constantini*, nec apud antiquos Historicos talis lepra, aut talis curatio memoratur. Sed iterum a Criticis peto, ut ostendant, a quo, et cujus gratia fabula haec Milesia conficta fuerit? quod si ostenderint, tunc credam, id non temere affirmari. Quod haec praetermiserit Eusebius in *Vita Constantini*, cum jam se Arianum aperte profitebatur, nihil probat, nec quod illius aetatis Historici de his nihil retulerint. Primum, quia verisimile est, factum illud ignorasse. Inter illos namque morbos lepra numeratur, qui quia parum decori sunt, et hominem immundum, et societati noxium reddunt, studiose quantum fieri potest ab aegrotantibus occuluntur, praesertim a viris principibus, qui tuendis decori suo, et dignitati in omnibus apud populos student. Quid? quod Historici, licet vel infirmitatem, vel mortem indecoram sui Principis norint, prudentissime, ut item animi vitia, in *Historiis* de iis silent. Quid mirum igitur, si Historici, si Eusebius de his non meminerint, quantumvis ipsis non incomperta essent? Ignotum certe Eusebio non erat, quam crudelis fuerit, quamque inconsideratus in occidendo filio suo Crispo, et in eo postea vindicando, Faustam uxorem, et Novercam Crispi morti addicendo, et nihilominus Eusebius ea non memoravit, sed alto silentio pressit in *Vita Constantini*, ut multa alia, quae Romae post Maxentium devictum, tum laude, tum etiam reprehensione digna peregit Constantinus.

§. 34. Jam de Constantini lepra, et praescripto a Medicis crudeli, et inhumano balneo nonnulla dicamus. Notum in primis est, morbum illum tunc temporis valde communem extitisse, quo immunes Romanos non fuisse constat ex commercio cum Aegyptiis, et Hebraeis, qui huic morbo valde obnoxii erant. Mirum igitur esse non debet, Constantinum, qui inter Hebraeos, Aegyptiosque in Oriente versatus

tus

tus fuit, multosque ex Orientalibus in Exercitu suo milites, ac Romae, et in Provinciis non paucos familiares habuit, morbum illum contraxisse. De ejus filia S. Constantia, vel Constantina ex Historia Ecclesiastica compertum est, eam lepra infectam fuisse, et ope S. Agnetis, ad cujus sepulchrum preces, et vota in honorem S. Virginis, et Martyris Deo obtulit, divinitus sanatam fuisse: et quis noverit, an a leproso Patre fuerit cum illa communicatum? Illud nos Plinius docet *lib. 26. c. 1. Hist. Naturalis*, Romae suo tempore inter personas nobiles certam leprae speciem, quae non nisi a Medicis Aegyptiis sanari poterat, satis communem fuisse. Quod autem attinet ad balneum ex puerorum sanguine, novimus ex eodem Plinio, hoc remedium ab Aegyptiis Medicis praescribi solitum Aegypti Dynastis, cum illi forte lepra laborabant, quod non raro accidebat, cum morbus ille frequentissimus apud Aegyptios tunc esset, et forsitan nunc etiam ex corruptis Nili aquis, quae per solitas alluviones in lacunis diu manentes computrescunt, et aera inficiunt. Romae autem multos medicinae Professores Aegyptios, et quidem celebres fuisse, quos consulere poterat aegrotans Constantinus, quis nescit? et quis dubitet, quin de leprae remedio consulti, ei balneum ex puerorum sanguine, quemadmodum Aegypti regibus lepra infectis, praescripserint?

§. 35. Ast neque his persuasos arbitror adversarios, ut leprae Constantini assentiantur, ac ejusdem miraculosae per Baptismum curationi. Dicunt enim varie in antiquis *Actis* narrari leprae curationem ab illorum monumentorum Scriptoribus. Alii namque per Baptismum, a S. Silvestro collatum, alii vero Crucis signo Constantinum a lepra mundatum referunt. Reponunt insuper, Apostatam Julianum contra Christianorum sacra scribentem objecisse, Baptismum vim non habere a lepra sanandi eos, qui leprosi ad Baptismum accedunt. Patres autem Graecos, qui ei responderunt, mentionem non fecisse in *Apologiis* de Constantino a lepra mundato per Baptismum: quod proculdubio meminissent, ut os Apostatae occluderent, et ejus scripta refutarent, si factum illud mirabile verum existimassent. Haec sunt praecipua, quibus innixi adversarii mordicus asseverant, Constantini lepram, et ejus per Baptismum recuperatam sanitatem inter fabulas numerandam. Verum haec facile diluuntur, si dicatur: Ad primum, diversam de facto aliquo narrationem, quod ad circumstantiam aliquam attinet, nihil probare contra facti narrati quoad substantiam, ut ajunt, veritatem. Ac ut

in

in *Constantini Vita* persistamus, in *Actis Sanctorum* Bollandianis leguntur valde diversae, et invicem adversis frontibus pugnantes narrationes de inventione Crucis Christi per S. Helenam Constantini matrem, quae hortatu Constantini dicitur ad eam quaerendam Hierosolymam perrexisse, quin licitum reputent Critici de ea dubitare. Mitto alia cum in Ecclesiastica, tum in profana Historia certissima, in quorum circumstantiis narrandis ab Historicis variatur. En dissipatum primum objectaculum. Nunc ad secundum veniamus.

§. 36. Silentium Asiaticorum Patrum Juliano respondentium solum evincit, ignotum fuisse illis, vel non satis compertum, quod Romae evenit leproso Constantino. Verisimile quippe arbitror, Constantinum morbum suum, ut dictum est, occultum voluisse, nec eos, quibus erat notus, ausos fuisse illum divulgare, ne ipsum Constantinum, ac ejus filios offenderent. In *Liberii Actis* legitur, valde iratum Liberio Rom. Pont. Constantium fuisse, eo quod Liberius de tali lepra, et curatione per Baptismum facta locutus fuisset, vel eas in vulgus extulisset. Quid? an non multa Romae, et in aliis Occidentis Urbibus in propatulo contingebant, quae Orientis incolis ignota erant, ut item multa in Oriente, quae Occidentales ignorarunt?

§. 37. Critici notant varios errores Historicos, et Chronologicos in Eusebii Caesareensis, et Theodoreti Historiis, praesertim cum de successione Romanorum Pontificum loquuntur. Theodoretus tradit, Concilium Nicaenum sub Julio Papa coactum fuisse, cum certissimum sit sub S. Silvestro celebratum, et Julium post multos annos electum Romanum Pontificem mortuo S. Marco S. Silvestri proximo Successore. Quaenam, oro, magis in Oriente pervulgata, quam quae in Nicaena fuerunt Synodo definita? et nihilominus S. Augustinus fatetur, se Canonem quemdam disciplinae in ea editum ignorasse. Ita ipse *Epist.* 110. Quid magis notum, quam Sardicense Concilium Generale an. 347. sub Constante, et Constantio a Julio Papa Sardicae congregatum, in quod ex Oriente 76. Episcopi, et ex Occidente circiter 300. convenerunt? et S. Augustinus nullum noscere Sardicense Concilium, nisi Arianorum, affirmat *lib.* 3. *cap.* 34. contra Cresconium scribens. *Epistola* autem 93. idem Sanctus Doctor de Cypriano loquens ait, S. Cyprianum forsitan errorem suum de rebaptizandis haereticis correxisse: *sed non omnia*, addit, *quae inter Patres gesta, nobis nota sunt: forte suppressa ab iis, qui eo errore delectantur*. Quod si dicamus,

mus, Constantini miraculosam a lepra curationem post mortem Constantini in vulgus jam manasse, et idcirco morbum illum, non alium, a Juliano contra Baptismi efficaciam memoratum; haud temere dici potest, a S. Basilio, qui Apostatam refutabat, in responsione sua curationem illam per Baptismum non inculcasse, quia novit, eam ab Ethnicis Criticis, et a Juliano tanquam fabulam a Christianis confictam rejectam fuisse. Solum dixit, Baptismum non institutum ad sanandos corporis morbos, sed ad expianda peccata, seu ad sanandos languores animi, quin vellet cum incredulo, et miraculorum irrisore Apostata de mira Constantini per Baptismum a lepra impetrata sanitate litigare.

§. 38. Nec ego multum adversariis incredulis, pro hac circumstantia miraculosae curationis Constantini repugnabo, modo mihi assentiantur, dum tot rationibus, et conjecturis ostendi, Constantinum Romae post devictum Maxentium, et Christianae Religionis veritatem ei demonstratam, ac praecipua ejusdem credita Mysteria, fuisse secundum Ecclesiae disciplinam, ab Apostolis traditam, sine dilatione baptizatum, et per Bapsismum ab animi lepra fuisse mundatum, quin contra *Ecclesiast.* monitum *cap.* 5. usque ad vitae finem de die in diem tardaverit ad Deum converti, et poenitentiam agere de gravissimis delictis ab eo patratis.

§. 39. Nec enim ignorabat (cum in sacris libris admodum versatus esset) quam grave malum esset Deum offendisse, et animum habere sceleribus inquinatum, a quibus tergi non poterat nisi per Baptismum, et post Baptismum, qui ad reliqua Sacramenta januam aperit, per Sacramentalem Confessionem, aut veram Contritionem. Quae quoties mecum reputo, capere non possum, qua fronte tam pium, tam sanctum, tam Deo charum Constantinum praedicet Eusebius, non credens, eum fuisse multo tempore ante vitae finem Baptismo, et aliis Sacramentis susceptis, Deo reconciliatum: et minus etiam capio, quibus rationibus permota Graeca Ecclesia Constantinum M. inter Sanctos, et religioso cultu dignos numerarit, nisi eum ante excessum ab hac vita, et ante Nicomediae Baptismum susceptum multis veris, et quidem heroicis Christianis Virtutibus praeditum, et exercitum, fuerit arbitrata.

§. 40. Et haec satis superque apud viros cordatos esse possent ad dirimendam hanc litem de Constantini Baptismo in favorem Card. Baronii, et aliorum Criticorum doctissimorum, qui non audent Apostolicum hunc, et piissimum Impera-

pera-

peratorem inter Clinicos ab Ecclesia reprobatos, et nota injustos recensere: qui item non audent, Episcopos doctissimos, et sanctissimos, quibus familiariter utebatur, et quos consulebat Constantinus in rebus ad salutem ejus spectantibus, assentationis, et criminosae indulgentiae insimulare, errorem ejusdem in re ipsi noxia, et disciplinae Ecclesiasticae contraria, cujusmodi erat illa dilatio, fovendo. Satis, inquam, esse possent pro Romano Baptismo stabiliendo jam dicta, nisi superessent nonnulla, quae adversariis magni momenti videntur, quo opinionem suam mordicus tueantur. Ea sunt testimonia SS. Ambrosii, Hieronymi, et Patrum Ariminensium ad Constantium scribentium, in quibus Baptismus in vitae fine a Constantino susceptus sine ambiguitate affirmatur.

§. 41. Verum haec testimonia praeterquamquod varias exceptiones ex vitiata librariorum vel malitia, vel incuria Scriptura, variamque expositionem patiuntur, neutiquam probant, Constantinum non fuisse Romae baptizatum, sed summum fuisse Arianorum fraude, et a Nicomediensi Eusebio Arianorum Antesignano, cui multum tribuebat, deceptum, in fine vitae rebaptizatum. Quantum enim sategerint ambo Eusebii, tum ante, tum post Synodum Nicaenam, ut Constantinum, ac viros fama celebres ad Arianas partes traherent, obscurum non est iis, qui Historiam Ecclesiasticam illius aevi legerunt. Cum vero Constantinum viventem nequiverint Arianum facere; post mortem ut talis vulgo videretur impense procurarunt: quod assecuturos sperabant, si notum esset, ab Ariano Episcopo, et Arianae Sectae praecipuo Patrono fuisse in fine vitae baptizatum. Nullum itaque non movisse lapidem Nicomediensem Eusebium verisimile est, (Eusebii alterius narrationi insistendo, quae scilicet verissima reputatur a recentibus Criticis, et nonnullis ex Scriptoribus antiquis) nullum, inquam, non movisse lapidem, ut Constantinus morti proximus se sineret iterum baptizari: ad quod non parum operae contulisse crediderim Presbyterum illum Arianum hypocritam ei charum, cui testamentum suum commendavit, quem nonnulli suspicantur fuisse Acacium Luscum Eusebii Caesareensis discipulum, et Successorem in Episcopatu.

§. 42. Quibus autem rationibus id impetrare potuerint occulti isti Ariani, Constantino valde chari, *Dialogo* inter Eusebium, et Constantinum graviter aegrotantem exponam. Hunc autem *Dialogum* probatum ex parte saltem iri, tum

pro-

propugnantibus, tum inficiantibus Rom. Baptisma mihi persuadeo, modo praejudicatae opiniones tantisper a litigantibus deponantur, vel dubiae saltem eae, remittentibus utrisque aliquid de jure suo, videantur.

COLLOQUIUM

Inter Constantinum morti proximum, et Eusebium Nicomediensem.

§. 43. *EUSEBIUS*. Optime Imperator, tibi multam salutem, ac annos plurimos pro Imperii felicitate opto. Sed quoniam et tuo, et Medicorum judicio ex morbo isto neutiquam te convaliturum tibi firmissime persuades, et supremum Numen putas ad laborum pro Christi Ecclesia susceptorum praemium te vocare; e re animae tuae esse arbitror sacrum lavacrum te in gravi periculo vitae positum suscipere, ut animus tuus ab omni mundatus labe sine mora ulla valeat purus ad caelum avolare.

CONSTANTINUS. Qui possum? an ignoras, me Romae multis ab hinc annis fuisse baptizatum?

EUSEBIUS. Putabam, Auguste religiosissime, te id responsurum. Non me latet, quantumvis id sit in Oriente paucis notum, te clam fuisse ab Episcopo Romano olim baptizatum. Verum quid prohibet, iterum tibi, e vita excessuro, Baptismum ministrari, ut securius ab omni purgatus, vel minima peccati macula possis Deo Optimo Maximo, quem tanta pietate, et religione coluisti, si vitam, quam tibi mutuo dedit, reposcat, te sistere, et inter beatos choros recipi? nosti namque, nihil coinquinatum posse in caeleste ejus palatium introire. Quantumvis enim id cum vulgo semel Baptismate abluto fieri non soleat, aequum est, Imperatoris, qui tot curas solus pro Ecclesia, et Imperio sustinuit, quique adeo sollicitus de populorum suorum salute fuit, ejusdem saluti omni ope omnique via consulere, et felicissimum ex mortali vita excessum procurare. Quid? quod in nullo Generali Concilio (a) definitum est, Baptisma non posse iterari.

(a) Definitum postea fuisse videtur in Concilio Constantinopolitano I. et in Symbolo in Missa recitari solito positum: quod indicat, ante Concilium illud non defuisse, qui perperam docerent, posse Baptismum iterari.

CONSTANTINUS. Quid opus est Concilii definitione, cum in S. Paulli Epistolis legerim, unum esse Dominum, unam Fidem, unum Baptisma? An S. Paulli dictum satis non est, ut pro certò habeam, secundum Baptisma nemini posse ministrari, licet in Concilio Generali id definitum non sit?

§. 44. *EUSEBIUS*. Sapienter, Auguste, disseris. Verum ex hoc dicto Apostoli neutiquam definitum arbitror, Baptisma non posse iterum ministrari. Nam idem Paullus, qui videtur unicum Baptisma statuere, affirmat in *Epistola ad Corinthios cap.* 15. nonnullos jam baptizatos denuo pro mortuis solitos baptizari. Duplex itaque agnoscit, et admittit Baptisma, unum pro vivis, aliud pro mortuis, licet ille unum Baptisma adstruxerit magis necessarium, ut Christianò charactere insigniamur, et Christiani revera simus. Praeterquamquod nos Theologi, qui Paulli dictum non ignoramus, et varias pati interpretationes probe scimus, triplex admittimus Baptisma: aquae nempe, flaminis, et sanguinis, et non ambigimus, triplex hoc Baptisma posse ab uno eodemque suscipi, ac a multis Martyribus tempore persecutionum (quae devictis virtute tua Divinitatis instinctu Maxentio, Maximino, et Licinio Christi hostibus, teque Ecclesiam protegente cessarunt) suscepta fuisse: ut mittam, nonnullos ex Apostolis fuisse, et Joannis, et Christi Baptismo initiatos: ut mittam etiam, Christum de multis Baptismis meminisse, ut in Evangelica Historia legisti. Passionem enim suam Baptismum vocat; ut etiam descensum Spiritus Sancti in igneis linguis super Apostolos Pentecostes die: qui Baptismi diversi sunt ab aquae Baptismo omnibus ministrando, qui salvi esse cupiunt.

§. 45. *CONSTANTINUS*. Sunt adhuc, quae reponam, sed quiescamus tantillum ut vires mentis, et corporis reficiam.

EUSEBIUS. Nollem, Auguste, tibi molestus meis verbis esse. Si jubes, abibo donec me revocare tibi bene visum fuerit.

CONSTANTINUS. Non modo mihi molestus non es, Eusebi, sed admodum delector sermonibus tuis, et juvat me vel morti proximum aliquid semper discere. Ast sum nonnihil fatigatus, ac post breve temporis intervallum iterum de his disseremus, nec opus est, te hinc abire.

EUSEBIUS. Ut majestati tuae placuerit.

Post tantillum silentii refectus vitali pharmaco ipsi ministrato a Medicis, qui in proximo conclavi erant, ad id accersitis, sic ad Eusebium conversus, remotis arbitris, locutus est.

§. 46.

§. 46. *CONSTANTINUS*. Audivi perlibenter, quae disseruisti, Eusebi; verum licet ego Theologus non sim, nonnulla menti succurrunt contra a te dicta, quae jam expono. Memini, me olim audivisse controversiam agitatam inter Romanum Pontificem Stephanum, et Martyrem Cyprianum Carthaginensium Antistitem doctissimum de Baptismate haereticorum. Contendebat hic una cum Africanis Patribus, et cum Firmiliano Cappadociae Episcopo, rebaptizandos haereticos redeuntes ad sinum matris Ecclesiae abjuratis erroribus suis. Stephanus non modo non probabat horum sententiam, sed acriter sese opposuit et Cypriano, et Firmiliano, ut etiam Conciliis, quae in eadem sententia erant, statuendo, ut admitterentur poenitentes haeretici, quin denuo baptizarentur. In Concilio autem Nicaeno, cui ambo praesentes fuimus, definitum fuit (*a*), solos Paulianistas, seu Paulli Samosatensis Sectatores, haereticos ab Ecclesia damnatos, esse denuo baptizandos, cum depositis erroribus ad Ecclesiam veniebant. Ita *Canone*, ni fallor, 19. Quod si haeretici errores suos detestati prohibentur iterum baptizari cum reconciliantur Ecclesiae, multo minus licebit Catholicis jam baptizatis iterum baptizari.

§. 47. *EUSEBIUS*. Verissima narras, Imperator, et ostendis, quam versatus sis in rebus ad Ecclesiae disciplinam spectantibus. Nota mihi est Stephani definitio de non rebaptizandis haereticis; verum haec Stephani definitio nullius Generalis Concilii confirmatione roborata est, nec Fidei dogma, sed disciplinae habetur, quae diversa in diversis Ecclesiis esse potest, nec aliud decrevit Stephanus nisi *servandum quod traditum est*. Diversae autem sunt in diversis Ecclesiis traditiones, ut diversi sunt ritus, et mores, quin id officiat paci, et unitati. Nec forsitan Stephanus aliud habuit in animo decernere, quam hareticos non debere denuo baptizari, posseque sine novo Baptismate ad Ecclesiam redire. Illud novimus, post Stephani definitionem S. Cyprianum, et Africanos Patres, ut etiam complures Asiaticos cum Firmiliano in sua sententia perstitisse. Quin etiam nostro aevo Basilius Cappadociae, et Cyrillus Hierosolymorum Episcopi non dubitabant pro majori securitate haereticos omnes, qui suos errores da-

(*a*) Forsitan tunc Ariani nondum formam Baptismi mutaverant: quod postea teste S. Athanasio fecerunt, ob quod invalidum putat S. Athanasius Baptismum ab Arianis ministratum. Vide S. Athanasii *Serm. 3. contra Arianos*, ubi eorum Baptismi formulam exponit.

mnabant, iterum sacro lavacro lustrare, ut mittam a nonnullis tradi, S. Syxtum in Romana Cathedra Stephani Successorem rebaptizandos haereticos censuisse.

CONSTANTINUS Audio. Sed quid dicis ad objectum ex Nicaeno Concilio Generali?

§. 48. *EUSEBIUS*. Dico, a Nicaenis Patribus solum statutum Canone illo, non oportere alios haereticos praeter Paulianistas novo Baptismate tingi, quin definiatur, non posse aliis haereticis pro securitate novum Baptisma administrari. Quinimmo ex Nicaena illa definitione colligo, posse Catholicos Catholico ritu baptizatos iterum baptizari.

CONSTANTINUS. Non video, qua ratione colligere id valeas, et rem magnam praestabis, si id evincere possis, licet magno ingenio sis.

EUSEBIUS. Mihi videtur, salvo tuo judicio, Imperator, ex verbis Canonis nullo negotio evinci posse. His quippe vel praecipitur, vel permittitur, Paulianistas iterum baptizari. Porro multi ex Paulianistis fuerunt Catholico ritu baptizati, priusquam Samosateni errores amplecterentur, et *Canon* praefatus nullum discrimen facit inter Paulianistas a Paulianistis Baptismate initiatos, et inter alios, qui a Catholicis fuerant baptizati: quod aperte indicat, PP. in ea fuisse sententia, nonnunquam expedire pro majori securitate Sacramentum tam necessarium iterari.

§. 49. Quamobrem, Auguste, pro securiore salute animae tuae, quam vehementer opto, et ut purior spiritus tuus e corporis vinculis egrediatur, tibi auctor sum, ut novum Baptismi Lavacrum suscipias. Nam tu forsitan Romae parum adhuc instructus de virtute, et efficacia hujus Sacramenti, non tam animae, quam corporis saluti consulere voluisti suscipiendo Baptisma, ut nempe per illud a lepra, qua laborabas (si vera sunt quae audivi) mundareris. His addo, Baptisma, quo initiari sategisti, clam, et sine solemnitatibus ab Ecclesia praescriptis tibi fuisse ministratum. Hae solemnitates ad aedificationem fidelium, et Ethnicorum institutae, suppleri novo Baptismate possunt, et praeterea omnibus nunc fiet palam, te sacro Lavacro rite ablutum fuisse, si tot Episcopis, et Aulicis praesentibus cum debitis caeremoniis tibi Baptismus conferatur. Nonnulli enim, quoniam tibi Romae clanculum a Silvestro fuit collatus, id ignorant, ac multi vel dubitant, vel sibi persuadent, te nondum esse baptizatum. Hic autem secundus Baptismus (ut omnis tibi eximatur scrupulus) sub conditione conferri potest, et Baptisma

ma pro mortuis secundum Apostoli phrasim dici, eoque novus character animo tuo neutiquam imprimetur, si rite fueris Romae initiatus. Augebitur tamen gratia, et reatus omnis noxarum anteactae vitae vel levissimarum remittetur, quin opus sit, a reatu illo post excessum tuum igne expiatorio purgari; quo fiet, ut sine mora aeternam consequaris felicitatem.

COLLOQUII FINIS.

§. 50. Astutis hisce, et subdolis rationibus, in quibus vera falsis miscebat callidus Aulicus, et occultus Arianus Nicomediensis Praesul, persuasum fuisse, fatiscentibus vi morbi mentis, et corporis viribus, aeternae felicitatis cupientissimum Constantinum, renuntiatumque id Caesareensi Eusebio crediderim, si vera sint ea, quae hic narrat de Nicomediensi Baptismate in *Vita Constantini*. Haec autem dicta sint in gratiam eorum, qui Eusebio Caesareensi assensi sunt, quantumvis ea, quae antea exposui, ostendant tantum non evidenter, fidem, quod ad id attinet, non mereri, et Mythologum magis, quam Historicum hoc in facto egisse Caesareensem.

§. 51. Ad extremum quando quidem ego tam liberalem me adversariis praestiti, ut eis Nicomediense Constantini Baptisma donaverim licet narratum ab Ariano Praesule Caesareensi, quin ejus verba interpreter, et ad alium sensum traham antiquorum Scriptorum dicta, quae favere ei videntur; aequi bonique consulturos spero, quin mihi importuni, et parum moderati petitoris dicam scribant, si vicissim ab illis postulavero, ut subdititium, et rhetoricum magis, quam historicum putent Episodium, alloquium illud, quod Eusebius Constantino affingit ante, et post susceptum Baptisma: cum per illud, ut antea dixi, mendacem faciat, et infamet Constantinum, si falsa non sint quae de Constantino narrat in capitibus praecedentibus, et in Oratione ab ipso habita de laudibus Constantini, cum Constantinus integra valetudine fruebatur. Illud insuper meo jure posco, ut desinant violentis interpretationibus manifestas Eusebii contradictiones, et inter se pugnantes ejusdem sententias conciliare. Pro illis enim conciliandis afferre non possunt nec S. Hieronymi, nec Ambrosii, nec Patrum Ariminensium, nec aliorum antiquorum dicta, quae videntur Baptismati Nicomediensi suffragari, quin tamen Romanum negent.

§. 52. Ast repones: de hoc Romano nihil dicunt praefati

 illi

illi antiqui, et graves Scriptores, hocque fidem facit, et suadet, tale Baptisma, pro quo pugnant cum Annalium Ecclesiasticorum Patre multi, fuisse a Romanis confictum. Nunc redeunt quae a nobis dicta sunt; forsitan scilicet ab illis fuisse ignoratum, ut multa alia etiam publica S. Augustinus ignoravit, quae fortasse suppressa ab iis, quorum intererat ea ignorari. Vide num. 31. hujus *Dissert.*, ac insuper quis nescit Argumentum negativum nihil probare? quod in causa est, cur ego parum urgeam silentium Orosii narrantis mortem Constantini in Villa prope Nicomediam, quin meminerit tunc Baptismum suscepisse, neque urgeo silentium Rufini, et S. Augustini, qui de obitu, et divisione Imperii loquuntur, quin quidquam de Baptismo dicant.

§. 53. Haec mihi succurrerunt diu multumque cogitanti, quo tandem pacto possem oppositas sententias de Constantini M. Baptismate conciliare. Hoc namque factum historicum tot tantisque involutum est obscuritatibus, tam gravibus, tamque dissidentibus veterum Scriptorum testimoniis, tamque validis pro utraque parte rationibus propugnatum, et impugnatum, ut ad scepticismum, et dubium de hac re Philosophi nostri seculi, male in rem Christianam affecti, ad inficiandum utrumque Constantini Baptismum induci possint. Novimus illorum effraenam audaciam, qua ut se *Ingenia fortia* probent, certissima, et evidentissima in dubium vertunt, vel inficiari non verentur. Itaque operae pretium me facturum putavi, si ostenderem, Imperatorem de Ecclesia optime meritum, qui nempe eam tot persecutionibus tyrannice a praecedentibus Ethnicis Imperatoribus vexatam, et attritam, non modo in libertatem, et securum tranquillumque statum asseruit, sed et in magnum splendorem, et gloriam, frementibus Christianae religionis hostibus, evexit: si, inquam, ostenderem, non modo baptizatum fuisse, sed dubitari posse, an duplici Baptismate fuerit initiatus? altero absoluto, et legitimo, licet clam suscepto, ne odium Ethnicorum in se excitaret: altero multis praesentibus, et cum solemnitate sub conditione ei ministrato. Primo Romae, ubi Baptisterium ab ipso postea in perpetuam Baptismi a se illic suscepti memoriam magnifice extructum, et mirifice ornatum cernitur: secundo Nicomediae, seu in Villa Nicomediae proxima Achilone dicta, si falsa nobis Eusebius in *Constantini Vita* non narrarit.

§. 54. Quod si Eusebio assentientes pertinaces esse pergant in rejiciendo Romano Baptismate, ac in violenter interpretan-

tando dicta Eusebii inter se pugnantia, videant, quaeso, ne hac sua pertinacia multos inducant ad arbitrandum, sine Baptismo Constantinum M. e vivis excessisse, vel Arianorum sacrilego Baptismate initiatum fuisse, meque cogant interpretari, Eusebium de Baptismate poenitentiae locutum, seu de *Lavacro mystico lacrymarum*, quod in fine vitae una cum Eucharistia, et sacro infirmorum Oleo proculdubio suscepit ad expianda, et delenda peccata omnia per *arcanorum verborum efficaciam*, seu per sacramentalem absolutionem, ab Episcopis super ipsum manum imponentibus, et Sacramenti formam proferentibus impertitam. Nam Eusebius narrat, eum in fine vitae genuflexum, et humi procumbentem peccata sua confessum fuisse (quod ad Baptisma suscipiendum opus non erat), et arcanorum verborum efficacia se salutem aeternam consecuturum valde confisum fuisse. Satis enim obscure, et ambigue loquitur Eusebius de *sacro Lavacro* Constantini, quin in tota narratione Baptisma sub proprio vocabulo exprimatur: quod videtur consulto, et callide omisisse.

§. 55. Falsissimum autem reputo quod addit; ut a Constantino dictum post susceptum Baptisma, tunc nempe participem primum factum divinorum Mysteriorum, et nondum in Ecclesiam admissum, ut cum fidelibus oraret, nisi suscepto tunc sacro Lavacro, vitamque se Deo dignam, si diu vixerit, instituturum; cum hisce contraria Eusebius antea affirmarit: nec poterat Constantinus ea sine mendacio asserere, si vera nobis Eusebius in praecedentibus capitibus venditarit. Illud mihi mirari subit, tam confidenter ab Eusebio narrari eisdem Constantini verbis satis prolixum sermonem ante, et post Baptismum ad Episcopos, et Aulicos habitum, velut si illum ex ore Constantini Nicomediae audivisset, et illic chartae currenti calamo tradidisset: mirum, inquam, mihi est; cum ipse Baptismo praesens non fuerit, nec verba Constantini audierit: et brevem Constantini Sermonem ad Episcopos in convivio, cui ipse aderat, finita Nicaena Synodo, eisdem Constantini verbis, ne erraret, ausus non fuerit referre, sed solum *ipsismet fere verbis*, quibus se *exteriorem Episcopum* Imperator appellabat, litteris consignarit.

§. 56. Sed finis jam sit, cum sensum qualemcunque meum exposuerim de tam implicata Historica, et Theologica quaestione, seu de lite, quam multi contra Baronium jam decisam perperam censent. Praevideo, non defuturos Criticos, qui a me dicta acriter refellant, meque tamquam deploratae caussae Patronum sugillent. Non enim tam mihi placeo, ut

 ex-

existimem, dicta mea omnibus placitura, licet adversas litigantium partes conciliare studuerim (*a*). Interea benevole lector in Ecclesiastica Historia erudite, si tibi cordi sit oppositas Historicorum sententias de hoc argumento conciliare, oro te, ut invenire satagas verisimiliora, et potiora, illudque Horatii *Ep. 6. l. 1.* tibi meo nomine dictum sit:

Vive, vale, si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

APPENDIX.

LUcubrata hac Dissertatione in manus meas venit *Historia Vitae Constantini Magni* sermone Italo disertissime scripta, et accuratissime edita ab Hispano Barcinonensi Presbytero Francisco Gustà. Vir iste contubernalis olim meus, mihi carissimus, in *Examine Critico Baptismi Constantini*, licet a communi nunc temporis Criticorum opinione post Papebrochium recedere non audeat, fatetur conjecturas, et indicia omnia Baptismati Romano favere; praefert tamen testimonia tot virorum clarissimorum, qui Eusebio assentiuntur, indiciis, et conjecturis omnibus, quae pro Romano militant. Ast vellem secum reputasset, testimonia illa omnia uni testimonio Eusebii, suo tempore Historicorum Ecclesiasticorum principis, et viri doctissimi, sed partium studio servientis, niti. Semel autem vacillante tibicine isto, vacillat quidquid illi innititur, ut nutat aedificium, quod super fundamentum parum firmum constat constructum fuisse. Ostensum autem est, Eusebii testimonium in rebus, quae Arianismo favere possunt, valde suspectum, et infirmum esse. Conjecturae igitur hac in re magis probant quam testimonia, quae unico suspecto testi innituntur. Hanc ob rem, in Cataloniae foro criminali ea praxis obtinet in judicandis reis, (quam non ignorare arbitror doctissimum Catalanum *Vitae Constantini* Scriptorem) ut probato ex conjecturis, et indiciis, exem-

(a) Id me praestiturum spoponderam in *Specimine vet. Rom. litteraturae deperditae, vel latentis* Verbo *Constantinus*, si Historiam Ecclesiasticam scriberem.

exempli gratia, homicidio, vel gravioris summae furto, poena capitali reus plectatur, licet desint testes, et quin confessio patrati criminis a reo (*a*) tormentis extorqueatur. Quin immo, licet sint testes jurati de innocentia, si isti sint de falsitate suspecti, quia putantur vel odio, vel amore, vel mercede corrupti, vel quia sibi contradicunt; clarissimi Jurisconsulti Cataloniae censent, non tam rationem testium habendam, nisi si omnino constet mendacio immunes esse, quam conjecturarum, et indiciorum, quae saepe moralem certitudinem pariunt admissi criminis, de quo judicium ferri debet ad damnandum, et supplicio afficiendum reum. Merito igitur fatetur, se in angustiis, et vepretis esse, cum attente examinat narrata ab Eusebio, ac nescire se dicit, quo pacto solvi possint difficultates ex ejus narratione ortae, conaturque, ingeniosis quidem, sed violentis interpretationibus, (quibus etiam utuntur qui Eusebio, Baptismum Nicomediense testanti, credunt) nodum expedire. Si quid hac in re verba mea valerent, eum hortarer, ut ingenue fateretur secum pugnare Eusebium in praefata narratione, ac mendacem scriptorem se ostendere: proindeque ejus testimonium, cui innituntur tum ei proximi, tum posteriores nostri aevi Scriptores, nullius momenti esse. Illud miror in viris Critices regularum non ignaris, tantum momenti, et roboris eos tribuere dictis S. Ambrosii, qui videtur, Baptisma Nicomediae Constantino ministratum, affirmare. Quis enim ignorat, obiter dicta ab Oratoribus fidem historicam non mereri, maxime si Orator Historicus non sit? cum Oratores saepe dubiis, nonnunquam falsis, sed fama vulgatis, utantur in suis Orationibus: quod fecit S. Ambrosius in *Oratione* de *Obitu Theodosii*, cum obiter memorat Constantini Baptisma ab ipso in ultimis susceptum, per quod illi remissa fuerunt paccata. Constat autem Arianos per orbem sparsisse sub Constantio fabulosum illud Baptisma in fine vitae a Constantino susceptum. Profecto S. Doctor videri noluit Historicus in *Oratione illa*; cum eadem ostendat, se nescivisse, Philippum Arabem, Rom. Imperatorem multo ante Constantinum fuisse non modo affectu Christianum, sed et Baptismo initiatum. Constat insuper, eum parum accuratum fuisse in narratione inventionis sanctae Crucis per Helenam Matrem Constantini, quae inventio

(a) In Catalonia nemo torquetur, ut proprium crimen fateatur. Solum enim poena capitali plectendus est, torqueri solet, ut complices judicibus revelet, quod Practici appellant torqueri tanquam in corpore mortuo.

cto non sine miraculo insigni contigit, ignorato a S. Ambrosio, quantumvis lippis, atque tonsoribus Hierosolymis esset notum, et per orbem divulgatum: mitto, S. Ambrosium in praefata *Oratione* famae per Eusebium vulgatae servire voluisse, et ejus verba posse de Baptismo Poenitentiae, seu lacrymarum interpretari secundum illud Psalmi: *Amplius lava*, seu *baptiza me ab iniquitate mea*, *et a peccato meo munda me*. Superest nunc dicto S. Hieronymi affirmantis expressis verbis Nicomediense Baptisma Constantini, et addentis, fuisse a Nicomediensi Eusebio baptizatum, ac in Arianismum propendisse, cui dicto multum adversarii fidunt, respondere. Primum dici potest cum Baronio, et aliis, verba illa addita (forsitan ab Ariano) Hieronymi narrationi; cum certum sit, S. Athanasio teste, Constantinum usque ad mortem ab Ariano dogmate alienum fuisse, et in fide Nicaena obiisse. Dici etiam potest, verbis illis se fidum Eusebii Interpretem profiteri voluisse, cum ejus Graeca scripta in Latinum verterit, mentemque, et animum Eusebii exponere studuisse. Illud enim in primis cordi erat Eusebio, Arianis partibus addictissimo, ut vulgo persuasum esset, Constantinum a Coryphaeo Arianorum baptizatum, a fide Nicaena in vitae fine recessisse, et Arianam impietatem amplexum fuisse, quin S. Hieronymus sibi sumpserit, verumne, an falsum tradiderit Eusebius de Constantini Baptismate examinare. Haec, et alia partim indicata, et partim jam exposita in *Dissertatione* me moverunt ad recedendum a communiore hoc aevo Criticorum de Constantini Baptismate opinione, quin existimem, litem hanc jam decisam, ut putat novissimus Vitae Constantini eruditissimus Scriptor, nesciens, cum *Vitam* illam scriberet, quibus rationibus persuasus post tot ab ipso adducta testimonia, possim a communi nunc opiniones recedere, et fictam fabulam Nicomediense Constantini Baptisma reputare. Rationes exposui, quibus confictam fabulam tale Baptismum esse mihi videor demonstrasse: nisi si Eusebii narratio intelligenda sit de *Salutari Lavacro*, seu Baptismo lacrymarum, vel de Baptismo pro mortuis, de quo Divus Paullus, vel de Baptismo sub conditione, Constantino ab occulto Ariano misere decepto, pro majori securitate administrato; quo fieret, ut videretur ignaro populo, Constantinus in vitae fine Arianorum sacris fuisse initiatus, in Arianam Sectam propendisse, et Doctrinam Arianorum adprobasse. Mitto, a viris doctissimis Vivesio, Scaligero, Pontaco, Pagio, Scheltrate, Combefisio, aliis, qui multa exem-

xemplaris Chronicorum Eusebii, et Hieronymi examinarunt, et inter se contulerunt, diserte affirmari, ea innumeris mendis, et erroribus non modo in Chronologia, sed etiam in Historia scatere: in multis adeo interpolata, aucta, ac truncata esse, ut difficillimum sit ea emendare. Quod attinet ad *Epistolam* Patrum Ariminensium ad Constantinum missam, in qua putant adversarii Constantini Nicomediense Baptisma parum ante mortem susceptum apertissime indicari: indicavi jam magnam in Epistolae exemplaribus Graecis, et Latinis varietatem inveniri, ut fatentur etiam, qui pro Baptismo Nicomediensi pugnant. Mihi satis est, non solum Nannium, et Baronium, sed etiam Petavium primi subsellii Criticum, omni majorem exceptione, in *Dissertatione de Photino* allata *tom.2. Conciliorum* editionis Labbeanae, quae Parisiis prodiit, affirmare, secundo loco legi debere in ea Epistola *Constantem*, non *Constantinum*, deque Constantis, non Constantini obitu, et Baptismo Patres in ea *Epistola* loqui, cum jussu Constantis coacta fuerit post Sardicensem, Synodus Mediolanensis, de qua illic est sermo, et in qua Ursatius, et Valens, editis, et ostensis in Concilio Syngraphis, quibus Arianam haeresim abjurarunt, ne jussu Constantis sedibus suis privarentur (secundum ea, quae Patres in Concilio Sardicensi parum ante coacto decreverant) absoluti fuerunt, et in communionem recepti: eamque lectionem, quam probat, et affert Nannius, quamque in nonnullis antiquis Exemplaribus invenit, ceteris praeferendam, licet in aliis Codicibus nomen Constantini, oscitantia librariorum, ad contextum, et sensum Epistolae non attendentium, repetitum inveniatur. Perturbatus quippe sensus Epistolae, vel adversariis fatentibus, evadit, si *Constantinus* secundo loco positus dicatur; cum Synodus Mediolanensis non jussu Constantini jam defuncti, sed jussu Constantis Mediolani, et in Occidente imperantis, coacta fuerit, ut etiam Sardicensis parum ante celebrata, in quibus Fides Nicaena fuit confirmata, et a Constante Catholico Principe denuo promulgata. Patres autem Ariminenses, quae definita fuerunt sub Constantino Constantii Patre in Nicaena Synodo, primum Constantio exponunt, ne quid permittat innovari: deinde Fratris exemplum eidem proponunt dicentes, eandem fidem Nicaenam fuisse post Synodum Mediolanensem a fratre Constante promulgatam, et iniquum esse, novi aliquid in fide moliri, ut Ariani contendebant sub Constantio, ab illis decepto. Non multo post Mediolanense Concilium occisus fuit jussu Magnentii Tyranni in Gallia Constans Imperator, qui

mina-

stinaci Epistola ad fratrem Constantium impetraverat, ut S. Athanasius, S. Paullus Constantinopolitanus Episcopus, et alii Antistites Catholici exsulantes suis Sedibus in Oriente redderentur. Ac ut redeam ad *Epistolam* PP. Ariminensium, sive *Constans*, sive *Constantinus* in ea secundo loco legatur, quicunque attente legerit dictam *Epistolam* in S. Athanasii Operibus, quae nonnihil diversa eruitur ex S. Hilarii fragmentis, si bene ejus sensum expendat, colligere non poterit, Constantinum fuisse parum ante obitum baptizatum. Supervacaneum mihi videtur respondere iis, qui pro Nicomediensi Constantini Baptismate adducunt testimonium SS. MM. Joviani, et Herculiani in colloquio cum Juliano Apostata dicentium: Constantinum morti proximum *Testamentum* accepisse. Nemo enim Baptismum *Testamentum* appellavit, sed Eucharistiam, quam in fine Vitae proculdubio Constantinus accepit.



AD-

ADNOTATIONES

Respondentes §§, seu Numeris hujus Dissertationis.

Adnotatio 1. respondens §. seu Num. 2. in fine.

ORatio *a Constantino habita in Concilio Nicaeno ad coetum Sanctorum Praesulum in eo congregatorum, affertur ab Eusebio in* Vita Constantini; *verum a multis creditur, eam longiorem fuisse, et omissam partem aliquam ab Eusebio: forsitan eam, in qua se baptizatum, seu Christianum consummatum fuisse affirmabat Constantinus.*

Adnotatio 2. respondens §. seu Num. 3.

Alia minoris momenti spectantia ad Constantinum, quibus ipse interfuit, memorans Eusebius non praetermittit meminisse, vel indicare, se eis praesentem fuisse, ut cum narrat, Concilii Nicaeni Patres, finito Concilio, lauto convivio exceptos a Constantino fuisse, et allocutionem ad eos habitam ab Imperatore, eis commendando disciplinae Ecclesiasticae, et gregis curam.

Adnotatio altera respondens eidem Num. 3.

Photius, citato Gelasio Ciziceno Historico, tradit, Constantinum fuisse a Catholico Episcopo baptizatum. Si id verum, Constantinus non fuit a Nicomediensi Eusebio baptizatus. Nisi si dicamus, Gelasium non putasse tunc haereticum Eusebium, qui, ut erat insignis Politicus, vivente Constantino, Arianismum dissimulabat, ne Constantini gratiam denuo amitteret. S. Hieronymus in Chronico *eum haereticum reputabat, et sua haeresi Constantinum in fine vitae baptizando infecisse. Verum Baronius, et cum eo alii opinantur, ea verba addita* Chronico *Hieronymi, vel Hieronymum mentem, et sensum Eusebii Caesareensis, cujus interpres erat, indicare voluisse. Quam vitiata fuerint* Chronica *Eusebii, et S. Hieronymi, Critici non silent. Eos citat Auctor in* Appendice.

Ad-

Adnotatio 4. respondens §. seu Num. 4. et Num. 52. in fine.

Orosius videtur (*quod ad Baptismum Nicomediense Constantini attinet*) *fidem Eusebio illud narranti non adhibuisse. Etenim* lib. 7. cap. 28. *suae* Historiae *narrans mortem Constantini in Villa Nicomediae proxima, nec verbum quidem de Baptismo illic suscepto facit. Dicit solum, cum pararet bellum in Persas obiisse, et ante obitum Imperium inter filios divisisse. Si credidisset Eusebio, rem tam notabilem, et illius loci non siluisset. Idem silentium animadverto in Ruffino, qui* Historiam Ecclesiasticam Eusebii *a se in latinum conversam nobis dedit, binisque libris ex proprio eam auxit, cum de Constantini obitu, qui prope Nicomediam accidit, loquitur: quod indicat, fabulam ab Arianis confictam tale* Baptisma *existimasse. Commentitium demum illud reputasse S. Augustinum baud temere dixerim. Memorans namque S. Doctor Constantini M. e vivis in senectute excessum, et ab eodem morti proximo inter filios divisum Imperium, de Baptismate tunc suscepto nullam mentionem facit. Vide S. Augustinum* de Civitate Dei lib. 5. c. 24.

Si ego eorum opinioni assentirer, qui dicunt, Eusebium Caesareensem post ejuratum in Nicaeno Concilio Arii dogma, Virum Catholicum, veridicum, et sanctum etiam fuisse, dicerem, Eusebium lucubrasse Vitae Constantini Historiam; *verum ab eo editam non fuisse, sed a discipulo suo Acacio Lusco, eloquenti, et impudentissimo Ariano, cum Arianis sub Constantio omnia ad votum contingebant, tuncque ab eo additam stylo Eusebiano fabulam de Constantini M. Nicomediensi* Baptismate, *non animadversis iis, quae Eusebius de Constantino, optimo, et consummato Christiano, atque adeo baptizato, multo antea narrarat tum in* Actis S. Silvestri, *tum in* Vita Constantini. *Ut verum fatear, ex doctissimis ejus scriptis, quorum multa non parum Ecclesiae profuerunt, vix colligi potest, eum Arianum fuisse, nisi forsitan ex eo quod voce* Consubstantialis *Latina, aut Graeca ei respondente, de Filio, seu Verbo Divino loquens, nunquam utatur. Optabat nempe, Scripta sua et Catholicis, et Arianis probari. Ejus tamen Acta contra S. Athanasium, et alios Episcopos Arianismum impugnantes sub Constantino, et Constantio, hominis Arianismum in corde tectum satis indicant. In nonnullis Ecclesiis Galliarum ei religiosus cultus fuit olim tributus, sed forsitan coli coepit cum Ariani per totum Orbem sub Constan-*

tio,

tio, et Valente dominabantur. Qui legerit in Valesii editione Vitae Constantini *ab Eusebio lucubratae testimonia, quae producuntur pro et contra Eusebium, quique item legerit Opera ab eo edita pro Christiana Religione, noveritque, quantum nocuerit S. Athanasio, Nicaenae fidei strenuo Assertori, forsitan de Eusebio dicet, quod de praecipuo quodam Administro Regis* N. *insigni politico dictum olim fuit:* Tot nempe mala patrasse, ut de eo bene loqui nequeamus: tot bona, ut de eo male arbitrari non possimus.

Adnotatio 5. respondens §. seu Num. 6. in fine.

Ariani sub Constantio impudentissime divulgarant, S. Antonium Abbatem, sanctitatis, et miraculorum fama celebrem, cujus orationes pro se, et filiis per litteras ad eum directas exposcebat Constantinus Magnus, cum Arianis sentire: quod coegit S. Antonium solitudinem relinquere, et Alexandriam se conferre ad mendacia, et calumniam Arianorum apud Alexandrinos confundenda. Aequali impudentia publicarunt, Liberium Rom. Pontificem, S. Lucianum Martyrem, Hosium Cordubensem Praesulem, Patrem Conciliorum, Constantino M. et S. Silvestro Papae carissimum, a Nicaena fide defecisse. Tandem sub eodem Constantio, jam Ariano, ejus Patrem Constantinum infamarunt tanquam Arianum: quod verisimile nonnihil reddebant, affirmantes, fuisse in fine vitae ab Eusebio Nicomediensi Arianorum Coryphaeo vel baptizatum, vel rebaptizatum. Ita S. Theophanes Graphus.

Adnotatio 6. respondens §. seu Num. 7.

Ariani summopere studuerant, mortuo Constantino, Canones Nicaenae Synodi obscurare, et ignotos reddere, Synodi Exemplaria, quae invenire poterant, vel vitiando, vel comburendo. Maxime laboratum est, inquit Sozomenus l. 4. c. 25. *Hist. Tripart.* ut omnes in oblivionem Decretorum Concilii Nicaeni adducerentur. *Revera nunc pauci admodum Canones Nicaeni leguntur, et constat ex S. Athanasio, et Ecclesiasticis Historicis, multo plures conditos fuisse, licet forsitan non tot, quot recensentur in Arabico Exemplari, quod diligentissimus in quaerendis antiquis Exemplaribus olim latentibus, Franciscus Turrianus, in Tridentina Synodo Theologus Pontificius, produxit, ac in latinum verti curavit: quod* Exemplar *Arabicum Abraham Ecchellensis, doctus Maronita, probavit. In hoc*

Exem-

Exemplari est Canon *de modo recipiendi Arianos ad fidem conversos*, *qui* Canon *non parum displicebat Arianis*, *illosque ad iram*, *et livorem maxime excitavit*. *Sozomenus in sua* Historia *narrat*, *etiam vivente Constantino*, Exemplar Actorum *in Concilio Nicaeno Imperatori traditum corrupisse Eusebium Nicomed. et Theognidem*, *Nicaenum Praesulem*, *deletis suis subscriptionibus: quod fecerunt fraude decepto eo*, *cui custodiendum tradiderat libellum Imperator: sic ferri ait Sozomenus* lib. 2. cap. 20. *Hist. Tripartitae*.

Adnotatio 7. respondens §. seu Num. 8.

Presbyter innominatus, *ob simulatam suam pietatem Constantino*, *et Constantiae sorori Constantini valde carus*, *fuisse dicitur Acacius Luscus*, *de quo verbo* Acacius *in* Lexico, *qui errore forsitan typographico in* Hist. Tripartita *a Sozomeno* Agapius *appellatur*. *Huic credidit Testamentum suum Constantinus*, *quod vitiatum attulit ad Constantium post Constantini obitum*, *et hoc ipso Constantium sibi et Arianorum partibus conciliavit*, *ut dictum est verbo* Acacius *in* Lexico.

Adnotatio 8. respondens §. seu Num. 9.

Clarissimus Emmanuel de Azevedo, *Ex-Jesuita Lusitanus*, *multis doctis Operibus notus*, Dissert. *lucubratam habet*, *sed nondum editam*, *qua probare nititur*, *Philippos Arabes Christianos non fuisse*. *Quibus rationibus? ignoro*. *In* Actis SS. *Bollandianis leguntur* Acta S. Pontiani, *qui Philippum Arabem ad Christum traxit sermone ad illum habito*, *qui illic legi potest*. Acta *ista probari videntur*, *ut legitima*, *ab Agiographo ea producente in* Actis *SS. Bollandianis*.

Adnotatio 9. respondens §. seu Num. 10.

Multi praeter nominatos ex Catholicis Episcopis fuerunt ab Arianis vexati, *inter quos recensentur Paullus Episcopus Constantinopolitanus*, *qui ab Arianis in exsilio occisus fuit*, *Asclepas*, *Gazae Praesul*, *Marcellus Ancyranus*, *Liberius Papa*, *S.Hilarius*, *S. Eusebius Vercellensis*, *qui omnes sede sua privati*, *exsilio multati fuerunt*. *S. Athanasius saepe quaesitus fuit*, *ut eum occiderent*, *sed Dei providentia servatus fuit*. *Nonnullos crudeliter ab Arianis interemtos narrant Historici* prae-

ter

ter temeratas conjuges, virgines profanatas, monasteria demolita, disturbatos clericos, verberatos levitas, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla cet. *Vide Vincentium Lirinensem in* Commonitorio, *qui haec, et alia ab Arianis inique, et spiritu Diabolico patrata contra Catholicos deplorat.*

Adnotatio 10. respondens §. seu Num. 11.

Quantum curarit Eusebius ostendere, Constantinum bene affectum erga se fuisse, satis apparet ex multis, quae narrat in Vita Constantini. *Inter alia affert Constantini* Epistolam (*quam nonnulli ab ipso confictam putant*), *qua eum laudat, eo quod recusarit Antiochenum Patriarchatum sibi oblatum, ne violaret Disciplinam Ecclesiasticam, quae non permittit relinqui ab Episcopo propriam Ecclesiam, ut ad ditiorem, et illustriorem gradum faciat. Item dum memorat, se jussu Imperatoris varias* Orationes *habuisse coram ipso, et alias eo absente in laudem ejusdem recitasse. Memorat etiam ab aliis Episcopis Orationes habitas, quin promat Oratorum nomina, quae silentio premere non debebat Historicus non invidens aliorum gloriae, et suae nimium studiosus. Invidebat S. Eustathio, qui* Orationem *Gratiarum Actionis ad Constantinum in Nicaena Synodo habuerat, nunquam de eo mentionem faciens, quia Vir doctissimus Arianum dogma acriter refutabat una cum S. Athanasio.*

Adnotatio 11. respondens §. seu Num. 13.

Non desunt Historici, qui aliter referunt adventum improvisum Arsenii ad S. Athanasium calumniis Arianorum, postera die in Tyri Conciliabula responsurum, et innocentiam ostensurum. Hic Arsenius, cujus brachium dicebatur excisum, fuerat Lector S. Athanasii, a quo recesserat, et frequentiae se subtraxerat, quia ab Athanasio ob culpam aliquam corripi verebatur. Ita Ruffinus Continuator Hist. Eccl Eusebii lib. 10. cap. 17. *Arsenio se sistente cum Athanasio coram Conciliabulo, non sine dedecore, et infamia calumniatorum, Athanasii innocentia omnibus innotuit, quin tamen a damnando Athanasio desisterent impii illi Episcopi Ariani, quibus Caesareensis Eusebius praesidebat. Arsenius, quem Rufinus* Lectorem *Athanasii fuisse tradit, in Baronii* Epitome *a Joan. Gabriele Bisciola Jesuita Mutinensi facta,* Episcopus *dicitur: et sic proculdubio a Baronio, quem ad manum non*

habito, tradi, ut etiam ab aliis Historicis fas est existimare. Illud peccat Rufinus, quod Tyri Conciliabulum praefatum a Constantio post Patris obitum coactum narrat.

Adnotatio 12. respondens §. seu Num. 15.

Ariani sub Constantio S. Athanasium accusarunt, quod commercium haberet cum Magnentio Tyranno, qui Constantem fratrem Constantii occidit, a qua calumnia se vindicat S. Athanasius in Apologia *pro se.*

Adnotatio 13. respondens §. seu Num. 16.

Nicephorus, et cum eo Baronius, Bellarminus, Labbaeus opinantur, Socratem Novatianum fuisse. Valesius in Vita Socratis, *licet fateatur in nonnullis narrandis favere Novatianis, Catholicum eum arbitratur.*

Adnotatio 14. respondens §. seu Num. 17.

Perperam nonnulli Critici opinantur, Arianos ante persecutionem Wandalicam Catholicos non rebaptizasse, cum ad eos transibant. Perperam, inquam, quia Donatistae, cum quibus foedus icerant Ariani, quique veri Ariani erant, cum Filium divinum Patre minorem assererent, Catholicos, qui ad eos accedebant, semper rebaptizabant, et Presbyteros iterum ordinabant. De Auxentio Ariano Mediolanensi Pseudo-Episcopo rebaptizasse Catholicos factos Arianos testatur S. Ambrosius in Sermone adversus Edictum Valentiniani Secundi de tradendis Basilicis, *qui ante Wandalicam persecutionem scribebat, et in nonnullis Exemplaribus* Chronici *vel Eusebii, vel S. Hieronymi legitur* Constantinus rebaptizatus. *Rebaptizatus quin etiam a multis dicitur Constantius Imperator ab Euzojo Ariano Episcopo, adduntque nonnulli rebaptizare fuisse dogma Arianorum putantium Baptisma Catholicorum invalidum, ut etiam sacra alia, adhibuisseque in Baptismo formam diversam a forma Catholicorum, ut non obscure indicat S. Athanasius improbans eorum Baptisma, quia sub forma haeretica administratum. Tandem S. Augustinus in* lib. de Haeresibus c. 48. *ait:* Ab Arianis rebaptizari Catholicos novimus. Utrum et non Catholicos? nescio.

Ad-

Adnotatio 15. respondens §. seu Num. 19.

Alii affirmant, Constantinum hortatu S. Helenae matris suae Christianam Religionem, in quam a puero jam bene affectus erat, amplexum fuisse. Noverat enim, patrem suum Constantium Chlorum Christianis favisse: in Provinciis sibi subjectis vexari Christi asseclas vetasse, et in palatio suo solos Christianos Aulicos habuisse, ejectis Ethnicis prudenti stratagemate, quod Historici Ecclesiastici narrant.

Adnotatio altera respondens §. seu Num. 19.

S. Augustinus Tract. in Joannem *post initium de Nicodemo, et Catechumenis loquens ait, Christum Catechumeno non se credere: et si Catechumenum interrogemus, an manducet carnem filii hominis, et bibat ejus sanguinem? non capere quid dicamus. Item* Tract. 96. in Joan. *ait, Catechumenis Sacramenta fidelium non prodi. In* Epist. Synodica *Alexandrina apud S. Athanasium* Apologia 2. *haec leguntur:* Non fas est mysteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea subsannent, aut Catechumeni per curiositatem scandalizentur. *Haec Ecclesiae disciplina nititur verbis Christi Matth. 7. ubi dicitur Sancta non esse porrigenda canibus, nec margaritas mittendas ante porcos. Vide* Conc. Carthag. 3. Can. 5.

Adnotatio 17. respondens §. seu Num. 21.

Si Episcopi non monuissent Constantinum de obligatione recipiendi Baptismum quamprimum, vel de eo non differendo, cum periculo amittendae aeternae salutis, proditores fuissent conscientiae Constantini, seu parum solliciti de ejus aeterna felicitate, seque in eum ingratissimos praestitissent, et crudelissimos: quod cogitare de Sanctis illius aevi Episcopis nefas esset.

Adnotatio altera respondens §. seu Num. 21.

Antiqui SS. Patres, et Ecclesiae Doctores, nixi praecepto Christi de recipiendo Baptismo, et exemplo ac praxi Apostolorum, nunquam probarunt Baptismi dilationem in iis, qui dogmatibus Christianae Religionis essent instructi. Vide Matthaei cap. 28. v. 19. *Marci* 16. v. 16. *Joan.* c. 3. v. 5.

Acta Apost. 16. v. 15. et v. 33. Item ubi de Baptismo Eunuchi per S. Philippum.

Adnotatio 19. respondens Num. seu §. 25.

Depingi voluit Constantinus cum Dracone sub pedibus, seu cum Daemone a se devicto: quod non nisi ridicule sic depingi adhuc Romae degens voluisset, si ipse sub Daemonis potestate fuisset, nondum baptizatus. His addo, eum in Epist. *qua ad pacem hortatur S. Alexandrum, Alexandrinum Episcopum, et Arium, ante Nicaenum Concilium scripta, testari, se dies tranquillos, noctesque securas habuisse cum jucunditate puri luminis, et vitae jam quietae apud se laetitia: quam laetitiam sibi eripi per discordias circa dogmata Christianae Religionis. Hanc tranquillitatem, hanc securitatem puri luminis, hanc jucunditatem, et animi laetitiam neutiquam habere poterat homo, non solum originali peccato, sed multis aliis sceleribus contaminatus, nondum ab illis per Baptisma purgatus. Quam enim securitatem, quam jucunditatem, quam tranquillitatem, et laetitiam habere poterat, cogitans periculum moriendi sine Baptismo, et non assequendae aeternae felicitatis?*

Adnotatio 20. respondens §. seu Num. 27.

Nota sunt bella, aleae plena, quae gessit contra Maxentium, Licinium, et alios hostes Imperii, feliciter pugnata: quam in bellis felicitatem non propriae virtuti, et artis militaris peritiae, sed Deo Auctori adscribebat piissimus Imperator. Tot autem periculis se commisisse moriendi sine Baptismo, credibile non est de Imperatore aeternae felicitatis adipiscendae cupientissimo, qui non ignorabat dictum Christi ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit *cet. nec illud Apostoli* Actorum Apost. cap. 2. v. 38. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum: *nec demum illud* Eccles. 5. v. 8. Ne tardes converti *cet.*

Adnotatio 21. respondens §. seu Num. 29.

Qui arbitrantur, Episcopos indulgentia quadam uti voluisse cum Imperatore de Ecclesia optime merito, cum in Baptismi dilatione, tum etiam in permittendis ei Oratione, et Mysteriorum in templis participatione cum ceteris fidelibus,

non

non animadvertunt, hoc ipso Episcopos reos agere violatae disciplinae Ecclesiasticae, quam Constantinus ipse summopere sartam tectam optabat, et Episcopis commendabat: reos item facere vilis assentationis, qua in re maximi momenti Constantinum decipiebant, et ei nocebant. Neque meminerunt, quid cum Philippo Arabe jam Christiano actum sit a loci Episcopo. Is enim in sollemni Paschatis festo interesse Sacrificio, et Mysteriorum participem fieri Imperatorem non permisit, nisi prius confiteretur peccata sua, et inter poenitentes staret, ac per poenitentiam peccata ei dimissa essent: quae omnia praestitit, teste Eusebio Hist. Eccl. cap. 25. *Demum non meminerunt, qua ratione se gesserit S. Ambrosius cum M. Theodosio Imperatore, de Ecclesia optime merito, cui non permisit Ecclesiam ingredi post caedem Thessalonicensem, nisi post actam poenitentiam de injusta nece innocentium, ejus jussu patrata cum fidelium, et infidelium scandalo.*

Adnotatio 22. respondens §. seu Num. 30.

Traditio Ecclesiarum in rebus antiquis, et in Historia *dubiis magni momenti habetur ad factum aliquod firmandum: et multa inter Catholicos certissima habentur ex sola Traditione. In* Opere *inscripto:* Nomina, et Acta Episcoporum Barcinonensium ad Historiae, et Chronologiae rationem revocata, *quod Auctor hujus* Lexici *Barcinone jussu, et sub auspiciis Barcinonensis Episcopi doctissimi DD. Ascensii Salesii edidit, multa tradit de Traditionis antiquae auctoritate ex Jurisconsultis, et Criticis, praesertim in prolixa* Dissertatione *contra Cl. Gregorium Majansium, qua ostendit, S.* Severum M. *Episcopum Barcinonensem fuisse, et diversum omnino a* S. Severo *Ravennatum Antistite.*

Adnotatio 23. eidem Num. respondens.

Syri etiam ex suis antiquis Historiis *Baptisma Constantini Romae susceptum, et per ejus lavacrum a lepra fuisse divinitus mundatum pro certo habent. Ita Cl. Assemanus, et Echellensis. Communis item apud Armenos fuit haec persuasio ex antiquissimis* Historiis *suis. Quod indicat,* Acta S. Silvestri *apud ipsos pro legitimis habita, quod ad Baptismum Constantini attinet: nec puto, tunc corrupta fuisse, cum* Historiae *praefatae scriptae fuerunt ante Gelasium Papam, qui ea* Acta *probavit in Concilio multorum Episcoporum. Ne ve-*

ro Lector desideret Syrorum antiqua testimonia, noverit, Cl. Assemanum in Bibliotheca sua Orientali citare Scripta Syriaca S. Jacobi Sarugensis, Batnarum in Mesopotamia Episcopi, cognomento Doctoris, in quibus haec verba latine reddita leguntur: De Constantino Imperatore, et de leprae ejus mundatione. Jesu, qui intuentibus te lux magna es cet. quae ex Actis S. Silvestri, ait Assemanus, desumpta videntur, in quibus narrat S. Jacobus, Constantinum leprae curandae caussa Baptismum suscepisse. Idem testatur, a Syris ex Historia Constantini ad an. Abrahae 2322. produci quidquid ad lepram, et Baptismum Constantini spectat. De Armenorum persuasione, et cum Syris consensu nihil opus est dicere, cum in §. 32. Dissert. afferatur testimonium Mosis Choronensis, Armenorum Historici, qui florebat multo ante Gelasii Pontificatum, ut etiam Agathangelus, multo antiquior, quique, ut puto, vivente Constantino, scribebat, quem Choronensis citat. Vide Agathangelus in A hujus Lexici.

Adnotatio 24. respondens §. seu Num. 31.

Sunt qui dicant, S. Silvestri Acta Graece primum scripta, et edita ab Eusebio Caesareensi, cum nondum Arianus erat: et idcirco non esse ausum in Vita Constantini negare Baptisma Romanum, et ambiguis verbis narrasse Nicomediense. Vide Henricum Valesium in testimoniis, quae affert de Operibus Eusebii Caesareensis, ante Hist. Ecclesiasticam, et Vitam Constantini in nova editione.

Adnotatio 25. respondens §. seu Num. 34.

Ex Levitici Legibus de leprosis, et variis leprae speciebus, et ex Evang. Historia, innotescit, complures leprosos inter Hebraeos fuisse. In Evangelio narratur, 10. lepra infectos fuisse a Christo simul sanatos, quibus Christus praecepit, Sacerdotibus se sistere.

Adnotatio 26. eidem Num. 34. respondens.

De S. Constantiae lepra, vide Acta SS. Bollandiana in Festo S. Agnetis diebus 21. et 28. Januarii, et in Vita S. Constantiae die 18. Februarii illic fit mentio Actorum S. Joannis, et Paulli Martyrum sub Juliano Apostata, scriptorum, ut creditur, a Terentiano.

Ad-

Adnotatio 27. respondens §. seu Num. 35.

Circa apparitionem signi sanctae Crucis, Constantino factam ante praelium cum Maxentio, in quo signo promissa fuit Constantino victoria, in circumstantiis est magna varietas inter Historicos. Sunt qui signum illud visum a Constantino in Galliis tradant. Alii dicunt, visum parum ante pugnam. Sunt qui in Sole visum narrent. Sunt qui in aere; quin tamen saniores Critici apparitionem illam negent.

Adnotatio 28. eidem Num. respondens.

Vide in Actis SS. *Bollandianis* Festum Inventionis S. Crucis, *et* Vitam S. Helenae, *ubi leguntur testimonia S. Ambrosii, S. Gregorii Nazianzeni, et S. Paulini Nolani de* Inventione S. Crucis *inter se pugnantia, et parum veritati consentanea ex ignorantia rerum, quae in ea contigerunt.*

Adnotatio 29. respondens Num. 38.

Saepe conjecturae, et indicia in factis a nostro aevo remotis, et obscuris, sunt testimoniis potiora, et moralem certitudinem pariunt: praesertim cum pro et contra factum testimonia adducuntur eorum, qui parti suae servire velle videntur, vel parum veraces in aliis sunt.

Adnotatio 30. respondens §. seu Num. 41.

De hoc Acacio, *vide dicta in* Lexico *littera* A: *quibus addo, eum, mortuis Eusebiis, Coryphaeum Arianorum fuisse, et abutentem gratia Constantii multa mala Catholicis intulisse, ac non parum sategisse, ut ab hominum memoria exciderent Decreta Nicaeni Concilii, nec immerito propterea damnatum fuisse in Concilio Sardicensi Generali. De eodem dicitur, in Testamento Constantini nonnulla mutasse, ut Orientis Imperium destinatum Constantino, fratri natu majori inter Constantini M. filios, in Constantium recideret: quo sibi gratiam Constantii conciliaret, et omnia in Oriente misceret in favorem Arianorum.*

Adnotatio 31. respondens §. seu Num. 49.

Eusebius Nicomed. se sub Constantino M. Catholicum simulans, licet mente, et corde Arianus esset, ausus non est dicere Constantino Baptismum a Catholico Ministro collatum sub forma Catholica irritum esse: quod postea sub Constantio Ariano palam asserebant Ariani, et hac persuasione imbutus Constantius, ritu Catholico jam baptizatus, ad novum Baptismum recipiendum inductus fuit. Vide Librum Pontificalem in Liberio *Papa. Vide item eundem* Librum, *et* Catalogum secundum Pontificum Romanorum, in Felice, *et hujus* Acta *apud Mombritium.*

Adnotatio 32. respondens Num. 51.

Arianum fuisse Eusebium Caesareensem post Nicaenum Concilium, in quo abjuravit Arianam haeresim: fuisse etiam Origenistam affirmat S. Hieronymus contra Ruffinum scribens. Idem testantur Scriptores alii antiqui, cum Graeci, tum Latini. Quin etiam, damnatum fuisse constat a Concilio Nicaeno secundo, ut Iconomachum propter Epistolam quandam, scriptam ab eo ad Constantiam Constantini sororem Arianam, licet alii eam tribuant Acacio Lusco, ad omnem impietatem audacissimo. Ea Epistola legitur in Historia Tripartita.

Adnotatio 33. respondens §. seu Num. 53.

Miraeus testatur, in antiquo Chronico S. Hieronymi *manuscripto, quod* Mariani *appellat, legi:* Constantius extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatus. *In* Chronico *antiquo manuscripto Alcobacensi ait Pontacus pro* Constantinus *legi* Constantius: *In* Chronico *Lodonensi legi*: Eusebius in Arianismum dogma declinat *pro* Constantinus in *cet. Ex quibus cernere est, quam vitiata a Librariis fuerint Exemplaria praefati* Chronici.

Adnotatio 34. respondens §. seu Num. 54.

Mirum videri potest, quod Eusebius minutissima alia narrans in Vita Constantini *nihil dicat de sacro Viatico et Extrema Unctione a Constantino susceptis in fine vitae: saltem id aperte non refert Eusebius: quod omittere non debebat fi-*

de-

dellis Historicus Vitae, et Mortis Constantini. Solum narrat, Lavacrum *ab ipso susceptum. Nicephorus* lib. 7. c. 35. *suae* Historiae *ait, Arianos animo, et consilio diabolico confinxisse, non Romae fuisse, sed Nicomediae baptizatum Constantinum asserentes, aut fortasse eadem cum illis sensisse adstruentes, perinde atque ab ipsis Baptismi gratiam susceperit: quod absurditatis, et mendacii plenum est. Ita Nicephorus in* Prologo *ad* Acta S. Silvestri *ex Graeco in Latinum versa, adducto a Valesio. Excusatur a Traductore Eusebius, quod in Historia Ecclesiastica plura omiserit, quae videbantur ad eam spectare, dicendo omisisse ea, quae in aliis Opusculis suis tradiderat, vel quae meminerat, se jam tradidisse. Inter alia mentionem facit Operis, quo ab Apostolo Petro omnium Episcoporum nomina, et gesta conscripsit, et earum urbium, quae arcem Pontificatus per Apostolicas Sedes habere noscuntur.* Urbs Roma, Antiochia *cet.* Harum Urbium, *inquit*, Episcoporum omnium praeteritorum usque ad tempus suum Graeco sermone conscripsit. Ex quorum numero unum Episcoporum Urbis Romae S. Silvestrum me de Graeco in Latinum transferre praecepisti. *Haec in* Prologo *Interpres Latinus* Actorum S. Silvestri, *in quibus Constantini Baptismus, et multa, quae Constantinus Romae gessit, narrantur praetermissa ab Eusebio in* Historia Ecclesiastica, *ne crambem recoqueret. Haec Acta ante Gelasium in Ecclesiis legi solita, ut dixi* Annotatione 23. *vitiata non erant, et eis utebantur, praeter Occidentales, et alios Orientales, in suis Ecclesiis, Syri, et Armeni, ut etiam, secundum vetus Martyrologium Alexandrinum, citatum ab Echellensi, Melchitae Catholici, qui cum Armenis, et Syris circa Baptismum Romanum Constantini sentiebant. Id testantur Historici Syri, et Armeni, qui ante Gelasium meminerunt de Constantini Baptismate, deque lepra ejusdem, a qua per Sacrum Lavacrum sanatus fuit: quorum testimonia partim adduxi* Annot. 23. *partim Auctor in Corpore* Dissertationis, *eaque nixa proculdubio S. Silvestri Actis ab eis lectis, licet non citentur, et ex eis desumpta fuerunt. Non est igitur, cur Baronii Impugnatores sibi plaudant, et ante victoriam triumphum canant, eo quod* Acta S. Silvestri, *ex quibus Constantini Romanus Baptismus habetur, nunc vitiata legantur, Baronio etiam id fatente; nam Baronius, et qui cum eo sentiunt, nunquam dabunt, ea, quod attinet ad Baptismum Constantini, et a lepra miraculosam sanitatem, per Baptismum a Deo impetratam, vitiata fuisse. Non enim, puto, contendent adversarii, Scripturam aliquam vitiari non posse,*

se, quin omnia in ea narrata, ut falsa rejiciantur. Juvat hic, quoniam Eusebius putatur Acta S. Silvestri *Graece scripsisse, eaque ab ignoto Scriptore in latinum versa fuisse, quae versio post Gelasium corrupta legitur; juvat, inquam, nonnulla Opera Eusebii, quae desiderantur, et ab Auctore in* Specimine, *et hoc* Lexico *praetermissa sunt, referre, quae a Photio recensentur. Talia sunt* Evangelicae Praeparationis libri 15.: Evangelicae Demonstrationis libri 20. *quorum solum decem leguntur. Item Eusebii nomine editi fuerunt Libri* Ecclesiasticae Praeparationis, *et* Ecclesiasticae Demonstrationis: *de quibus Operibus Andreas Schottus, Jesuita Belga (is erat Magni Ant. Augustini Tarraconensis Archiepiscopi familiaris, et in edendis ejus Operibus Graecis, et Latinis adjutor) in* Notis ad Photium, *quem e Graeco in Latinum vertit, ait intercidisse. De his Operibus S. Hieronymus non meminit. Arbitror etiam, intercidisse varias* Orationes *ab Eusebio habitas, quas ipse memorat in Operibus, quae leguntur. Ut verum fatear, mirum mihi non esset, quod nonnulla Opera post Eusebium prodierint cum Eusebii Pamphili nomine, quae Eusebii non erant, ut nonnemini visum est. Editores enim illorum Operum existimare poterant, in pretio futuras eas Lucubrationes, si Eusebii, viri fama doctrinae celebris nomine decoratae in lucem ederentur. Circa id enim non admodum religiosi fuisse mihi quidem antiqui videntur.*

DIS-

DISSERTATIO III.

HISTORICO-THEOLOGICA.

Utrum Christiani Imperatores primis Ecclesiae seculis violatores fuerint Christianae professionis, sibi arrogantes Pontificatum Maximum Ethnicorum, vel hujus titulum, et insignia non repudiantes?

§. I. NORUNT, qui in Ecclesiastica, et profana Romanorum Historia peregrini non sunt, Romanos Imperatores post C. Jul. Caesarem in summo Imperio constitutos, ejus exemplo praecipuos Reipub. Magistratus sibi arrogasse, et Imperatoriae dignitati adjunxisse, itaut non solum Tribunitiam, Censoriam, Consularem, ac Proconsularem potestatem, in se transtulerint; sed etiam Pontificatum Maximum, ut Populum universum religionis vinculo sibi obstrictum, et obsequentem haberent. Titulos hosce omnes, et munia, quae in numismatibus, et marmoreis Inscriptionibus, Imperatoribus attributa cernuntur, sibi a Populo, et Senatu collata, praesertim post legem, *Regiam* dictam, praedicabant. His Potestatibus, et muniis Imperatori attributis, nemini licebat ab ejus voluntate, et imperio se subtrahere. Neque enim Senatus decernere quicquam poterat, quod ei probatum non esset, nec Populus legem, aut scitum ullum novum ferre, aut antiqua Plebiscita, Legesque abrogare, nec ad Magistratus, eo non consentiente, Candidatos promovere: uno verbo, quae olim Populi, et Senatus, tunc unius Imperatoris arbitrio gerebantur, ejusdemque potestati subjecta erant. Hanc potentiam ut tuerentur, qua Populi, et Senatus libertas oppressa erat, vel potius penitus extincta, valde sibi addictos et milites, et militiae Praefectos habere profusis largitionibus, Politicae artis non ignari, Romani Imperatores satagebant: quo fiebat, ut militum armis muniti in officio, et obedientia, cum Senatum, tum Sacerdotum Collegia, tum etiam Populum universum continerent, adeo ut, licet Re-

gis.

gis, Dictatoris, et Domini nomina, Romanis invisa, repudiarent, nec ea assumere auderent, Reges, Monarchae, ac Domini revera essent, Regiaque, seu Dictatoria potestate, qua nulla major, uterentur.

§. 2. Ipsi nempe assumtorum Magistratuum jure, et Senatum habebant, et de negotiis referebant, et Senatus-Consulta firmabant, vel eisdem intercedebant. Eodem summae potestatis jure novos Senatores creabant, milites conscribebant, tributa imperabant, civium censum faciebant, pecuniam cudebant, sacra curabant, et reis supplicia decernebant: quin etiam ad Provincias sibi bene visos cum exercitu mittebant, ut eas regerent, ac vel repugnantes in obsequio retinerent: Bella demum indicere, Foedus, Pacem, Inducias, Societatem cum exteris populis sancire, et Romanae Civitatis, vel Latii jura, quibus placebat, dare, Legesque condere penes ipsos erat. Haec autem omnia, ut imaginem quamdam libertatis relictam Populo, et Senatui, ostentarent, non nisi consensu Populi, bellis civilibus fessi, et tranquillitatis cupidi, sibi arrogarunt, ita ut quidquid molirentur, quidquid decernerent, quidquid agerent, Senatus, Populique auctoritatè consensuve acta censerentur.

§. 3. Idcirco Augustus Caesar, post avunculum Cajum Julium rerum potitus, Populi benevolentia optime Rempublicam administrando sibi conciliata, in Ancyrano Monumento, in quo Acta sua memorata, et inscripta reliquit, dicebat: *Patriciorum numerum auxi Cos. V. jussu Pop. et Senatus: Senatum ter legi, et in Consulatu VI. Censum Pop. Romani cum Agrippa egi*. Et in *Fastis Consularibus*, ut mos antiquus servaretur, leguntur Collegae Imperatorum in Consulatu, binique Consules numerantur, a quibus more pristino regi Respub. videretur, licet revera Imperatoris collega in Consulatu, et bini non semel ab Imperatore electi, Consules nomine tenus essent, ac in exteriori tantum apparatu; cum in omnibus Imperatoris voluntati obtemperarent, et ejus dicto audientes essent.

§. 4. Quae a me hactenus tradita sunt de Imperatoriae Majestati adjectis, et attributis a Populo, et a Senatu Magistratibus, confirmari possunt *Lege*, quam vocant *Regiam*, in *Fastis Capitolinis* sub Vespasiano descripta, cujus contextus sic habet, vetustate initio legis, ut videtur, corrupto.

FOE-

FOEDVSVE . CVM . QVIBVS . VOLET . FACERE . LI-
CEAT . ITA, VTI . LICVIT . DIVO . AVG.
TI. IVLIO . CAESARI . AVG. TIBERIOQVE . CLAV-
DIO . CAESARI . AVG. GERMANICO
VTIQVE . EI . SENATVM . HABERE . RELATIONEM . FA-
CERE . REMITTERE . SENATVS
CONSVLTA . PER . RELATIONEM . DISCESSIONEM-
QVE . FACERE . LICEAT
ITA . VTI . LICVIT . DIVO . AVG. TI. JVLIO . CAESARI
AVG. TI. CLAVDIO . CAESARI
AVG. GERMANICO
VTIQVE . CVM . EX . VOLVNTATE , AVCTORITATE-
VE . IVSSV . MANDATVVE . EJVS
PRAESENTEVE . EO . SENATVS . HABEBITVR
OMNIVM . RERVM . IVS . PERINDE
HABEATVR . SERVETVR . AC . SI . A . LEGE . SENA-
TVS . EDICTVS . ESSET . HABERETVRQVE
VTIQVE . QVOS . MAGISTRATVM . POTESTATEM
IMPERIVM . CVRATIONEMVE
CVJVS . REI . PETENTES . SENATVI . POPVLOQVE
ROMANO COMMENDAVERIT
QVIBVSQVE . SVFFRAGATIONEM . SVAM . DEDE-
RIT . PROMISERIT . EORVM
COMITIS . QVIBVSQVE . EXTRA . ORDINEM . RA-
TIO . HABEATVR
VTIQVE . ET . FINES . POMERII . PROFERRE . PROMO-
VERE . CVM . EX . REPVBLICA
CENSEBIT . ESSE . LICEAT . ITA . VTI . LICVIT . TI.
CLAVDIO . CAESARI . AVG.
GERMANICO
VTIQVE . QVAECVMQVE . EX . VSV . REIPVBLICAE
MAJESTATE . DIVINARVM
HVMANARVM . PVBLICARVM . PRIVATARVM-
QVE . RERVM . ESSE
CENSEBIT . EI . AGERE . JVS . POTESTASQVE . SIT
ITA . VTI . DIVO . AVG.
TIBERIOQVE . IVLIO . CAESARI . AVG. TIBERIO-
QVE . CLAVDIO . CAESARI
AVG. GERMANICO . FVIT
VTIQVE . QVIBVS . LEGIBVS . PLEBISVE . SCITIS . SCRI-
PTVM . FVIT . NE DIVUS . AVG.
TIBERIVSVE . JVLIVS CAESAR AVG. TIBERIVS-

QVE .

QVE . CLAVDIVS . CAESAR AVG.
GERMANICVS . TENERENTVR . IIS LEGIBVS . PLEBISQVE . SCITIS . IMPERATOR . CAESAR
VESPASIANVS . SOLVTVS . SIT . QVAEQVE EX QVAQVE . LEGE . ROGATIONE
DIVUM AVG. TIBERIVMVE . JVLIVM CAESAREM AVG. TIBERIVMVE
CLAVDIVM . CAESAREM . AVG. GERMANICVM FACERE . OPORTVIT
EA . OMNIA . IMP. CAESARI . VESPASIANO . AVG. FACERE . LICEAT
UTIQVE . QVAECVMQVE . ANTE . HANC LEGEM . ROGATAM . ACTA . GESTA
DECRETA . IMPERATA . AB IMPERATORE CAESARE . VESPASIANO . AVG.
JVSSV . MANDATVVE . EJVS . A QVOQVE . SVNT . EA PERINDE . IVSSA . RATAQVE .
SINT , AC . SI . POPVLI . PLEBISVE . JVSSV . ACTA ESSENT .

SANCTIO

SI QVIS . HVJVSCE . LEGIS . ERGO . ADVERSVS . LEGES ROGATIONES . PLEBISVE . SCITA
SENATVSVE . CONSVLTA . FECIT . FECERIT . SIVE QVOD . EUM . EX . LEGE . ROGATIONEVE
PLEBISVE SCITO . S. RE. C. FACERE . OPORTEBIT. NON . FECERIT . HVJVS . LEGIS
ERGO . ID . EI . NE . FRAVDI . ESTO . NEVE . *QVIT* (sic) OB . EAM REM . POPULO . DARE . DEBETO
NEVE . CVI . DE . EA . RE . ACTIO . NEVE JVDICATIO . ESTO . NEVE QVIS . DE . EA . RE . APVD SE . AGI . SINITO

§. 5. Hac Lege, quae extat in *Fastis Capitolinis*, et quae pro singulis Imperatoribus legitime electis repetebatur, spoliabant se Populus, et Senatus ea potestate, qua, manente libera Republica, utebantur, universamque in novum Imperatorem transfundebant. Nec eam reassumebant, nisi sublato Imperatore, vel cum Imperator tyrannice Rempub. administrabat. Tunc enim, ut factum fuit cum C. Caligula, cum Nerone, et cum Domitiano, eos hostes patriae declarabant, et vel vita, vel Imperio, vel utroque privabant, eorumque

que Acta rescindebant. Quoniam autem isti non decus, et gloriam, sed dedecus, et infamiam male administrando Imperium, suo, et Romano nomini pepererunt, idcirco in Lege Regia illi neutiquam memorantur, nec in exemplum adducuntur, licet Vespasiani fuerint Decessores, et multos annos imperarint. Nam quod Galbae, Vitellii, et Othonis mentio in ea non fiat, qui Vespasianum proximius praecesserunt, nihil mirum: cum Galba fuerit, etiam a Senatu, hostis patriae judicatus, et ad Gemonias tractus, et Vitellius, ac Otho, inter fluctus seditionum, et civilia bella brevi tempore de Imperio dimicarint potius, quam imperarint, et in ipsa contentione Imperium amiserint.

§. 6. Jam vero inter munia, et jura praecipua, seu inter Magistratus, a Populo, et Senatu Imperatoribus concessos, unus erat *Pontificatus Max.* seu Jus, et Potestas in sacra, ac in res divinas cum publicas, tum privatas, qua *Pont. Max.* seu summus Romanorum sacris Praefectus eminebat, et cujus Decretis in rebus divinis Populus, Senatus, et Sacerdotum Collegia obtemperabant intuitu Religionis, quam violare nefas erat. Hunc vero Magistratum, seu Principatum in sacra, et res divinas cum publicas, tum privatas, una cum aliis ad res humanas spectantibus, a Senatu, et Populo secundum Legem Regiam Imperatoribus attributum, non repudiavit Constantinus M. jam Christianus, nec post eum Christiani Imperatores usque ad Gratianum, qui, ut erat Princeps religiosissimus, saltem postremis vitae, et Imperii sui annis noluit Caput se profiteri sub *Pontificis Max.* titulo, et ornatu, nec falsae, ac jam labentis ubique, nec verae per totum Imperium suum jam propagatae Christianae Religionis: forsitan monitis, et consiliis S. Ambrosii, cui multum tribuebat, obsecutus. Hoc exemplum secuti Christiani Imperatores, Gratiani successores, hunc titulum rejecerunt, licet titulos, et Magistratus alios admittere non recusarint. Hinc dubium morale a me propositum non leve: Utrum Constantinus M. et consecuti Christiani Imperatores usque ad Gratianum potuerint tuta conscientia ac sine flagitio violatae Christianae professionis talem titulum et *Pontificatum* ipsis oblatum non repudiare, illumque retinere.

§. 7. Qui vel noluerint, vel nescierint hunc Gordianum nodum solvere, malent illum Alexandri Magni gladio rescindere, negando factum, ut fecit Pagius, et ante eum Gothofredus, Jurisconsultus, et Criticus insignis, contendentes titulum illum, quidquid dicat Baronius retractans opinionem

suam,

suam, componi neutiquam posse cum Constantini, et successorum Christiana professione. Baronius in *Adnotationibus ad Romanum Martyrologium*, ex titulo *Pontif. Maximi* Constantino attributo, et non repudiato, existimavit, Constantinum post victoriam de Maxentio reportatam ab Idolorum cultu non recessisse. Hanc opinionem retractavit in *Annalibus*, arbitratus, titulum illum Christianae professioni non repugnare, et assumi potuisse a Christianis Imperatoribus, illaesa Christiana professione. Sed primum videamus, quibus rationibus persuasus Baronius, asseruit *Pontificatum Max.* a Constantino repudiatum non fuisse, et postea ostendere curabimus, recte sensisse, potuisse nempe titulum illum a Constantino assumi, ut titulos aliorum Magistratuum, non violata Christianismi professione. Prima ratio, qua motus fuit ad id asserendum, sunt variae inventae Romae, et alibi marmoribus, et numismatibus insculptae *Inscriptiones*, in quibus *Pontificatus Max.* ei attributus legitur, ut etiam ejus Successoribus. Persuasus item fuit testimonio Sozimi, qui non multo post aevum Gratiani scripsit Historiam suam. Persuasus demum fuit testimonio Ausonii, qui in *Panegyrico*, Gratiano Imper. dicto primis Imperii Gratiani annis, Cos. ab eo creatus, non dubitat, eum *Pontificem appellare*.

§. 8. Sed juvat Sozimi testimonium ex *lib. 4. Hist.* proferre. En illud: *Simul enim atque summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei Sacerdotalis a Pontificibus offerebatur; et continuo Pontif. Max. titulum usurpabat; ac caeteri quidem Principes universi libentissimis animis hunc honorem accepisse, et hoc usi titulo videntur, adeoque Constantinus potitus imperio, licet is a recta sacris in rebus via* (*a*) *deflexisset, et fidem Christianam amplexus esset, itemque post illum reliqui ordine secuti, et Valentinianus, atque Valens. Cum vero Pontifices ex more Gratiano talem amictum* (*b*) *attulissent, aversatus est id quod petebant: ratus, non esse fas illiusmodi habitu Christiano uti: cumque Sacerdotibus stola reddita fuisset, ajunt, eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex, brevi Pontifex Maximus fiet*. Hac amphibologia indicavit, qui ea usus fuit, brevi *Maximo* Tyranno (*c*), qui vitam,

(*a*) Loquitur Ethnicus Historicus superstitioni addictissimus, et non semel Christianos sugillans.

(*b*) Amictus iste erat Toga praetexta, et Tutulus, operimentum Capitis in Mitrae, ut puto, Episcopalis figuram conformatum.

(*c*) Maximus postea victus, et necatus a Theodosio Caesare fuit.

tam, et Imperium Gratiano iniquissime eripuit; *Pontificatum Maximum* Sacerdotes, qui Romae erant, delaturos. Ex narratis a Sozimo palam fit, *Pontificatus Maximi* titulum repudiatum non fuisse a Christianis Imperatoribus, qui Gratianum praecesserunt, et forsitan Gratianus (licet parum lubenti animo) titulum, et amictum primum accepit, quin hoc indui voluerit, et tandem Religione tactus, stolam, seu amictum reddidit Sacerdotibus Ethnicis, dicens, se nec *Pontificis Max.* titulo, nec insignibus *Pontificatus* velle uti: quod (praeter Inscriptiones Gratiano positas, in quibus *Pontificis Maximi* titulus ei attributus legitur) videtur indicasse Sozimus verbis jam relatis. Nec est cur Sozimo, licet Ethnico, fidem abrogemus. Si enim mentiri voluisset in gratiam Ethnicae superstitionis, non narrasset, Gratianum *Pontificatum Max.* aversatum, et commentus fuisset, Christianos Imperatores initiatos fuisse *Pontifices* ritu Ethnico, quo initiabantur praecedentes Principes. Hi enim sub terram altâ scrobe mersi, necati in sacrificio tauri sanguinem excipiebant, et ebibebant, Jovi Capitolino, aliisque Diis Sacra postea facientes, ut narrat Prudentius *Peristephanon lib.* 4.: quae omnia Christiani Imperatores detestabantur, solum amictum, et titulum cum Potestate in Sacra *Pontifices* facti accipientes. His positis, quae factum certissimum reddunt, manet Theologicum dubium, et Quaestio satis difficilis, quo pacto possent Christiani Imperatores Pontificatum Maximum Ethnicorum, ut caeteros Magistratus, sibi arrogare, et Pontificis Max. titulo insigniri primis Ecclesiae saeculis, licet ab Ethnicorum Sacrificiis, et ab Ethnica omni alia superstitione religiose abstinerent? Et primum quidem mihi mirum est, a classicis Theologiae Moralis Scriptoribus, qui tot dubia de moribus, totque quaestiones exagitant, et decidunt, praetermissum hoc dubium fuisse. Saltem mihi non occurrit Auctor, qui in suis de Theologia morum Operibus hoc dubium sibi proposuerit; cum alia minoris momenti, et minus solutu difficilia non praetermiserint in magnis suis voluminibus Casuistae, et Ethnicae Theologiae illustratores.

§. 9. Qui profitentur, se vel tutiorem, vel probabiliorem sententiam in Dubiis moralibus sectari, illico violatae Christianae religionis reos agent Constantinum Magnum, et successores usque ad Gratianum, qui Pontificatum Maximum Ethnicorum non repudiarunt, et merito Gratianum sibi nefas esse duxisse dicent tali titulo uti, tanquam Christianae professioni repugnante. Verum hi non vident, rigida hac sua sen-

tentia reos etiam agere violatae Christianae Religionis, nefariae adulationis, ac *conniventiae*, ut Asconii verbo utar, et S. Sylvestrum, et Episcopos alios doctissimos, et sanctissimos, qui in Constantino Magno, et Christianis aliis Imperatoribus, quos Christianis dogmatibus instruebant, Pontificatum hunc Maximum tolerarunt, quin de illo tanquam superstitioso repudiando eos admonuerint, ne Christianam Religionem violarent. Quis enim sibi persuaserit, Romanos Praesules, et aliarum Ecclesiarum, qui praefatos Imperatores Christianis sacris initiarunt; et ad salutare Baptismi lavacrum admiserunt, eos non admonituros, cum in Baptismo solemni ritu Satanae pompis, et Ethnicae superstitioni nuntium remittebant, oportere Pontificatum illum Maximum repudiare, si in illo superstitiosum quippiam, et Christianae Religioni repugnans agnovissent? Non enim sine scelere potuissent eis Baptisma administrare, et sacrorum mysteriorum participes reddere, retento Pontificatu maximo Ethnicorum, cujus erat Ethnicis Sacerdotibus praeesse, errata in sacrificiis, et caeremoniis emendare, negligentes punire, novos ritus praescribere, et sacra omnia moderari. Et quamvis Gratianus Princeps religiosissimus, et forsitan S. Ambrosius ejus conscientiae moderator nefas duxerint talem Pontificatum, ac Pontificatus titulum, et insignia admittere, quis audebit, Christianissimum Constantinum, qui per totum Romanum Imperium Christianismum propagavit, ac Idolorum cultum, et superstitiosa sacrificia edictis suis prohibere sategit, Christianae Religionis violatorem dicere, et S. Sylvestrum, et M. Osium, sub quorum disciplina Christiana sacra amplexus est Constantinus, in re tam gravi voluisse silentio nefario illi assentari, et eum officii Christiani hominis proprii ignarum esse?

§. 10. Sed fuerint hi (quod cogitare nefas est) nimis indulgentes, utpote qui id dissimulaverint in Constantino, num de Nicaeni Concilii Patribus a Constantino, et S. Sylvestro convocatis idem dicemus? eos scilicet, quos latere non poterat Pontificatus Max. Constantini, adeo sacerdotalis officii immemores, ac viles abjectosque assentatores Imperatoriae Majestatis fuisse, ut qui haereticorum, et Ethnicorum damnarunt dogmata, atque Ecclesiae disciplinam sartam tectamque servare, et Religionem Christianam constabilire summopere procurarunt, Ethnicismi notam, et superstitionis nefariae vel minimum indicium in Christiano Imperatore, qui Patrum illorum auctoritatem summo habebat in

pre-

pretio, et quorum dicta, ut caelestia Oracula reverebatur, dissimularint, et silentio suo veluti approbarint? Quid? an in eundem impegisse lapidem, vel, ut apertius loquar, eodem contaminatos scelere dixerimus alios clarissimos Ecclesiae Praesules, qui sub aliis Christianis Imperatoribus usque ad Gratianum floruerunt, quique titulum illum in Imperatoribus tolerarunt? Isti enim titulum illum, et Pontificatum Maximum eos retinuisse ignorare non poterant; et tamen nescimus, eos de abjiciendo profano hoccé titulo, et Magistratu tanquam superstitioso, et Idololatriam sapiente, vel monuisse, vel monitos ob eum retentum a sacris Mysteriis, vel a fidelium coetu removisse: quod proculdubio fecissent, si quicquam in eo superstitiosum, et Idololatricum agnovissent.

§. 11. Quae cum ita sint, superest ut dicamus cum Baronio, nec repugnans Christianae professioni, nec absurdum, nec flagitiosum arbitratos Patres illos doctissimos, et sanctissimos, a Christianis Principibus titulum illum cum aliorum Magistratuum titulis assumi, modo a Pontificatus Maximi superstitionibus abstinerent, nec Ethnicorum templa sacrando, nec Sacerdotes initiando, nec Vestales capiendo, nec ritus Ethnicos, et superstitiosos promovendo, nec sacris operando, nec Sacerdotum Collegia, Augurum nempe, Aruspicum, Epulonum, Flaminum reditibus, et privilegiis augendo, sed solo exteriore apparatu Pontificatum Maximum sibi arrogarent: quo constaret, se potestate, et jure in sacra omnia supra omnes eminere. Hac vero muniti cum essent potestate ex Senatus, et Populi consensu, penes ipsos erat nova sacra instituere, si ex usu, et majestate Reipub. essent; et novos in res divinas ritus inducere, et Sacerdotes coercere, et multa in sacris antiquare, illud unum in animo habentes, ut populos superstitioni adhuc addictos sibi obnoxios, et subjectos in Pontificiae summae potestatis reverentiam, et ejus intuitu in omnibus haberent: cum religionis etiam falsae vim atque potentiam in subigendis animis eam profitentium neutiquam ignorarent: et iccirco fidelitatis sacramentum per Jovem, aut Herculem ab infidelibus praestitum admittere non recusabant.

§. 12. Hisce rationibus innixi Christianorum illius aevi Antistites, cum nondum satis munita humano praesidio esset Christiana Religio contra Ethnicam superstitionem, et inveteratam populorum persuasionem, nefas non putarunt, immo necessarium duxerunt Pontificatum Maximum penes Christianum Imperatorem esse: quo posset de *sacris, tum privatis, tum publicis*,

 cis,

cis, ut de ceteris humanis rebus, decernere, quae potestas per legem Regiam attribuebatur a Senatu, et Populo Christianis, ut antea Ethnicis, Imperatoribus. Ita enim tali potestate, et jure in res divinas usuros eos probe sciebant, ut sensim falsa, et superstitiosa sacra in vera, et religiosa commutarent, et nacta oportunitate Idolorum cultum antiquarent, et abolerent, stabilientes Christianam Religionem: quod studiosissime sategisse novimus, et impetrasse Constantinum M. et ejus exemplo Christianos Principes, ejus successores. Quemadmodum enim secundum legem Regiam poterant pro arbitrio de rebus humanis publicis, et privatis disponere, deque eis decernere, modo ex utilitate, et majestate Reip. essent, ita et de rebus divinis, seu de iis, quae ad cultum religiosum attinebant.

§. 13. Nihilominus, ut esse solent variae hominum de rebus ad mores spectantibus sententiae, verisimile est, non defuisse illo aevo rigidiores Theologos, qui vel clam, vel aperte Pontificatum Max. in Christianis Principibus sugillarent, ac nimium indulgentes, et laxos dicerent Episcopos, qui eum non improbabant. Vix crediderim, Tertullianum, si in praefatorum Imperatorum aevum delatus fuisset, seu in vivis fuisset sub Christianis illis Imperatoribus, sibi temperaturum, quin aliquid scriberet, quo ostenderet (ut erat ille duri, morosi, rigidique ingenii) sibi displicere benignam illam Episcoporum, et Imperatorum opinionem, qua superstitionis immunem Pontificatum illum Maximum aestimabant, mirumque fuisset, si a conviciis contra Episcopos tam benignos in opinando abstinuisset; cum Catholicos, qui suas Quadragesimas, et jejunia, rigoremque Montanistarum non probabant, *Psychicos*, seu *Animales* appellarit. Nec illi rationes defuissent, quibus nefas esse suaderet, ab Imperatoribus Christianis talem Pontificatum, et titulum adoptari. Dixisset magis acutus, quam prudens ille Poenus, eo titulo a Christianis Principibus assumto, auctoritatem sacris, quibus praeerant, conciliari, Ethnicosque Christianam Religionem non immerito contemturos, cum cernerent Christianis Imperatoribus sua sacra in pretio esse, et eorum praefectura ac moderamine decorari. Quid? an non Christianis offendiculo, seu, ut usitato Graeco verbo utar, an, inquam, non gravissimo *scandalo* fuisset Christianis, videntibus, Christianum Imperatorem non modo sacris, et sacerdotibus Ethnicorum se immiscere, sed eisdem Praefectum esse? et quod pejus est Praefecturae illius titulo, et vestibus ornari?

§. 14.

§. 14. Fac nunc Christianum aliquem Principem sacris aut Mahumedanis, aut Judaicis praefici, et summum Mahumedanae, vel Judaicae superstitionis Sacerdotium non repudiare, sed sibi honorificum arbitrari: an non iste censeretur, praesertim si Sacerdotii illius assumeret insignia, Christianae Religionis desertor, et proditor, atque eum vel Mahumedanam, vel Hebraicam religionem profiteri? an non immanis flagitii reus ageretur, quantumvis protestaretur, se superstitiosa illarum religionum sacra ex animo aversari, ac eum titulum, et sacerdotium assumere, ut hoc pacto tutius posset Christianam Religionem inter Judaeos, et Mahumedanos propagare? Primum quia non sunt mala agenda, ut eveniant bona: 2. quia Christiana Religio non amat nec indiget superstitionis subsidiis propagari, cum ea a Christo fuerit instituta, ut per eam eliminaret, et extirparet superstitionem, quae per totum orbem late dominabatur. Quid? an non Christiana Religio omne commentitium, omnem simulationem, et mendacium, omnem puram mentis, ut ajunt, restrictionem tanquam pestem humanae societatis aversatur? Sic, inquies, Imperator suam auctoritatem, sua jura, suam potentiam, et Imperii quietem tuebatur, quae in magno discrimine essent, si Pontificatum Max. recusasset. Esto. At quid homini prodest, ait Christus, si universum Mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, aut quam homo commutationem dabit pro anima sua? Quodnam autem, oro, majus detrimentum Imperatorum Christianorum animae accidere poterat, quam Ethnicam superstitionem calculo suo approbare, vel eam non repudiare assumto superstitioso titulo, et indumento, ut potentiam suam, et tranquillam Imperii possessionem tueri possent, quin timerent ab aliquo turbari? Haec, et alia, secum reputans religiosus Gratianus Imperator proculdubio sibi nefas esse existimavit, ut ajebat Sozimus, Pontificatus Maximi Ethnicorum stolam, et titulum oblatum retinere vel assumere, rejicique eum ut repugnantem Christianae professioni oportere, neque posse se tuta conscientia, et illaesa Religione eum sibi arrogare, licet titulos, et munia aliorum Civilium Magistratuum non repudiaret.

§. 15. Haec sunt, quae opponi possunt Pontificatui Max. Christianorum Imperatorum, quae, ut sum praefatus, facilem non habent solutionem. Conabor tamen ea adducere, a Baronio praetermissa, ut puto, quia satis obvia, quibus forsitan satisfieri lectori possit, et quibus satis probabilis, et tolerabi-

 lis,

lis, cum Christianis Imperatoribus, tum etiam Episcopis eorum conscientiarum moderatoribus videri potuit Maximus ille Ethnicorum Pontificatus. Ac in antecessum statuo tanquam rem certam, et exploratam, primis Ecclesiae seculis multa licita, et tolerabilia fuisse, quae nunc temporis cum jam propagata est, et firmis innixa est tibicinibus Christiana Religio, permitti probarique neutiquam possunt. Quis enim nunc sine superstitione, et scandalo Pharisaicam (*a*) Hebraeorum sectam profiteretur? et tamen S. Paullus jam Christianus Pharisaeum se profitebatur sectam illam certissimam appellans. Quis nunc si templum Hierosolymorum exstaret, in eo adorare, oblationes facere, et vota solvere auderet ex Christianis? et novimus, S. Paullum secundum Nazaraeorum sectam haec omnia fecisse ex consilio S. Jacobi Hierosolymorum Episcopi cum 4. aliis Christianis (*b*): quin etiam idem S. Jacobus Christi consanguineus, et Apostolus tamquam Hebraeorum Pontifex in Sancta Sanctorum ingrediebatur, ibidemque pro populo orabat: nec desunt, qui dicant, laminam summi Hebraeorum Sacerdotis propriam, in fronte gestasse, ac Nazaraeorum institutum, et vivendi rationem fuisse sectatum. Quis nunc Christianam religionem profitenti suaderet circumcidi? et tamen S. Paulli jussu fuit Timotheus, S. Paulli discipulus circumcisus? Quis nunc a sanguine, et suffocato Hebraeorum ritu abstinere audeat, licet primis Ecclesiae seculis hic ritus obtineret, et a Christianis fuerit observatus? Quis nunc pueris audebit Eucharistiam administrare, aut manibus laicis eam sumere domique asservare? Demum quis laicis nunc sub utraque specie Eucharistiam porriget? et novimus, olim haec in usu apud Christianos fuisse, et ab Episcopis tolerata. Mitto alia, quae primis Ecclesiae seculis sine flagitio fieri poterant, quae nunc temporis nefaria essent. Non est igitur, cur Christianos Imperatores reprehendamus, et Antistites primorum Ecclesiae seculorum usque ad Gratiani tempora sugillemus, licet illi Pontificatum Max. Ethnicorum assumere, et vestem induere non recusarint, et isti factum istud non arguerint, sed benignissime tolerarint.

§. 16. Neque idcirco inficias ierim, Gratianum religiosissime Pontificatus max. titulum, et ipsum Pontificatum rejecisse, stolamque inferioribus Pontificibus Ethnicis reddidisse, et hoc facto laude dignissimum esse: praesertim cum tunc tem-

(*a*) Vide *Caput* 23. & 26. *Act. Apost.*
(*b*) Vide *Cap.* 21. *Act. Apost.*

temporis satis adultam, propagatam, et populorum consensu profundis nixam radicibus, multisque praesidiis munitam in Imperio Christianam Religionem videret, quin timeret Ethnicorum conatus ad eam evertendam, licet non deessent qui pro antiqua superstitione conservanda laborarent, aegre ferentes, Aram Victoriae jussu Christiani Imperatoris Romae solo aequatam, Vestales abrogatas, Collegia Augurum, et aliorum Ethnicorum Sacerdotum privilegiis, et reditibus spoliata, et innumera Idolorum fana diruta, ac erecta, quae Jesu Christi cultui inservirent. Tunc namque S. Ambrosii, et aliorum Patrum judicio, Christiana Religio Pontificatus Maximi fulcro jam non amplius indigebat, et Pontificis Max. titulum in Supremum Christianorum Antistitem Romanum Praesulem, Sancti Petri successorem, transferri oportebat, qui, ut olim Ethnicorum Pontifex sacra Ethnicorum curabat falsis Numinibus dicata, eisdemque praesidebat; ita Romanus Christianorum Pontifex Christiana sacra, seu cultum veri Dei promoveret, et ad Christianam Religionem spectantia secundum Christi, et Apostolorum praecepta, et consilia administraret, ac diligentissime per orbem stabiliret, damnatis erroribus, qui eam poterant obscurare.

§. 17. Ast illud praecipuum hac in caussa videtur ad Imperatores Christianos, et Antistites eorum Consiliarios excusandos, quod *Lex Regia*, in qua potestas, et Jura Pontificia a Senatu, et Populo electis Imperatoribus attributa continebantur, ejusmodi verbis concepta erat, ut non modo non adversaretur, sed maxime faveret Christianae Religioni: quod nec Episcopi, nec plebs Christiana ignorabant. Verba *Legis*, de qua agimus circa Imperatoris auctoritatem in sacra, seu res divinas, haec sunt: *Quaecunque ex usu & Reip. majestate, divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ea agere jus, potestasque ei sit.* Hac *Lege* munitis Imperatoribus licebat ex Senatus Populique consensu, uti res humanas publicas, et privatas, ita divinas administrare, ac circa eas decernere quaecumque *ex usu, et majestate Reip. esse censebant*. Poterant igitur amplissima hac facultate multa in sacris mutare, multa innovare, multa corrigere, inveteratos abusus circa res divinas tollere, novos ritus circa sacra inducere, ut poterant circa res humanas, cum publicas, tum privatas, in quibus multa immutabant in melius, et pro arbitratu moderabantur, Legem forsitan *Quod Principi. Digest. de Constit. Princip.* prae oculis habentes: *Quod Principi placuit legis habere vigorem:* prae-

 ser-

sertim cum quae Principi placent, salutaria, seu ex usu, et majestate Reip. sunt. Id sciebant Episcopi: id Christianis notissimum erat, multa ab Ethnicis Imperatoribus, a Senatu, et Populo, annuentibus antiquis Pontificibus Maximis, in libera Repub. tum Regum tempore, tum etiam Consulum, circa sacra innovata, et emendata: quod ex Historiis ostendi potest. Itaque non dubitabant, quin Christiani Imperatores Pontificatus Maximi jure legitimo utentes, et sacris praepositi, oblata occasione, Christianos ritus, et Christiana sacra in superstitiosorum locum subrogarent, cum proculdubio ex usu, seu utilitate majestateque etiam Reip. esset, verum Deum colere, et Idololatriam, seu falsorum, et inanium Numinum cultum exterminare, et loco falsae veram Religionem stabilire.

§. 18. Agnoscebant Christiani Imperatores, et videbant cum Episcopi, tum novi Christiani, quod repudiato Pontificatu Max. a Christiano Principe, illico Ethnicus aliquis ex doctioribus Patriciis *Pontifex Max.* a Senatu, et Populo superstitionis adhuc studiosis eligeretur, qui sacris praeesset, et ea moderaretur. Is autem, zelo seu studio tuendae, et promovendae antiquae, et tot seculis firmatae religionis, hujus intuitu, et praetextu poterat res Imperii perturbare, et fidem Christiano Imperatori debitam imminuere, ejusque auctoritatem apud Populum infirmare; cum penes ipsum fuissent jura et auguriorum, et extispiciorum, ut etiam ea interpretandi, quibus et popularis multitudo, et milites in fide, et obsequio Imperatoris continebantur; licet Augures ipsi, et Haruspices ea vanissima reputarent. Intererat igitur, et Reipub. et Christianae Religionis, a Christiano Imperatore Pontificatus Maximi titulum retineri, ne Christiana Religio nondum adulta detrimentum caperet, et Respub. in falsa Religione perduraret. Ethnicus namque aliquis, Pontificatu Maximo insignitus nullum non movisset lapidem, quo superstitiosum cultum tueretur, et stabilem redderet, Christianamque Religionem exterminaret, odium in eam, et invidiam conflans populorum: cum ad eum sacrorum antiquorum cura spectaret: quod facile praestare potuisset auguria, et portenta interpretando in favorem superstitionis, et inanium Deorum cultus contra novam Religionem. Contra vero Christianus Princeps Pontificatum Maximum gerens, et Ethnicos sibi obsequentes habebat, quamvis antiquos ritus aboleret, et Christi cultum, excitatis templis, exemploque suo, propagabat. Ille enim a sacrificiis, et ritibus Ethnicis recedens,

dens, et praesentia sua nunquam sacra Ethnicorum honorans, satis ostendebat, sacra ea sibi displicere, et prae illis Christiana sacra, quibus aderat, eisdem initiatus, in pretio habere: quo impetrabat, ut multi ex Ethnicis ejus exempla secuti Christiana sacra amplecterentur, et Ethnica non curarent. Ut enim Claudianus in Consulatu Honorii canebat:

Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

§. 19. Praeter Imperatoris exemplum non parum Ethnicorum saluti, et bonae menti consulebatur, quod sub eo poterant Christiani, olim vexati tyrannica persecutione, libere pro Christiana Religione loqui, scriptis suis Ethnicam superstitionem, ac vitia contra legem naturalem ex ea manantia sugillare, et falsorum Numinum cultum ridiculum reddere: quod non pauci Doctores Christiani praestitere, ut Lactantius, S. Ambrosius, Orosius, Arnobius, S. Augustinus, Prudentius, alii. Poterant Christiani templa vero Deo erigere, et dedicare, populumque hortationibus suis a Deorum inanium cultu avertere: poterant secundum Imperatorum rescripta Ethnicorum fana diruere, et simulacra, olim magno in honore habita, prosternere, et conculcare. Poterant Christiani Imperatores nobiles Christi sectatores Magistratibus ornare, et Senatores eligere: poterant eosdem Provinciis praeficere: quod saepe praestabant, ut essent Christianis praesidio contra conatus, et insidias Ethnicorum: poterant consilia potentiorum Ethnicorum, et Sacerdotum contra Christianam Religionem, vel poenarum injecto metu cohibere, vel cassa, et vana reddere: quo Christianismus triumpharet, et caderet Idololatria, quae quondam dominabatur.

§. 20. Haec omnia praestitisse Christianos Imperatores, Pontificatu Maximo non repudiato, maxime Constantinum, primis Ecclesiae seculis ex Historiis novimus: quo factum fuit, ut Romanum Imperium, dissipatis errorum tenebris, quibus per tot secula obruebatur, Christiana luce perfusum, rejecto Idolorum cultu, Evangelium amplecteretur, et Christum verum Deum, omnium servatorem adoraret. Factum item, ut a vitiorum coeno, in quo falsis pravisque dogmatibus imbutum jacebat, Christianae Religionis praeceptis, et institutis excitatum, ad virtutis cultum, et vera bona sibi procuranda tandem exurgeret. Factum demum, ut Roma totius

tius orbis caput, quae olim omnium gentium serviebat erroribus, sub Romano Pontifice Christiano, et Christi Vicario Magistra fieret veritatis.

§. 21. Porro ut scrupulus omnis lectori, rigidiora in Ethicis sentienti, eximatur; operae pretium me facturum puto, si heic repetam, et fusius exponam, quod obiter jam dictum est, Christiano nempe populo, ethnicam superstitionem aversanti nullum offendiculum peperisse titulum, et apparatum Pontificis Maximi, quibus Christianus Imperator utebatur; cum apud omnes constaret, Imperatorem Christianum esse, atque ab Ethnicorum sacris abhorrere: templa vero Deo construere, et Christiana sacra studiose promovere. Quod Nahaman Syri exemplo potest confirmari. Ille enim in templo Remmon, cum ejus herus Ethnicus illic adoraret, genu flectebat, quin Judaeis verum Deum colentibus, et Idolorum cultum aversantibus scandalo esset; cum scirent, eum et Judaeorum unicum Numen colere, et aram ei, seu altare erexisse, ut holocausta, et victimas ei offerret, ac genu flectere solum, ut pro ipsi injuncto munere hero adoranti manum, vel brachium porrigeret, quin Idolum adoraret: quod Eliseus ab eo consultus (*a*) tolerari posse est arbitratus. Quis vero non duxerit, multo magis Idololatriam sapere, coram Idolo genu flectere in templo ei dicato, quam togam praetextam induere, et tutulum in capite gestare, quae insignia erant Maximi illius Pontificatus? ut mittam majora mala timeri potuisse ex rejecto ab Imperatore Christiano, Pontificatu illo, quam quae imminebant Nahaman Syro, ex relicto ab eo, cui serviebat, Domino, vel recusato eo famulatu, quo ad genu flectendum cogebatur.

§. 22. Addere possem, multa apud Christianos prisci, et nostri aevi observari solita sine superstitionis nota, quae valde analoga, et similia sunt superstitiosis ritibus, et nominibus tum Hebraeorum, tum etiam Ethnicorum. Ea autem brevitati consulens praetermitto. Illud nemini non notum, Summi Sacerdotis, et *Pontificis Maximi* titulum, unde orta est Disceptatio, Romano Antistiti S. Petri Successori, et Christi Vicario tribui, et ab eo non repudiari, quin ullus sanus Catholicus arbitretur, Christianae Religioni repugnare, seu superstitionis aliquid titulum illum olim summo Ethnicorum, ac etiam Hebraeorum Sacerdoti attributum continere.

§. 23.

(*a*) Vide *lib.* 4. *Regum c.* 5.

§. 23. Haectenus exposita, ut excusarem primos Christianos Imperatores, de Ecclesia optime meritos, utque doctissimos, et sanctissimos illius aevi Antistites ab assentationis nota, et criminoso silentio immunes ostenderem, levia fortasse lectori erudito videbuntur, ac bonae caussae me patrocinium non bonum attulisse censebit. Non repugno: mecum enim habito, et non ignoro, quam mihi curta sit et ingenii, et eruditionis supellex. Illud non despero, aequos rerum aestimatores laudaturos conatus, et consilium meum, licet exitus non responderit. Meliora, et firmiora proculdubio dedissem, si *Casum* istum, quem vocant *conscientiae*, in aliquo ex Theologiae morum classicis Scriptoribus discussum, exagitatum ac decisum invenissem. Interea paratus sum circa dubium istud, virorum me doctiorum judicio, si probabiliora afferant, subscribere, atque a me decisa, si eis probata non fuerint, retractare. Homo sum, et humanum nihil a me alienum puto.

Inscriptio posita ad utrumque latus Pontis Caestii Romae.

DOMINI . NOSTRI . IMPERATORES . CAESARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR
SEMPER . AVG . PONTIF . MAX . cet.
FL . VALENS . PIVS . FELIX . MAX . VICTOR . AC
TRIVNF . SEMPER . AVG . PONTIF . MAX . cet.
FLAVIVS . GRATIANVS . PIVS . FELIX . MAX.
VICTOR. AC. TRIVNF. SEMPER . AVG. PONTIF.
MAX.....

AD

ADNOTATIONES

Respondentes §§, seu Numeris hujus Dissertationis.

Adnotatio 1. respondens §. seu Num. 7.

HIC titulus invenitur in tribus diversis Numismatibus adductis a Bandurio: Numism. Imperatt. tomo 2. pag. 246. *et sequentt. Gruterus etiam affert nonnullas marmoreas Inscriptiones Constantino, et aliis Christianis Imperatoribus positas cum praefato titulo*.

Adnotatio 2. respondens §. seu Num. 15.

Olim in templo convivia post Sacrificium fiebant, quae Agapen *appellabant, ad charitatem inter Christianos fovendam: Evangelii Praedicatores secum pias foeminas ducebant: Diaconissas Episcopi consecrabant: Baptismus per immersionem ministrabatur: Vigiliae ad Martyrum sepulcra frequentes erant: In vitreis Calicibus sacrificabatur: Sacerdotes communi veste induebantur, vel summum pallio, et barba, quibus Philosophi Ethnici utebantur, et ab aliis discernebantur: quae omnia nunc temporis rejecta, et improbata videmus*.

Adnotatio 3. respondens §. seu Num. 16.

Symmachus Vir doctus et Urbis Praef. misit Relationem *Senatus Ethnici ad Christianos Imperatores pro instauranda Ara Victoriae, et conservandis Vestalibus, quas tollere decreverant Imperatores, ut superstitionem Romae extirparent. Verum* Relatio *illa refutata fuit a S. Ambrosio scripto quodam ad Imperantes misso, et Symmachus nihil impetravit* Relatione *sua. Contra Symmachum versibus Prudentius scripsit ridiculum reddens cultum inanium Deorum*.

Ad-

Adnotatio 4. respondens Num. 17.

Romulus post mortem fuit inter Deos relatus, et Quirinus *dictus. Ejus uxor Hersilia* Hora *deinceps appellata Dearum numero fuit adscripta. Sub Numa nova Religio fuit instituta cum novis sacrificiis. Constat enim inducta simulacra in templa contra Romuli Institutum. Decursu temporis admissae, et postea rejectae peregrinae Religiones, et caeremoniae. Tiberius solo aequavit Isidis Templum, et cruci affixit Sacerdotes: Ita Josephus Hebraeus Historicus. Idem Tiberius templum, et caelestes Religiones Augusto decrevit, Flamines, seu Sacerdotes Augusti creans non sine multorum contrarietate, qui ajebant, nihil Deorum honoribus relictum. Sacrificia demum humanarum victimarum Jovi Latiali olim fieri solita sustulere, ut inhumana, Romani cultiores redditi, et minus superstitiosi. Elagabalus Imperator decreverat tollere aliorum Deorum cultum discupiens solum suum Deum Elagabalum, cujus Sacerdos erat, Romae, et in Provinciis coli.*

Adnotatio 5. respondens §. seu Num. 18.

Philosophi Constantinopoli de Constantino querebantur, et ad eum querelas suas attulerunt, eo quod novitates circa sacra, et novum cultum in Rempublicam induxisset, praeter ea, quae Majoribus probata fuerant. Ita Sozomenus. Quid ad has querelas responderit Constantinus, non dicit Sozomenus. Verum respondere poterat, ab aliis Imperatoribus, et a Pontificibus Maximis, qui eum praecesserunt, multas novitates circa sacra inductas, seque non minori auctoritate, quam illi pollere, concessumque sibi, quemadmodum de humanis publicis, et privatis rebus, ita etiam de sacris disponere.

Adnotatio 6. respondens §. seu Num. 20.

Constantinus M. quin ullum ad Christianismum cogeret, Scriptis suis, et Concionibus ad populum refutabat Ethnicorum errores, et superstitionem: vetuit superstitiosa sacrificia: fana Idololatrarum diruit: templa Christo extruxit, et ditavit: Sacerdotes Christianorum multis privilegiis, et honoribus affecit: Episcopos, ut Patres colebat, eisque obsequebatur: Praesides Provinciarum nobiles Christianos constituebat: milites ad Supremum Numen agnoscendum, colendum, orandum,

dum,

dum, et gratias pro Victoriis ei agendum latina formula ab eo ipsis tradita excitabat: Populo ad celebranda festa Christianorum praeibat. Vide dicta in Dissert. *de* Duplici Constantini Baptismate.

Adnotatio 7. respondens §. seu Num. 22.

In usu sunt apud Christianos Aqua Lustralis, Thurificationes, Funebres pompae, et Funebres Orationes, Praeficae, Simulacrorum cultus, Apotheoses, seu in Divos relationes solemnissimae, Indumenta Sacerdotalia, et Pontificalia, Supplicationes publicae, Festi dies, sacrae Virgines, Arae, Templa, Sacrificia. Sunt insuper nomina, et munera Aeditui, Curionis, Sacerdotis, Pontificis; et Constantinus jam Christianus, in Sacris Litteris versatus, Episcopos Deos appellabat, non ignarus, nonnumquam in Scripturis sacris Sanctos homines Deos appellari. Mitto etiam apud Christianos, conniventibus Magistratibus, permitti Bacchanalia festa profana celebrari ab hominibus personatis sine nota superstitionis: quae omnia apud Ethnicos in usu erant superstitioso.

DIS-

DISSERTATIO IV.

CRITICA.

De maximo discrimine inter Dialecticam, *et* Rhetoricam.

§. 1. VIRIS eruditis exploratum arbitror, usque ad Socratis aevum *Dialecticam*, et *Oratoriam*, seu *Rhetoricam* ita conjunctas fuisse, ut una eademque esset Facultas, iidemque censerentur Rhetores, et Dialectici. Postquam vero recte sentiendi studium, quod proprium est Dialectici, a recte loquendi Facultate, quae Rhetoris, et Oratoris est propria, divisum est: cum nempe aliis lingua, et sermo coepit esse in pretio, ac *Rhetoris*, ac *Oratoris* nomen ambitiose adamatum: aliis vero, sermonis, et verborum ornatu neglecto, ad Mentis cogitationum cultum, Sapientiae, et Critices regulis conformem adspirare placuit; tunc illud dissidium extitit, quod nunc cernimus, inter mentem, et linguam, et quae una erat recte ad Sapientiae normam loquendi, et sentiendi, seu cogitandi Facultas, jam duplex nunc videtur. Verum qui de hisce Artibus, et Facultatibus jam divisis post Socratem disseruere, arbitrati sunt, non aliud inter eas esse discrimen, quam quod inter manum expansam, et contractam intercedit, seu quae inter palmam, et pugnum observatur. *Dialectica* nempe pugno similis dicitur; quia Dialectici compressius; *Rhetorica* palmae similis, quia Rhetores latius loquuntur. Ita Cicero, non tam, ut puto, ex sua, quam ex Zenonis, et Aristotelis sententia, qui ita de his Artibus videntur opinati. Pace tantorum Virorum, et multorum, qui eis assentiuntur, liceat mihi sensum meum aperire, atque aliter ac ipsi in hac caussa judicare. Jam vero perperam ea nunc dici mihi quidem videntur, cum ad earum Facultatum naturam, et munia, prout nunc se res habet, animum adverto.

§. 2. *Dialectica* enim Ars est recte cogitandi, et disserendi de iis, quorum Ideas habemus: ac, ut in Scholis doceri solet, Ars est, seu Facultas modum, et rationem, seu instrumenta sciendi tradens, ac de rebus recte, et vere sentiendi,

di, adeout ea sit veri, ac falsi per ratiocinia Disceptatrix Judex secundum ea, quae tradit Tullius in *Lucullo*: secundum autem Jamblichum in *Vita Pythagorae* Dialectica *Helleborum mentis* scite appellatur, quia praeceptis ab ea traditis purgat ab erroribus, qui mentem obscurant, ac saepe in furorem, et phrenitidem inducunt: qua in re Jamblichus cum Cicerone consentit. Is enim ante eum dixerat *lib.* I. *de Finibus*, *Dialecticam* continere et percipiendi quidquid in unaquaque re est scientiam, et judicandi quale quidque sit, ac viam, et rationem de dubiis disputandi ad verum inveniendum. Haec autem si *Rhetoricae* non convenerint; planum apertumque est a *Dialectica* multum differre. Quid enim secundum communem opinionem receptissimamque definitionem est *Rhetorica*? Certe non aliud, quam Ars recte loquendi, seu artificiose de rebus disserendi. Notissimum est autem, multos recte ratiocinari, et non recte loqui, ut multos recte loqui, et pessime ratiocinari.

§. 3. Tales sunt omnes, qui Eloquentiae navant operam, sapientia destituti, quos civitatibus obesse magis, quam prodesse Cicero non dissimulat, dum (licet ille fuerit eloquentissimus) in dubium vocat, an dicendi copia, seu Oratoria magis nocuerit, quam profuerit civitati? cum multi *Rhetores* verbis recte compositis, figuris nempe tropisque ornatis res noxias persuadere studeant non sine magno nocumento civitatum. *Dialecticae* finis, et scopus est recte, et ex vero rerum notitiam assequi, deque illis judicium ferre, quin de vocum, seu verborum ornatu curet, et idcirco Critice, seu Ars Critica merito appellatur. *Rhetorices*, seu *Oratoriae* institutum est persuadere: quod assequitur vocibus recte, et artificiose dispositis, quae Oratoris mentem cogitationibus, nunc veris, nunc falsis, nunc probabilibus instructam indicant. Nihil autem hoc nostro seculo frequentius, quam multos ea vel dicere, vel scribere more Sophistarum (quos sale Socratico irridet Plato, in *Gorgia*) quae mera somnia, et deliria, vel sophismata sunt, quantumvis verbis lectis, et elegantibus vel dicantur, vel scribantur: hocque ostendunt, se quidem *Rhetores*, et eloquentes esse, sed *Dialectices* prorsus imperitos. Hoc vitio laborant Antichristiani hodierni Philosophi, qui ornatui sermonis intenti de veritate parum curant, mille sese contradictionibus involvunt, vera falsis miscentes, monstra opinionum adoptantes, et aliis suadentes.

§. 4. Philosophis (e quorum numero sunt *Dialectici*) qui

per

per omnia veri studiosi esse debent, non licet, quod Rhetoribus, seu Oratoribus conceditur, neque magna parva facere, et parva magna, quod, teste Socrate, *Oratoria* praestat, neque candida de nigris, et de candentibus atra, seu populo imponere: quod fecisse non semel eloquentia sua fatetur Cicero, ut reos eriperet, gloriaturque, se nihilominus Oratorem visum fuisse, seu Oratoris famam, et nomen sibi conciliasse. Nemo autem ullus nomen, et famam Philosophi, ac Dialectici meretur, qui falsa pro veris, dubia pro certis, turpia pro honestis, noxia pro utilibus, iniquum pro aequo philosophando, seu potius prave ratiocinando venditarit. Quid autem sibi voluerit Plato in *libris de Republica*, affirmans *Dialecticen* esse omnium Disciplinarum principem? dictu facile neutiquam videtur, nisi si id ab eo asseratur, eo quod *Dialectice* sit Ars verum inveniendi, ac verum a falso discernendi, seu organum omnium scientiarum. Haec nemo audebit aptare *Rhetoricae*, cum ea, si S. Basilio, viro doctissimo, credimus, sit appellanda Ars mentiendi, seu falsa suadendi, quod maximum discrimen inter *Dialecticam*, et *Rhetoricam* ostendit (vide in *Lexico* verbo *Rhetorice* in R). Illa inter Philosophicas disciplinas, seu inter studia Sapientiae obtinet locum, cum ejus scopus sit hominem scientem, et sapientem definiendo, dividendo, judicando, et ratiocinando de rebus, quarum habet ideas, facere: *Rhetorica* autem Ars est, quae in verisimili, dubio, ac saepe falso suadendo ornatis, ac subdolis verbis versatur: et hanc ob rem, ut dictum est, merito dubitabat Tullius initio *libri de Inventione*, utrum *Rhetorica*, seu *Oratoria* plus mali quam boni civitatibus attulerit? quod nefas est de parte ulla Philosophiae dubitare.

§. 5. Ut vero appareat, quam apposite Tullius dixerit, *Dialecticam* esse veri, et falsi veluti Disceptatricem, et Judicem, ad Forum, vel Senatum Romanum Lectorem advoco, ubi Romani Oratores artificioso sermone, seu secundum *Rhetoricae* praecepta causas agebant. Inter Viros eloquentissimos litigatum fuit, et acriter disceptatum, an expediret Romae aemulam Carthaginem a Scipione debellatam deleri? Erant, qui delendam: erant, qui eam non delendam contendebant. In Verris, et Catilinae causis pro et contra reos dicebatur ab eloquentissimis Oratoribus, et unusquisque suas rationes vel falsas, vel veras, vel tantum probabiles afferebat. Sedebant Dialectica, seu Critica Arte instructi Judices, qui verum a falso discernentes, et dubia apud se mente

sua taciti decidentes, tandem paucis verbis, et minime ornatis, immo nonnunquam una littera vel *A*, vel *C* sententiam proferebant, qua vel absolvebatur, vel damnabatur reus, et de tota caussa acriter, et artificiose agitata decernebatur. Ecce tibi litigantes verbis ad normam *Rhetorices* compositis Oratores, vel potius ipsam *Rhetoricam*, seu Oratoriam suadentem tum verum, et utile, vel honestum pro una parte, tum falsum, turpe, vel noxium pro altera, et Judices, vel potius *Dialecticam*, seu *Criticen* pro tribunali sedentem, et judicantem, quid facto opus esset? an nempe absolvendus reus, an damnandus? an Carthago delenda, ne amplius Romae negotium facesseret, ac Romanae Reip. ruinam importaret; an potius conservanda? ut hoc pacto Romana bellica virtus aemulae Urbis excitata armis, semper exerceretur, et otium devitaret, quod maximum rebus Romanorum afferre poterat nocumentum. Hoc uno mihi videtur satis apparere, etsi cetera deessent, quantum praestet *Dialectica Oratoriae*, seu *Rhetoricae*, multumque has Artes inter se differre: nisi dicatur, Judicum munus, Advocatorum, seu Patronorum munere praestabilius non esse.

§. 6. Hactenus dicta palam faciunt, Antichristianos hujus seculi Scriptores, non Philosophos appellandos, sed eversores Philosophiae, et Rhetorum nomine contentos esse debere; at ex eorum genere, quos Sophistas Socrates appellabat, seu ex eorum numero, qui Reipublicae maxime nocent. Quid enim Reipub. nocentius, quam iniquum pro aequo, turpe pro honesto, impudicitiam pro pudore hominibus suadere? Quid magis detestandum, quam Societatis ruinam pro concordia civium, Sacrorum omnium contemptum, et in Supremum Numen convicia pro solida religione, et pietate, vitia demum omnia pro virtutibus suis subdolis sermonibus, et editis sine nomine libellis mille contradictionibus, et histrionali libertate scatentibus venditare, notissimae resistendo veritati? Cum iis agendum, quod Cato Censorius Romano Senatui suasit, cum Cyneas Pyrrhi Legatus Romam accessit; ne scilicet Senatus eum audiret, sed statim Roma eum abscedere decerneret, ne eloquentia sua aliquid Reipub. noxium suaderet. Idem censuit de Carneade ab Atheniensibus Romam misso, ad quem orantem uno die pro Justitia, et pro Injustitia altero magni concursus fiebant. Monuit enim Senatum, multum nocumenti virum illum artificioso sermonis ornatu posse Romano populo afferre, cum vitia, et virtutes ex aequo haberet, et secum pugnare non dubitaret,

ret, ut Eloquentiam, et Oratoriam Artem, qua ornatus e-rat, ostenderet, neglectis *Dialecticae* praeceptis, quibus si uterque usus fuisset, et Sophismata orando devitasset, auditus cum laude a Romano Senatu fuisset, nec Cato contra eos declamasset.

§. 7. Quoniam vero Philosophi nostri seculi, de quibus dicebam, tantopere Philosophicum nomen ambiunt, si verba mea aliquid apud eos possent, eis auctor essem, ut, adhibita mentis helleboro *Dialectica*, priusquam sese ad scribendum accingerent, ab insania, qua laborant, mentem suam repurgarent. Sic enim fieret, ut hoc morbo, et ineptiis, ac contradictionibus immunes, veri Philosophi, seu Sapientiae amatores evaderent, scripta sua ad *Dialecticae* praecepta conformantes, quo Viris doctis ludibrium, et indignationem non deberent, sed laudem, et aestimationem sibi conciliarent.

§. 8. Ast video, me incassum laborare, ac fideles sermones, et hortatus meos parum profuturos. Notum quippe est, Epicurum (de cujus grege hi, et cujus praeceptis imbuti sunt) *Dialecticam* contemtui habuisse: quod fuit in caussa, ut multa inter se adversis frontibus pugnantia (ut nostri Epicurei) tradens, ab Ethnicis Poetis, et Philosophis doctioribus irrideretur; Christianis autem ob impia, et impudica sua dogmata circa Dei Providentiam, et corporeas, seu sensiles, quas commendabat voluptates, ut etiam ob negatam Animorum immortalitatem, hominem vel parem, vel inferiorem belluis faciens, abominatione dignus videretur. Ut vero ad *Dialecticam*, et *Rhetoricam* redeam, a quibus, excursu isto ad Pseudophilosophos, discesseramus, *Oratoria* saepissime sophismatibus utitur ad falsa persuadenda; *Dialectica* autem sophismata aversatur, et canones tradit ad dignoscenda sophismata, et ea dissolvenda, ut falsum a vero discernatur, ita ut dici *Dialectica* possit lydius lapis veritatis. Ea namque intelligimus, non vera esse omnia, quae vera videntur, multosque rerum fronte, seu superficie inspecta decipi, ac vitrum, et aurichalcum pro vero auro saepe commendari. Quamvis autem hactenus exposita satis demonstrent, magnum discrimen inter *Dialecticam*, et *Rhetoricam* versari, magisque quam manum expansam a contracta inter se differre; juvat hic in fine addere, diversa utriusque Artis exercitia, quantumvis cetera deessent, earum diversitatem satis indicare. Quis enim *Oratoriae*, seu *Rhetorices* exercitationem ab homine muto, etiamsi magno praestet ingenio,

expectet? et nemo ei non concedet exercere posse, quae sunt Dialecticae Facultatis, modo mente captus non sit.

§. 9. Potest nempe, licet linguae vitio laboret, et rerum ideas habere, et de rebus optime judicare: potest quinetiam ita in mente sua ordinare judicia, quibus rerum naturas vel definivit, vel divisit, ut per Enthymemata, et legitimas Inductiones, per Ratiocinia, seu Syllogismos ad Scientiam, et ad Sapientiam etiam possit pervenire; cum materiales, ut ajunt, *Discursus* non pauci Philosophi mutis animantibus concedant. His addo, Stylum Oratorium Atticum, Laconicum, et Asiaticum longe inter se differre; opera autem Dialecticae intra mentem sita eadem apud omnes esse. Haec omnia, si bene perpendantur, evidenter probant, parum considerate a multis *Dialecticam* post factum harum Artium divortium, cum *Rhetorica* confundi, seu eam tantum differentiam inter eas ab iisdem tradi, quae inter palmam, et pugnum agnoscitur: istas enim Artes tantum inter se distare ostensum est, quantum distent aera lupinis, seu saltem quantum mens, et lingua diversae apud omnes censeri debent (vide Gellium *lib.* 1. *cap.* 15. ubi de *futili inanique loquacitate*).

§. 10. Quod si quis me reprehenderit, quod contra omnes, qui scire sibi videntur, magnum hoc discrimen statuam inter *Dialecticam*, et *Rhetoricam*; illud noverit, me a communi opinione recedentem, quin alii a me dissentiant, et contra me stabiliant rejectam hac mea *Dissertatione* sententiam, non recusare. Verum vellem, sibi persuaderent, non testimoniis et ornatis verbis, sed rationibus quaerendam tenebris circumfusam veritatem. Nihil enim magis furiosum, ajebat Cicero *lib.* 3. *de Oratore*, quam verborum vel optimorum, et ornatissimorum sonitum inanem dare, nulla subjecta sententia, vel scientia; plurisque idem facit jejunam, indisertamque in scribente, vel loquente prudentiam, et doctrinam, quam stultam, et copiosam nonnullorum Oratorum, et Scriptorum loquacitatem. Fatebor ultro ego, antiquorum, et recentium Scriptorum testimonia contra me stare; verum nondum vidi rationes, quibus ista eorum sententia fulciatur. Has exspecto; quae si validiores iis, quas adduxi, Viris Doctis rem aequa lance librantibus visae fuerint, opinionem hanc meam retractabo.

§. 11. Id ego multo libentius faciam, postquam mihi haec dubia solverint, et his interrogationibus satisfecerint. Jam ve-

vero mihi dicant, quaeso, cur multi ex Rhetoribus, qui longas orationes tropis, et figuris rhetoricis bellissime ornatas lucubrare norunt, argumentum, de quo agunt, Enthymematibus, et Syllogismis, seu Ratiociniis ad Dialecticae canones conformatis tractare nesciunt? Cur iidem res scite dividere, easdemve definire per genus, et differentiam secundum Dialecticae praecepta ignorant? Cur item ignorant, quid sit Genus, quid Species, quid Differentia, quid Proprium, quid Accidens, quid Genus proximum, quid remotum, quid Species Suprema, Media, Infima? Cur ipsos latet, quid sit Differentia Specifica, quid Individualis? Cur demum ignorant, quae ad contradictionem, et contrarietatem, ad mutuam conversionem Propositionum, seu Enuntiationum, ut ea, quae ad earum Aequipollentiam spectant? Nihil dicere opus est de variis Modis, et Figuris Syllogismorum, in quibus peregrini sunt omnino etiam, qui magnos se Rhetores putant, quique nihil differre, vel parum Rhetoricam, et Dialecticam statuunt.

§. 12. Et haec de his, quae ad Praecepta spectant Dialecticae. Ad alia nunc dubia veniamus. Cur veritatis hostes Haeretici, et Epicurei Philosophi descendere in arenam nolunt ad certamina cum Scholasticis, qui Syllogismis, et Enthymematibus ad eorum errores convincendos, et catholicam veritatem demonstrandam ex *Dialecticae* armamentario desumptis utuntur? Cur Scholasticos, qui Dialecticis ratiociniis pro Ecclesiae Catholicae dogmatibus pugnant, tantopere veritatis osores, et falsorum dogmatum Patroni aversantur, eosdemque scurrilibus multis dicteriis proscindunt? Dicent fortasse, quia barbaris verbis disserunt, seu barbare loquuntur. Ad populum phaleras. Non barbare loquitur, qui vocabulis propriae Facultatis loquitur, licet communia inter Facultatis ignaros non sint. Novis rebus nova sunt indenda vocabula secundum Varronis, Ciceronis, Horatii, et Quintiliani decreta. Nemo Barbaros appellat Grammaticos, Architectos, Medicos, Mathematicos, Jurisconsultos, Musicos, Statuarios, Botanicos, Nauticos, Anatomicos, licet multis utantur vocabulis, quae extra eorum lucubrationes, et Scholas in usu non sunt. Cicero de rebus philosophicis disserens nova finxit vocabula apud Latinos nondum usurpata, ut rem de qua agit melius exponeret, idque se dicit facere exemplo Graecorum, laudatque Varronem, eo quod novis vocabulis sermonem Romanum ditarit: quare non est cur praetexant Scholasticorum Barbariem, ob quam eos a-

versentur. Si dixerint Sophismatibus uti; facile illis fuerit, si Dialecticam norint, id ostendere, quod non faciunt. Superest igitur, ut fateantur, se Scholasticos Doctores aversari, quia eorum errores demonstrant ad Dialecticae normam exactis argumentationibus, seque, licet magni Rhetores, et eloquentes fabulatores sint, ignaros esse et Artis Dialecticae, et instituendarum secundum ejus praecepta Enthymematibus, et Syllogismis disputationum.

Verum, inquies, non soli Epicurei, et veritatis osores de Dialecticis male sentiunt, eisdemque adversantur, ut et Arti *Dialecticae*, sed et gravissimi, et sanctissimi Scriptores. Ast si eorum dicta perpendamus, statim apparebit, eos non veros Dialecticos, sed Sophistas, seu qui argutiis, et sophismatibus disputando utuntur, qui tamen magni Disputatores, et Dialectici videri volunt, sugillare. Qui de his male sentiunt, non de vera, sed de falsa, et inani *Dialectica* loquuntur, eamque devitandam veri amatoribus statuunt, inhaerentes D. Paulli sententiae, qua docet Christianos devitare vanam Philosophiam, et inanes fallacias, quin tamen veram, et sanam Philosophiam damnet.

Nec mihi reponant Epicurei, et Dialecticae osores, eos, qui parum favent Oratoriae, seu Rhetoricae, vel ei adversantur, non de vera, et genuina *Rhetorica*, sed de vana, et inani, seu de Sophistarum Oratoria loqui. Etenim ipsi Praeceptores Artis *Rhetoricae*, et quidem primi subsellii, ut Cicero, ut Quintilianus, perspicue tradunt, non facere contra *Rhetorices* Praecepta Oratorem, qui ornatis verbis falsum suadeat, modo probabile sit, aut verisimile: ipseque Cicero fateatur, ut jam dixi, se magnum Oratorem visum, cum Judicibus falsum persuasit. De genuina igitur *Rhetorica* verba faciunt, qui eam vel aversantur, ut qui illam Artem mentiendi appellant, vel eam postponunt *Dialecticae*, valdeque diversam a *Dialectica* arbitrantur. Nemo enim unus ex Dialecticorum Principibus, nemo ex *Dialecticae* Magistris invenietur, qui dicat, Dialectico licere falsum pro vero asserere, et subdolis, sophisticisque argumentationibus disputando indulgere: quin potius contra *Dialecticam*, ejusque canones facere, qui argumentationibus suis errori favet, vel falsum promovet, cum ea praecipiat, res vere dividere, definire, deque ipsis vere per ratiocinia judicare, easdemque, si fieri possit, menti evidentes reddere, seu demonstrare: et idcirco in Scholis dicitur merito Ars, seu Facultas tradens modum, et rationem, seu instrumenta sciendi, atque adeo Sophismata dis-

sol-

solvendi, et eorum inanitatem, et fallaciam demonstrandi. Quae cum ita sint, et notum sit, *Rhetoricam*, seu Artem Oratoriam non instrumenta, et rationem sciendi, sed ornate loquendi ad suadendum sive verum, sive falsum, modo sit verisimile, tradere: quis non videt maximum inter *Dialecticam* genuinam, et genuinam *Rhetoricam* discrimen?

Porro pro *Dissertationis* hujus coronide juvat heic Castricii insignis Rhetoris, qui sub Hadriano Imperatore doctissimo, cui valde acceptus fuit, Rhetoricam Romae docuit, testimonium, et judicium de *Oratione* Metelli Numidici Censoris, qua uxores ducendas Romano Populo suadebat, repetere. Etenim cum ea *Oratio* reprehensa a nonnullis Criticis fuisset, eoquod Matrimonii molestias in ea Metellus meminisset; *Castricius*, ut retunderet sugillatorum contra Metelli *Orationem* dicteria, haec pro Metello reposuit, teste Gellio *lib.* I. *cap.* 6. *Noctium Atticarum*, in *Lexico* jam adducta: *Aliter Censor loqui debet: aliter Rhetor. Huic concessum est sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo verisimiles sint, et possint ad movendum hominum animos qualicumque astu irrepere; Metellum autem virum sanctum, et gravem, non aliud illum addecebat.*

ADNOTATIONES

Respondentes §§, seu Numeris hujus Dissertationis.

Adnotatio 1. respondens §. seu Num. 2.

Disputationes amat Dialectica, et rationem disputandi tradit, ut disputando obscura lucem accipiant, et dubia certa fiant, ac si fieri possit, demonstrentur, seu evidentia fiant humanae menti, quo sit perfecte sciens. Mentes enim humanae naturaliter scire desiderant, ut ait Arist. in Metaphysicis. *Verum de re certa jam et nota disputare ineptum est; cum, ut recte Pub. Syrus: Nimium altercando veritas amittatur. Hoc vitio laborant Sophistae, qui de rebus certissimis in utramque partem solent disputare, et quae explorata, et notissima sunt, dubia reddere sophismatibus, seu argutis fallaciis conantur.*

Adnotatio 2. respondens §. seu Num. 5.

Fatendum est, nonnunquam res, quae in caussis sive civilibus, sive criminalibus agitantur, adeo obscuras esse, et rationibus pro et contra adductis adeo involutas, ut nequeat a Judicibus etiam praeceptis Dialecticis optime instructis veritas inveniri: tuncque Judicium ampliandum sollemni formula: Non liquet. *Idem dicendum de Scholasticis Quaestionibus, seu litibus, quarum multae post multorum seculorum disputationes inter Scholasticos nondum decisae sunt.*

Adnotatio 3. respondens §. seu Num. 8.

Sozomenus Historicus cap. 2. lib. 2. Hist. Tripartitae *tradit, multos ex Episcopis, et Clericis, qui ad Synodum Nicaenam convenere, magnos Dialecticos, seu disputandi arte claros fuisse, quique Imperatori Constantino, et iis, qui circa eum erant, noti, et in pretio fuere. Inter omnes eminebat S. Athanasius, tunc Diaconus S. Alexandri Alexandrini Episcopi, qui Arianorum dogma Dialecticis Ratiociniis profligavit: ob quod in odium maximum Arianorum jam ex tunc incurrit. Dialectica etiam usi sunt, viriliter superstitionem*

Eth-

Ethnicam, et haereses impugnando Origenes, S. Augustinus, Evodius Uzalensis Antistes; S. Augustino familiaris, Sicinius Episcopus, cujus argumentationes ad dissolvenda sophismata haereticorum, et firmandas atque demonstrandas veritates Catholicas reformidabat, et fugiebat Eunomius Sophista insignis, et Haeresiarcha.

Adnotatio postrema, respondens §. seu Num. 12.

Cum Theologi Scholastici in honore erant, rarissimae haereses Ecclesiam perturbarunt. Postquam vero Scholastici scommatibus, et satyricis dicteriis Criticorum, qui eos barbaros, et sophistas appellant, in contemtum venerunt, seu in pretio non habentur, vulgoque sciolorum male audiunt, innumeri errorum, et haereticorum seminatores ex orco prodierunt, Ussitae, Lutherani, Anabaptistae, Calviniani, Sociniani, Janseniani, Molinosistae, et tandem ad hujus seculi sempiternam infamiam Philosophi Epicurei, omnem dominationem, et potestatem a Deo ordinatam, ac sacras Litteras, scriptis suis scurrilibus, et sophisticis impudentissime rejicientes, et cavillantes. Haec si nonnulli ex Catholicis Criticis secum reputassent, non tam faciles fuissent, ut vulgo saperdarum obsequerentur, et eximiorum Criticorum sibi nomen conciliarent, de Scholasticis Theologis male sentire, et pejus loqui, cum Acatholicis, et Epicureis hac in re consentientes. Si e medio tollantur Dialectici, et Scholastici, qui Dialecticae praeceptis instructi Sophismata, et tricas Tenebrionum, et Sophistarum nostri seculi dissolvunt, et dissipant; illuminatum hoc seculum cimmeriis tenebris obrutum, et omnia in chaos Ovidianum mergi dolebimus. Faxit Deus, aliquid valeant haec monita, quae mihi suggessit hujus Lexici *Auctor. Verum forsitan nonnullis videbitur, eum in variis suis Operibus pro Scholasticis pugnantem,* in aere piscari, *seu frustra laborare.*

OCTAVIANI CAESARIS AUGUSTI GENUS, ET PROGENIES.

AUgustus Caesar, cujus Genus, et Progeniem damus, primum *Octavianus* a Patre Octavio, deinde *Thurinus* appellatus est, vel in memoriam Majorum originis, vel quod, eo recens nato, Pater Octavius fugitivas Spartaci, et Catilinae reliquias in regione Thurina profligasset. Demum, assumto cognomine ab Avunculo C. Jul. Caesare, qui eum haeredem instituit, et adoptavit, *Julius Caesar* appellatus est, cui ex Munatii Planci sententia, quam Senatus adprobavit, *Augusti* Cognomentum est additum, cum nonnulli, ob bene administratam Remp. *Romulum* appellandum arbitrarentur. Ejus Pater Octavius fuit ex equestri ordine amplis innutritus opibus, qui praecipuos Magistratus facile est adeptus, et egregie administravit. Ex Praetura, quam obibat, Macedoniam Provinciam sortitus ei praefuit non minore justitia, quam fortitudine, adeout Cicero Quintum Fratrem, Asiae Praef. per litteras monuerit, imitaretur in promerendis Sociis vicinum Octavium: quod indicat, Romae optimam fuisse de ejus Provinciali regimine opinionem.

Morte repentina e medio sublatus Octavius, superstites reliquit liberos ex Ancharia uxore Octaviam majorem, ex Accia vero filia sororis C. Jul. Caesaris, Octaviam minorem, et Augustum. Hic natus fuit IX. Kal. Octobris sub Consulatu M. Tul. Ciceronis, et Antonii. Sunt qui dicant, eum Romae natum: sunt qui in avito suburbano praedio juxta Velitras. Post necem C. Julii, majoris avunculi, quem adolescens amisit, Scriboniam uxorem accepit, ex qua unicam habuit filiam *Juliam* dictam, quam tradidit in uxorem Marcello filio sororis suae Octaviae: quo in flore aetatis sine prole defuncto, vidua *Julia* nupsit Agrippae, intimo Augusti amico, qui ex ea tres genuit filios, Cajum, Lucium, et Agrippam Postumum. Habuit insuper ex eadem duas filias, *Juliam* unam, quae nupsit Julio, Paulli Censoris filio, et *Agrippinam*, quae nupsit Germanico. Cajus, et Lucius obierunt vivente adhuc avo Augusto, et mansit superstes Agrippa ferocis ingenii adolescens, quem relegavit, et exhaeredavit Augustus, ac postea Tiberii jussu occisus fuit. Vipsania, Agrippæ filia, ex filia Pomponii Attici, (quam uxorem habuit ante Juliam Agrippa) nupsit Tiberio jussu Augusti,

ex

ex qua natus fuit Drusus. Eam dimittere jussus fuit ab Augusto, ut filiam *Juliam*, Agrippae viduam, duceret, non sine Tiberii dolore ob mores grandemque aetatem Juliae, et ob amorem adversus Vipsaniam, M. Agrippae filiam, primam uxorem. Tiberius item, sic volente Augusto, adoptavit Germanicum, Drusi, fratris Tiberii, filium omnibus virtutibus Principe dignis ornatum, et idcirco parum Tiberio carum.

Tiberius, et Drusus Germanici pater, erant filii Liviae, nuptae Tiberio Neroni prius quam eam praegnantem Augustus in uxorem ex domo Neronis abduceret, non invito primo marito, ut Augusto obsequeretur. Ex Druso Tiberii fratre, ante Augustum fatis functo, et ex minore Antonia prognati fuere Claudius, post nepotem Caligulam Imperator, et Germanicus. Ex hoc, et Agrippina, Agrippae, et Juliae filia praeter alios liberos ortus fuit C. Caligula, Tiberii successor in Imperio. Tiberius jam Imperator post Augustum, non solum Agrippam Postumum relegatum in Planasiam jussit occidi, sed etiam Germanicum, Ducem insignem Romani Exercitus, victoriis in Germania clarum, et populo carissimum. Quod scelus patravit clam per Pisonem, Germanici Legatum in Asia, cui hic praeerat cum Exercitu. Verebatur quippe Tiberius, ne Romani eum ob insignes virtutes Imperatorem eligerent, ut optaverat Exercitus, cognita Augusti morte: proclamatusque fuisset Imperator rejecto Tiberio, si id omni conatu, etiam intentata sibi morte, Germanicus non impedisset: quod indicat raram in homine Ethnico modestiam, et singularem fidem in Tiberium successorem ab Augusto designatum, qui eum non sponte sua, sed jussu Augusti adoptarat. Ast Tiberius, ut securius regnaret, eum maleficio Pisonis e medio sustulit, et postea etiam ejus uxorem Agrippinam matronam lectissimam, et afflictam ob mariti mortem. Piso in Senatu accusatus maleficii in Germanicum, et a judicibus damnatus se domi occidit. Tiberius auctor necis Germanici videri nunquam voluit in eam consensisse, ne odium populi in se magis concitaret, ut alibi diximus. De *Veturia*, Augusti Caesaris nepte, Poetria, Ali viri nobilissimi uxore, et ejus filiis: Vide *Veturia* in *Lexico lit.* V. Haec de *Genere*, et *Progenie Augusti* collecta sunt ex Romanis Historicis, et Inscriptionibus antiquis non sine labore aliquo: cum illi sparsim haec tradant magnis involuta obscuritatibus. Non me latet, Messallam jussu Augusti, de ejus *Progenie* librum scripsisse, quem legere mihi non contigit. Viri eruditi, qui eum ad

me-

manum habuerint, poterunt, siquid a me perperam traditum sit de *Augusti Progenie*, emendare: quod si fecerint, rem mihi gratissimam praestabunt. Post haec a me lucubrata legi in Corn. Tacito lib. 2. *Annalium* accusatam sub Tiberio adulterii, et majestatis *Apulejam Variliam*, quam sororis Augusti neptem Tacitus vocat. Eam graviori poena plecti noluit Tiberius, licet contra se, et matrem male locum fuisset. Solum ob admissum adulterium exsilio eam multavit ultra ducentesimum lapidem seu ultra 200. milliaria. *Manlio* autem adultero Italia atque Africa interdictum est. Ita Tacitus. Idem tradit, Liviam Germanici sororem, nuptam Druso, duos virilis sexus simul enixam fuisse: quod magna laetitia Tiberium affecit, ut populum tristitia: quia id domui Germanici obesse putabat, et eam magis urgere auctum liberis Drusum. De hac *Livia* narrat Tacitus, adulterio corruptam ab Aelio Sejano praecipuo Tiberii Administro. Idem Tacitus *libri XIII. Annalium* initio narrat, Junium Silanum occisum Agrippinae dolo, ignaro Nerone, fuisse D. Augusti abnepotem, et Asiae sub Nerone Proconsulem. Hunc optabat Populus Romanus Imperatorem, quia ex Augusti posteris.

GENUS, ET PROGENIES CONSTANTINI M. ROMANI IMPERATORIS.

Constantini M. pater fuit *Constantius Chlorus*, Rom. Imperator, militari arte clarus, et bene affectus in Christianos; adeout, licet proximi Praedecessores, et Socii in Imperio Christianos crudeliter insectati fuerint, ipse nihil contra Christianos moverit in ditione (*a*) sua, et in suo palatio non alios habuerit, quam Christianae Religionis Professores, rejectis Ethnicis stratagemate, quod narrat Eusebius in *Constantini M. Vita*. Matrem habuit Claudiam filiam Crispi, fratris Fl. Claudii Rom. Imperatoris clari nominis, nuptam Eutropio, alteri ex Primariis Romanis. Uxor ejus prima fuit Helena, ex qua *Constantinum* genuit, et quam repudiavit suasu Maximiani, a quo Caesar creatus fuerat, ut duceret uxorem Theodoram ejus privignam, ex qua suscepit tres filios, Constantium, Dalmatium, et Hannibalium, ac tres filias Constantiam, quae nupsit Licinio Caesari, Anastasiam, quae nupta fuit Bassiano valde diviti, et potenti, et Eutropiam, quae uxor Nepotiani fuit. Sunt qui Constantiam S. Helenae filiam dicant; verum Eusebius contrarium indicat.

Constantinus M. mortuo patre Imperator in Anglia ab Exercitu creatus, uxorem duxit Minervinam, ex qua suscepit Crispum, a Lactantio ingenuis disciplinis, et christianis praeceptis, ut a Patre militaribus, eruditum. Minervina vel fatis functa, vel repudiata, matrimonio conjunctus fuit cum Fausta propria Maximiani filia, ex qua geniti fuerunt Constantinus, Constantius, et Constans, ut etiam tres filiae S. Constantia, Helena, et Fl. Julia Constantina, nisi si hae ortae fuerint ex Minervina, et dicendae sint uterinae Crispi sorores, quod exploratum non habeo. S. Constantia, implorata ope Sanctae Agnetis, a lepra mundata, et Sacris Christianorum cum multis ex Patris familia initiata, virgo permansit, et sacrarum Virginum magistra fuit, aedificato magnifico templo in honorem S. Agnetis. Helena (*b*) nu-

(a) Constantius Chlorus, post Imperii abdicationem, a Diocletiano factam, imperavit annos 4, subjectas, et pacatas habens Gallias, et Germaniam, obiitque in Anglia, ubi Constantinus ab Exercitu post mortem Patris salutatus fuit Imperator.

(b) Socrates Constantiam sororem Constantii tradit Juliani uxorem fuisse. Sed fallitur.

nupta fuit Juliano nondum Apostatae, filio Constantii, Constantini fratris, sed ea non multo post obiit sine prole, Eusebiae uxoris Constantii Imperatoris pertinacissimae Arianae, quae filios non habebat, maleficis artibus, quas ei suggessit invidia, ut dictum est Verbo *Eusebia*. Constantina nupsit Hannibaliano, Constantini M. ex fratre, vel Hannibalio, vel Dalmatio nepoti, qui rex creatus fuerat a Constantino Ponticarum gentium. Eo defuncto nupsit Gallo fratri Juliani, et Constantii filio, qui creatus Caesar fuerat a Constantio Constantini M. filio jam imperante. Haec indicat Ammianus Marcellinus *lib.* 21. *Hist.*

Crispus, primus *Constantini* filius ex Minervina, insignis Romani exercitus Dux, et victor in adolescentia hostium Imperii, omnibusque ob suas virtutes carus, occisus fuit jussu Patris nimis creduli, reus factus calumniis Novercae Faustae, quae eum deperibat, et cujus libidini Crispus obsequi noluit. Verum comperta postea Faustae calumnia, eam occidit maritus, innocentis filii de ea vindictam sumens. *Constantinus M.* morti proximus divisit Imperium inter filios superstites, et Dalmatium, fratris Hannibalii filium, Caesarem creavit, Constantinus, et Constans, optimi Catholici caelibes vitam violenta morte amiserunt. Mansit solus Constantius Orientis, et Occidentis Imperator non malus, si, ab Arianis deceptus, catholicos non vexasset, a vestigiis Patris, et fratrum recedens. Uxorem habuit Eusebiam, filiam Eusebii viri consularis, Ariánam, ex qua prolem non reliquit. Alii eam Julii Constantii, fratris Constantini, et Gallae primae Constantii uxoris filiam fuisse tradunt, quos sequitur novissimus vitae Constantini Historicus Franciscus Gustà, sed contradicit Ammianus Marcellinus, qui Eusebii filiam fuisse testatur, et forsitan ex Episcopi Nicomediensis, vel Caesareensis genere. Constantio vita functo, cum bellum pararet contra Julianum patruelem, qui ab exercitu victore, cui praeerat, Imperator, invito Constantio, proclamatus fuerat; rerum potitus est Julianus. Is Idololatriam in Imperio pene extinctam instaurare conatus est, ejurata, quam professus fuerat, Christiana Religione, contra quam libros etiam scripsit, abusus quo pollebat ingenio, et doctrina (quam ex Ethnicis Philosophis hausit) sacrárum litterarum simplicem stylum contemnens, et mysteria Christiana comprehendere non valens. Eum novi Apostatae nostri seculi imitantur, dicteriis, et blasphemiis, ut ille, non parcentes contra Christum, et Christianam Religionem. Verum cum Persis bellum indixisset,

set, Apostasiae suae meritas poenas luit amissis vita, et Imperio, infelici morte (perfossus ignotae manus opera, vel telo, vel sagitta) e medio sublatus. Morti proximus, vel invitus, fassus est, se victum a Galilaeo: quo nomine per contemtum Christum appellabat. Hic postremus fuit, qui ex Constantii Chlori genere ortus imperavit.

De *Constantini M.* studio in promovenda Christiana Religione vide *Vitam Constantini* ab Eusebio editam, vel *Dissert.* meam *de duplici Constantini Baptismate*. De *Constantio Chloro*, et *Constantino M.* ut etiam de *Fl. Claudio* Imperatore, vide in *Lexico*, et in *Specimine* sub littera C. Victo Maxentio ad pontem Milvium a *Constantino*, renovatum fuit templum Concordiae Romae, ut indicat haec Inscriptio Romae inventa, et sita in S. Joannis Lateran. Templo, quae sic habet.

D. N. CONSTANTINO. PIO. FELICI. AC TRIVMPHATORI
SEMPER. AVGVSTO. OB. AMPLIFICATAM TOTO. ORBE
REMPVBLICAM. FACTIS. CONSILIISQVE
S. P. Q. R.
AEDEM. CONCORDIAE. VETVSTATE. COLLAPSAM. IN
MELIOREM. FACIEM. OPERE. ET. CVLTV, SPLENDIDIORE
RESTITVERVNT

Erectus item illi fuit Romae Arcus triumphalis insculptis trophaeis, et Victoriis alatis cum Inscriptione in Fronte, quae sic habet:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO
(P. (a) F.) AVGVSTO. S. P. Q. R. QVOD. INSTINCTV
DIVINITATIS. MENTIS. MAGNITVDINE
CVM. EXERCITV. SVO. TAM. DE. TYRANNO (b)
QVAM. DE. OMNI. EJVS. FACTIONE. VNO
TEMPORE. JVSTIS. REMPVBLICAM. VLTVS
EST. ARMIS. ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM
DICAVIT

Sunt

(a) Forsitan P.P. idest Patriae Patri. Forsitan P.M. *Pontifici Max.* nam in Inscriptione posita Septimio Severo post *Maximus* legitur *Pontif. Max.*

(b) Inter alios, qui jussu Maxentii Tyranni Romae necati fuerunt, recensetur Nepotianus filius Eutropiae sororis Constantini M. qui audita Constantis nece jure sanguinis Imperatoris titulum assumpsit. Is post paucos dies Imperii occisus fuit una cum matre, et multis aliis eorum pernecessariis.

Sunt praeterea in eodem Arcu ex una parte haec verba inscripta

LIBERATORI. VRBIS

Ex altera parte

FVNDATORI. QVIETIS

FINIS.

ERRORES TYPOGRAPHICI, ETIAM LEVIORES, EMENDATI.

Pagina 21. *Versu*, seu *linea* 37., et 38. lege *novi*. — *Pag.* 73. *lin.* 23. lege *Rhodi*. — *Pag.* 74. *l.* 26. lege *Videar*. — *Pag.* 76. *l.* 40. lege *Laxus*. — *Pag.* 92. *l.* 9. lege *Cremeram*. — *Pag.* 91. *l.* 6. lege *Eustathio*. — *Pag.* 101. *l.* 5. lege *Sandaliis*. — *Pag.* 114. *l.* 31. lege *Anastasiae*, et post *Imperatoris* adde *Valentis*. — *Pag.* 145. *l.* 5. lege *Argivum*. — *Pag.* 186. *l.* 38. lege *dementissimi*. — *Pag.* 189. *l.* 17. lege *eis*. — *Pag.* 219. *l.* 4. dele *Romam*. — *Pag.* 222. *l.* 19. lege *Senecam*. — *Pag.* 225. *l.* 7. lege *Sceptro*. — *Pag.* 228. *l.* 36. lege *usum*. — *Pag.* 230. *l.* 31. lege *pugnaverat*. — *Pag.* 231. *l.* penult. lege *spectabilem*. — *Pag.* 237. *l.* 15. lege *Harlemenses*. — *Pag.* 243. *l.* 26. lege *de eo in*. — *Pag.* 255. *l.* 7. lege *Claudius*. — *Pag.* 258. *l.* 12. lege *tribuunt*. — *Pag.* 288. *l.* ult. lege *indicantur*. — *Pag.* 299. *l.* ult. dele *Constantinum* et adde, post *testari*. — *Pag.* 315. *l.* 6. lege *Constantium*.

NOI

RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. *Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Matthaei Aimerichii Doctoris Theologi, Novum Lexicon Historicum, et Criticum veteris Romanae Litteraturae deperditae &c. MS.*, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo licenza a *Giuseppe Remondini* Stampator di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Febbraro 1786.

(Andrea Querini Rif.
(Cav. Proc. Morosini Rif.
(Zaccaria Vallaresso Rif.

Registrato in Libro a Carte 216. al Num. 1998.

Giuseppe Gradenigo Segr.

28. Febbraro 1786.

Registrato a carte 141. nel libro del Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia &c.

Gio. Antonio Maria Cossali Nodaro.